AUTHOR:

SPITZER, FRANZ ERNST HEINRICH

TITLE:

OBSERVATIONES CRITICAE ...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1839

Master Negative #

93-81394-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Spitzner, Franz Ernst Heinrich, 1787-1841.
Observationes criticae et grammaticae in Quinti Smyrnaei Posthomerica, scripsit Franciscus Spitzner. Lipsiae, apud Weidmannos, 1839.
xi, 343 p. 21½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 5/10/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202















MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



OBSERVATIONES

CRITICAE ET GRAMMATICAE

IN

QUINTI SMYRNAEI

POSTHOMERICA.

SCRIPSIT

FRANCISCUS SPITZNER.

LIPSIAE
APUD WEIDMANNOS.

MDCCCXXXIX.

AUGUSTO MEINEKIO

GREGORIO GUILIELMO NITZSCHIO

VIRIS CLARISSIMIS

VETERIS SODALITII MONUMENTUM HASCE OBSERVATIONES

DEDICAVIT

F. S.

PRAEFATIO.

Opusculum ne in nimiam excrescat molem, prooemium angustis circumscribi limitibus res iubet. Unde ea, quae de cura, in Quintum et nunc et olim impensa, in observat. part. III. p. 21. sqq. et part. VII. p. 207. sq. scripsi, hic repetere nolim. Comprehendi autem uno volumine, quae vel libellis tribus scholasticis vel in Zimmermanni annalibus prius erant edita, aliis emendationibus, quae inter legendum sese mihi offerebant, adiectis. Illud faciendum putabam, quod plura, quae mea de sententia recte et vere praeceperam, ab aliis tanquam recens inventa in lucem proferri animadvertebam, hoc non ingratum fore censebam peritis harum rerum arbitris intelligentibusque Musarum graecarum amatoribus. Accesserunt ergo ad ea, quae annorum aliquot intervallo prodierant,

tres novae observationum particulae, quarum primam sive quintam praemittendam fuisse quartae apparebit inspicienti: excutit enim versus maximam partem e priobus quattuor libris depromptos. Eam vero quarta, quae, quum munus a me expostulare videretur disputatiunculam, ante biennium fere typis erit tradita, feci posteriorem. Neque ullum inde damnum ortum crediderim, quod, quo legentium desiderio satisfaciam, eorum, quae his schedulis contineantur, indicem plenum atque accuratum subiicere in animo est. Sexta deinde particula libros posthomericorum quattuor, septima et ultima horum novissimos sex complectitur. In medio vero cursu moras multiplices ac propemodum inextricabiles mihi obiectas esse p. 207. dixi. Quas ut superarem, opus coeptum omni, qua potui, industria atque assiduitate ad eum tandem perduxi umbilicum, ut extremam iam admovere liceat manum.

Sed quum Koechly, vir ingeniosus mihique amicissimus, interim emendationes et adnotationes in Quintum Smyrnaeum emisisset, eadem, quae mihi in mentem venerant, hic illic exprompsit. Quae quidem ex his sex posteriores poetae libros spectant, in novissima harum observationum particula aut tetigi aut, si plane consentiebam, silentio praeterii; ad priora, ne me interpellarem, raro recurri. Itaque hic primum

ea, quae mihi cum illo communia sunt, breviter recensebo. Huc pertinent: II, 30. *ἀλλά που*, ib. 224. *πυρὸς*, ib. 400. *κατέναντα*, ib. 577. *ἀναειρόμενοι*, quod dudum repererat Glasewaldus, ib. 618. *ὠπίσατο Z.*, IV, 22. *τοῦ γὰρ*, V, 15. *τοῦ* sive *τῶν δ' ἄφαρ*, ib. 273. *ἐμοίγ'*, ib. 513. *τοῖς δ' ἔτι*, ib. 515. *οὐδ' ἔτ' ἐμοὶ*, VI, 225. *χρυσέοιο*, VI, 485. *τετραμμένη*, VII, 333. *χήρην*, VIII, 86. *Πόλυβον τε*, XIII, 362. *μέλας*, ib. 54. *ἄλλοθεν ἄλλος*, quod in observ. part. VI. p. 202. sq. defendi, Koechlys iisdem argumentis tuetur in emend. p. 227. In aliis maior minorve utriusque reperitur dissensus; mea vero quum ex ipso libro cognosci possint, quid illi sit diversi indicasse satis erit. Iam in em. p. 184. II, 446. *βεβλημένον* e Monac. affert, p. 189. III, 160. *ἀππνείων* i. e. *ἀποπν.* coniicit, p. 193. III, 443. *ἀπάνευθεν ἀφιστάμενος πολέμ.* et ib. III, 452. *αὐτῇ ὃ σὺν φ.* cum Hermanno scribit, p. 197. IV, 6. *Λυκίης σχεδὸν αἴης* verum existimat, *πέδον* iam Struvius voluit, p. 199. IV, 146. *ὃς δ' Ἀχιλ.* cum Rhodomanno praefert, p. 201. IV, 396. *ἀμφιδεδρυμμένα τ.* melius iudicat, p. 208. V, 516. *αὐτὸς ἄμ' ἵεμαι* cum Bonitio probat, p. 210. VI, 151. *ἔξοχος ἔσσυτο* legendum putat, p. 212. VIII, 400. *δὴ γάρ οἱ ἀμύνειν ἤθελε θ.* cum Hermanno, ib. X, 392. *καὶ αὐ-*

τῷ τοι μέγα π. commendat, p. 230. VIII, 439. *παντὰς ἀεὶ πείθ.* proponit. De duobus libri septimi locis non admodum gravis nobis est discordia, imo de priore v. 450. sq. mirifica consensio. Nam litterarum similitudine accidisse, ut hastae Achilleae mentio evanesceret, versusque integer periret, uterque iudicavimus, vid. observ. part. VI. p. 151. et Koechl. emend. p. 276. Nostra iterum apponere nihil attinet, Koechlys autem isti defectui sic prospiciendum existimat:

— — *κάρη δέ μιν οὔτι βάρυνε*
πήληξ, οὐ παλάμαις μέγ' ἐπέβρισεν δόρυ μακρὸν
Πηλιάς· ἀλλά ἑ χερσὶ κτέ. — —

Posteriorem, qui eodem in libro v. 600. sq. legitur, coniectura perpurgatum volui in observ. p. 162. sq., Koechlys a lacuna petit auxilium p. 277. sq. singulaque auget hisce:

— — — — *πολλὰ κελεύων*
ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα θῦναι (ἅπασιν,
Τρῶας δ' ἀψ ὦσαι ἀπὸ τείχεος·) οὕνεκα πάντων.

Quae meorum iterum in disceptationem vocavit Koechlys, sive probaverit sive improbaverit, missa faciam, nec minus alia pauca, mihi quidem notata, fortasse etiam allata, etsi sedem eorum nondum investigare

potui, velut VII, 79. 242. VIII, 378. Illius vero coniecturas, quas vel meis opposuit, vel Quinto censuit salutares, persequi non licet, neque in lacunas, quarum plures sibi detexisse visus est, diligentius inquiram, verum hisce de rebus, si potero, dedita opera alio disseram loco.

At nova quaedam a Gruebenavio anno abhinc per litteras mecum benigne communicata hac usus opportunitate prioribus adiungam. Is ergo, quo terminatio epicis insolita auferatur, corrigit I, 543. *ἀγρευτάων, οἵπερ ἐν ἔντ.*, leviore etiam molimine sine ulla verborum iactura restituas *ἀγρευτέων* —. Scribit porro II, 306. *κεῖσθαι ὁμῶς κταμένοισιν ἀνὰ κλόνον*, V, 39. *σμερδαλέοι πεπότηντο περὶ πλοχμοῖσι δράκοντες* vulgari *πεπόνηντο* substituit, ib. v. 62. — *οἱ δ' αὖ διαροτρεύεσκον ἀρ.* et ib. v. 179. *ὄφρα θέμιν κάτα νεῖκος ἀρήϊον ἰθ.* exarari iubet, XI, 275. sq. Struvii dubitationes refutare studet, sed vulgata meris propemodum hariolationibus nititur, XII, 68. *μάρνανται· τοὺς δ' ἐκτὸς ἀλευάμενοι ἀπὸ π.* desiderat, ib. v. 127. *σεύοντ' ἐκ ξυλόχοιο*, quod inconcinnum putaverim, praefert, ib. v. 233. *θάρσος, ὅπερ τε μάλιστα φέρει κλέος ἀνθρώποισιν* audacius reponit, ib. v. 273. *θάρσος δὲ βίην καὶ κῦδος ὀπάσσει* requirit, melius, credo, *κλέος* induxi, ib. v. 291.

πόλλ' ὑποτλησάμενοισι κατὰ κλόνον ἄλγεα λυγρὰ e vers. 388. advocat, sed eam aoristi formam Quintus cum aliis ignorat. Nonnulla scienter et bene excogitata aliorum occupavit sedulitas, ut I, 336. *θηρὶ βίην εἰκυῖα,* ib. 545. *ἀρήϊοι ἄνδρες,* VIII, 1. *περικίδνατο γαῖαν* Koechlys suppeditat in emend. p. 174. 177. 223. II, 577. *σῶμ' ἀναειρόμενοι,* de quo paullo ante dictum est, idem ac Glasewaldus praebent, denique VI, 136. *κρατερῇσιν ὑπ' ἀγκοίνῃσι δαμεῖσα* ipse dedi in observ. part. VI. p. 127. Haec quidem vir industrius mihi impertivit, cuius voluntati et studio, quod nondum feci, debitam gratiam iam persolvo.

Neque Hermanni pauca, quae postquam observ. particulam IV. viro illustri miseram, mihi rescripsit, omittenda duxerim. Admonuit autem primum *ἆξαι* non tam *debilitare* esse quam adversarium ita *infringere,* ut superior corporis pars inclinetur. At ipse, vid. obs. part. IV. p. 60. sqq., nihil aliud volui, idque exempla, ad quae provocavi, poterunt indicare. Deinde, quod *εὖτε* cum participio iungendum p. 65. scripsi, verum esse negat, ratus illud e nomine, quo participium illustretur, aptum esse. Denique ea, quibus verba *κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδειν* p. 66. sqq. explicui, probat quidem, sed du-

bitat, num IV, 234. *κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδων* recte dicatur et e libr. XI, 32. *ποτὶ χθονὸς οὖδας ἐρ.* assumendum putat.

Harum autem observationum materiem atque adiumenta quum aliorum epicorum sermonem tum maxime Quinti usum ac grammaticas leges suppeditasse latebit neminem. Tychsenii copias, ne alienae segeti falcem intulisse arguerer, parce ac modeste in subsidium adhibui. Plura vero inveniri, quae maiorem sive eruditionem seu diligentiam postulare sibi videantur, omnium minime negaverim, quippe qui sciam, quanta negotiorum turba et multitudine, dum haec conscribebam, saepe occupatus districtusque fuerim. Opinabar quidem et paene sperabam, fore, ut ad eas litteras, quibus a puero eram deditus, recolendas et aliquo cum fructu expoliendas, plus otii aliquando concederetur. Verum hisce meis cogitationibus et consiliis fati necessitas, cuius cursum multi voluerunt effugere, pauci potuerunt, semper obstitit. Illa enim mihi perinde ac Iupiter principibus homericis

ἐκ νεότητος ἔδωκε καὶ ἐς γῆρας τολυπεύειν.

Tum vitae summa brevis longas spes inchoare vetat, cum praesertim, cuius et aetas et vires sensim decrescant. Quare de futuro quoque nihil promiserim, tametsi coniuncta Koechlyis opera aditum ad Quintum

non modo non intercludet, verum etiam, si recte auguror, planiorem expeditioremque reddet. His iam perfuncto nihil superest, nisi ut lectores aequos ac benevolos rogatos velim, ut et erroribus, a quibus nemo mortalium sibi cavet aut cavebit, ignoscant, et haec mea qualiacunque boni consulant. Dab. Vitebergae Saxonum prid. Id. Iul. a. MDCCCXXXIX.

OBSERVATIONES
CRITICAE ET GRAMMATICAE
IN
QUINTI SMYRNAEI
POSTHOMERICA.

PARTICULA PRIMA.

(MDCCCXVIII.)

Quint. Smyrn. III, v. 54. 3

οἵ ῥ' ἔτι που φεύγεσκον ἅμα προπάροιθε πόληος.

Rhodomannus transtulit: „*promiscue fugiebant*;" haec autem
graecis verbis non inesse apparet. Significant enim nihil
ultra nisi simul fugiebant, quod nescio quid molesti habet.
Sententiae pariter atque interpretationi illi magis congruet
φεύγεσκον ἄδην, eaque vocula Quintus toties utitur, quoties
dici vix potest; in simili re habes XI, 303. — *πολλοὶ γὰρ
ἄδην πέσον ἐν κονίῃσιν.* Possis etiam divinare *ἑῆς προπ.
πόληος*, ut VIII, 455. — *θᾶττον ἑὰς ἐπὶ νῆας ἰόντες*, ubi
personae primae pronomen est. Sed priorem rationem alteri
praefero. Idem pronomen *ἑὸς* scripturam sinceram fucavit XII,
455. — *οἱ δ' αἶψα θεᾶς ὕπο κινηθέντες Νῆσον ἑὴν ἐτίναξαν*
— lege *νῆσον ὅλην*, ut V, 643. — *ὅλη δ' ὑπετύφετο νῆσος*,
atque verbum simili iunctura recurrit XII, 95. 196. — *σὺν δ'
ἐτίναξεν Αἰθέρα πᾶσαν ὕπερθε* — —. Sed *προπάροιθε*, quod 4
Struvius in programmate altero, in Quinto emendando occu-
pato, p. 5. duobus aliis locis recte iussit mutari in particu-
lam Quinto usitatiorem *τὸ πάροιθεν*, hoc loco bene se tuetur.
Nam id discriminis intercedere solet, quod *προπάροιθεν* lo-
cum, *τὸ πάροιθεν* tempus indicat. Huius exempla affatim attu-
lit Struvius et insuper inspici possunt I, 80. V, 537. VII,
461. IX, 425., illud, plerumque genitivo nominis alius ad-
iecto, sese offert III, 387. IV, 3. 400. VI, 322. VII, 4.

170. 512. VIII, 498. XI, 338., semel tantum sine ullo alio additamento conspicitur XI, 482. Quae quum ita sint, etiam VII, 175. *τὸ πάροιθε* rescribendum erit.

V. 57.

ὢ πόποι, ὥς ὅγε μαίνετ' ἀεὶ φρένας — —

Quod legendum censeo *ἀνὰ φρένας*, suspicione eximit I, 104. *λευγαλέη, τί μέμηνας ἀνὰ φρένας;* nec levioris momenti sunt IX, 100. X, 477. XII, 532. XIII, 418. XIV, 232. et singularis obvius IV, 484. — — *φοβέοντο δ' ἀνὰ φρένα.*

V. 67.

ἀμφὶ δὲ παπτήνας ὀλοὸν καὶ ἄκρατον ὁμόκλα.

5 Nisi haec a dorismo, ab epico poeta prorsus alieno repetere placeat, quid *ἄκρατον ὁμόκλα* sit, perspici nequit. Quintum autem ab ionica forma hic non recessisse patet, cf. XIII, 28. 449. Quapropter emendo *ὀλοὸν καὶ μακρὸν ὁμόκλα.* Ita III, 343. *τῷ δ' Αἴας ἐπὶ μακρὸν ἄΰτεεν* — —, VIII, 326. XIV, 338. *κλῦτε φίλοι, πολέμοιο μακρὴν φεύγοντες ὁμοκλήν.*

V. 103. sqq.

καί σευ φορμίζοντος ἐπήϊεν ἄθροα φῦλα,
θῆρές τ', οἰωνοί τε, βαθυσκόπελοί τε κολῶναι,
καὶ ποταμοὶ, καὶ πᾶσα βαθύσκιος ἤϊεν ὕλη.

Unde haec hauserit Tychsenius, nescio; in editionibus antiquioribus versu mutilato *βαθύσκιος ὕλη* exstat. Quod damnum ut resarcirent, Rhodomannus *ἤλυθεν* adiiciendum putavit, eoque restituto tum sententiae concinnitati tum orationis elegantiae magis prospectum esse liquet. Etenim triplici usu *ἤϊεν* apud Quintum invenitur: primum significat nihil aliud nisi ire sive incedere, vid. II, 205. 212. V, 364. VII, 353. X, 264. XII, 116. 118. XIV, 56., deinde praepositione addita vel adire, sicut III, 370. IV, 95. VIII, 32. 75. 222., vel, quod rarius deprehenditur, abire seu exire I, 713. XI, 7. Sed *ἤλυθεν*, quo ingrata evitatur repetitio hic lectis accommodatius esse III, 595. 767. approbabunt.

V. 114.

σχέτλιε, οὔ νύ τοι οἶδας ἐνὶ φρεσὶ λευγαλέῃσιν κτλ.

In his *οὔ νύ τι οἶδας* Quinti consuetudo sibi reposcit, 6 idque ob hiatum male expunctum videtur. Plurima enim in contrariam partem laudari possunt; ita I, 734. *οὐδέ τι οἶσθα,* cui affinia sunt I, 96. IV, 100. V, 156. 610. VII, 522. XII, 544. alibi. Eandem ob caussam III, 253. *ἆ δείλ', οὔ τοι οἶδας,* quod Rhodomanni auctoritate nititur, coniecturae eiusdem alteri, in emendandis prolatae, cedere debet: *οὔ νύ τι οἶδας*, vid. III, 250.

V. 158. sqq.

Ἀλκιθόου δ' ἄρ' ἔπειτα, διὰ γναθμοῖο περήσας,
γλῶσσαν ὅλην ἀπέκερσεν· ὁ δ' ἐς πέδον ἤριπε γαίης
ἀμπνείων· αἰχμὴ δὲ δι' οὔατος ἐξεφαάνθη.

Hic *ἀμπνείων* contrarium eius, quod opus est, mihi videtur indicare. Nam quum Alcithous ab Achille perfossus occumbat, illi non respirandum, sed exspirandum esse facile intelligitur. Id, emendatione leni admissa, inferri potest, ubi legatur *ἐκπνείων*, ut iam adfuit v. 352. — *οἱ δέ οἱ ὡς ἄθρησαν ὑπὸ σθεναρῇσι χέρεσσιν Πολλοὺς ἐκπνείοντας,* — porro I, 349. XI, 47. XIII, 148. Quod autem vulgo editur *ἀναπνέω*, in Quinti libris semper vel spirare vel respirare denotat. Posterius 7 creberrime I, 197. III, 368. IV, 357., rarius prius offertur, velut I, 343. Hinc fit, ut interdum adeo vivendi notionem habeat, vid. III, 536. *θῆκε δ' ἄρ' ἐρσήεντα καὶ εἴκελον ἀμπνείοντι.* Quare vel ob ambiguitatem hoc loco non ferendum putaverim.

V. 248. sqq.

— — — — *τῷ σε θανόντι*
ποιῶ συνθανέεσθαι ἐπ' ἤματι τῷδε καὶ αὐτόν.

Huius lectionis fons iterum latet; olim, quod absurdum erat, *πηῷ συνθαν.* circumferebatur. Rhodomannum, dum *οἴω* proponeret, verum tetigisse ei, qui aures Quinti lectione tritas attulerit, vix dubium esse potest. Neque ullam video caussam obstare, quominus recipiatur. Quanquam enim poeta noster, ut alii epici, *οἴω* plerumque trisyllabum effert, tamen

priores duas nonnunquam coalescere monstrant III, 118. *ἀλλ' οὐ μὰν Τρώεσσιν ἐλαφρότερον πόνον οἴω*, XIII, 445.

V. 297.

— — — *φοβοῦντο δέ μιν μέγα λαοί.*

Huic loco et XIII, 321. *φοβούμενον* diphthongus $\overline{\varepsilon\upsilon}$,
Quinto in his solemnis, reddenda est, vid. VIII, 238. *φο-*
8 *βεύμεναι* et exempla cognata IV, 243. 269. 579. alibi. Sed
in his verborum formis multa vitia posthomericis relicta sunt;
ita II, 479. *ἐπισκιάουσα*, contra V, 346. XIV, 417. *ἐπε-
σκιόωντο*. Pari levitate I, 399. 490. *τηλεθόωντα*, IV, 424.
XII, 122. *τηλεθάοντα* scribitur. At de his et similibus alio
loco et tempore explicatius dicam.

V. 457.

Πηλεὺς, ὃς μακάρεσσι φίλος π ε ρ ι ώ σ ι ο ς ἦεν·

Concinnius legeretur *π ε ρ ι ώ σ ι ο ν*, ut v. 560.

ὢ μοι ἐγὼ πάντων περιώσιον αἰνὰ παθοῦσα.

V. 487. sq.

— — *τάχα γαῖαν ὑπὲρ Διὸς ἄσπετον αἶσαν*
δυσόμεθ' ἐσσυμένως· — — —

Iovis *αἶσα* cur *ἄσπετος* dicatur, me nondum perspicere
potuisse fateor. Veteres iam grammatici in voce ista, quam
ab Homero petitam poetae sequiores usu multiplici frequen-
tarunt, explicanda multum operae collocarunt, cf. Et. M.
156, 43. Hesych. I, 577. Schol. Ven. ad Hom. Il. 17, 332.
Eustath. ad Il. 2, 455. p. 253, 42. ad Il. 19, 61. p. 1171,
32., ubi haec annotat: *ἄσπετον δὲ οὖδας, ὅμοιον ὡς εἰ καὶ
ἀπείρονα γαῖαν εἶπε, καὶ δηλοῖ τὸ ἄῤῥητον. καὶ ἔστι μὲν
ἀληθῶς οὔτε ἄσπετον οὖδας οὔτε ἀπείρων γῆ ἡ δακνομένη
πρὸς τοῦ πίπτοντος, ἐλάχιστον δέ τι γῆς τμημάτιον, ὀνομά-
ζεται δὲ ὅμως τὸ μέρος καὶ ἐνταῦθα ὡς τὸ ὅλον, ποιητικώ-*
9 *τερον*. Quae verba ideo transscripsi, quod in iis diminuti-
vum *τμημάτιον*, quantum scio, nulli lexicographorum rece-
ptum, suppeditatur. Idem eadem fere observat ad Il. 24, 708.
p. 1373, 54. ad Od. 13, 395. p. 1744, 62. ad Od. 22,
269. p. 1926, 12., in quibus voces satis incognitae *εὐπερί-*

γραπτος altero, *δακτικῶς*, quo Homericum *ὀδὰξ* redditur,
tertio loco observandae sunt. Quod vero ad adiectivum *ἄσπετος*
attinet, veteres non tam in eius vi et significatu definiendo,
quam in stirpe, unde descenderit, notanda inter se dissen-
tiunt. Alii enim, quibus Henric. Steph. in thes. gr. ling.
append. p. 553. sq. assentitur, a verbo *ἔπω* i. e. loquor re-
petunt, alii autem *ἕπομαι* fontem esse statuunt. Fuerunt
etiam, qui quod vocant *ἐπιτατικὸν* hic adesse coniicerent,
vid. Et. M. 142, 19. Plerumque autem in Homeri carmi-
nibus immensa vel innumera indicat, neque apud Quintum,
cui in deliciis est, res aliter se habet. Quod testantur hi
loci: I, 346. 647. II, 476. 536. III, 31. 507. 673. 715.
IV, 63. 562. V, 389. 491. 618. 623. VI, 382. 619. VII,
193. 216. 678. 680. VIII, 232. IX, 2. 54. XI, 310. 364.
374. 436. XII, 200. XIII, 165. 433. 465. XIV, 458. 647.
Unus superest Quinti locus, ubi nonnisi ingentem exprimit 10
magnitudinem VIII, 172., qua in re Apollonium Rhodium
Arg. II, 819. Quintus secutus videtur. Quemadmodum autem
Homerus ipse hoc nomine res quasdam appellavit, quae nec
copia innumerabiles nec magnitudine ingentes esse possunt,
velut exstat Il. 16, 157. *ἄσπετος ἀλκὴ*, 18, 165. *ἄσπετον
κῦδος*, ita recentiores quoque scripserunt, ac Quintus, quod
modo Homericum memorabam, dedit I, 705. — *πέλει δέ οἱ
ἄσπετος ἀλκὴ*, II, 525. — *καταείμενοι ἄσπετον ἀλκὴν*, III,
565. — *ἄσπετον ἄλκαρ ἀνίης*. Quapropter mirum est, si
de leaena vulnerata XII, 533. — *πέλει δέ οἱ ἄσχετος ἀλκὴ*
legatur, quo in versu *ἄσπετος* magis exspectari et prius
laudata et II, 250. — *πέλει δέ οἱ ἄσπετος ὁρμὴ* demonstrant,
quod redit IX, 242. Diversa autem ratio obtinet X, 444.,
cui *ἄσχετος ὁρμὴ* apprime convenit. Minus contra placebit
VI, 370. *κάρτος ἀάσχετον*, ubi contuleris V, 108. VIII,
428. etsi XIV, 495. *βίη ἄσχετος* tota sententiarum serie
defendi manifestum est. Nam *ἄσχετος* sive *ἀάσχετος*, quod
cum altero facillime confundi poterat, ab eo multum distare
patet. Grammatici antiqui interpretamenti caussa addunt vel
ἀκράτητος vel *ἀκατάσχετος*, cf. Et. M. 161, 23. et Henr.
Steph. thes. gr. ling. ed. Lond. I. pag. 11. s. v. *ἀάσχετος*,

quam ab altera forma *ἄσχετος* diversam dixit Eustathius locis
11 ibi adductis. In quorum postremo, ut vulgo, perverse scribi-
tur *ὅ ποῖος καὶ ὁ γόος*, quum divulsa coniungenda sint: *ὁποῖος
ὁ γ.* Iam vero negari non potest, id, quod immensum (*ἄσπετον*)
sit, interdum etiam intolerabile (*ἄσχετον*) esse, et ita utrumque
uni eidemque rei adiungi posse. Sed tenendum est, hoc illove
addito, sententiam non eandem exprimi. Itaque facinora hor-
renda *ἄσχετα ἔργα*, facta autem fere innumera *ἄσπετα* a
poetis nominari solent. Hoc praebet Quintus V, 65. VI,
236. 292., illud idem XIII, 444. XIV, 439. Apollon. Argon.
III, 606. IV, 742. Sed illic de rerum gestarum atrocitate,
hic nonnisi de factorum vel multitudine vel difficultate men-
tio facta est. Nec dissimili modo in aliis idem explicandum
est. Quint. I, 111. *ἀάσπετον*, VII, 45. 632. *ἄσπετον ἄλγος*,
at ibid. 58. *ἄσχετον ἄλγος*, cui Homericum Il. 16, 549. 24,
708. *πένθος ἀάσχετον* sive *ἄσχετον* respondet. Eiusdem
coloris sunt XIII, 274. *ἀάσπετα πήματα* et V, 141. I, 370.
ἄσχετον πῆμα. In his enim nihil inest, quod in alterutro
vitii suspicionem moveat. Sed unice probandum est *ἄσπετος*
I, 245. VI, 444. VII, 250. 582. IX, 144., contra *ἄσχετος*
plus commendationis habet II, 123. 564. V, 114. 144. 360.
478. VII, 151. IX, 252. 361. XI, 29. XII, 188. XIV, 298.
12 Nullum autem exemplum investigari potest, qua scriptura,
quae nos in hanc disputationem duxit, *ὑπὲρ ἄσπετον αἶσαν*
stabiliri possit. Itaque *ἄσχετον* scribatur necesse est, quod
maiorem veri speciem addunt III, 650. XIII, 473. De iis
locis, in quibus vel *ἄσπετον* vel *ἄσχετον* adverbium est,
quum longus esse nolim, hoc unum adiicio, IX, 2. — —
μάρμαιρε δ' ἀπείριτος ἄσπετος αἰθήρ fortasse *ἄσπετον*,
cll. I, 150. III, 36., emendandum esse. Idem iudico de
Apollon. Rhod. Arg. I, 1235.

— — — *περὶ δ' ἔβραχεν ἄσπετον ὕδωρ*
χαλκὸν ἐς ἠχήεντα φορεύμενον, — —.

Inepta enim est interpretatio vulgaris: ,,*et plurima sonuerat unda in aes sonorum infusa*''. Non quidem urgeam, *ἄσπετον* pro adverbio dictum saepissime soni fragorem exprimere, vid. Apoll. Arg. I, 1247. Quint. II, 474. 545. III,

178. VI, 329. XI, 127. XIII, 103.; at plurimae aquae ne
capax quidem fuit urna, atque Apollonii interpretes graeci
mecum sentiunt, ut Schol. Paris. haec annotant: *ὡς δὲ τὸ
ἀγγεῖον ἐνέβαλεν εἰς τὸ ὕδωρ καὶ τὸ ὕδωρ ἐνεφορεῖτο εἰς
αὐτὸ μετὰ σφοδροῦ τοῦ ἤχου* et q. s. Unum autem loco-
rum, quos supra adduxi, Struvius I, p. 4. recte sanavit, dum
scribit I, 370. *ἄσχετον ἄμμιν ὑπ' Ἄρεϊ πῆμα φέροντες.*
Medicina pari eget I, 76. *ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἀλαοῖσιν ἐπ'
ὄμμασι πολλὰ μογήσας*, vid. XII, 485. — — *ἠδ' ἐπὶ δάκρυ* 13
Χεῦε πατὴρ ἀλαοῖσιν ὑπ' ὄμμασι. Quae corruptela quum
saepius Quinti libros adsperserit labe, Glasewaldum nostrum
in coniectaneis ad Quintum p. 14. bene proposuisse existimo
V, 555. — *ὀλοὴ γὰρ ὑπ' ὀρφανίῃ βαρὺς αἰὼν Πᾶσι πέλει.* —
Sed aliam huius loci emendationem perelegantem, quam idem
nuper mecum communicavit, coronidis loco hic subiiciam. Re enim iterum expensa scribendum ipsi videtur: *ὑπ' ὀρφανίῃ βαρὺς αἰὼν Παισὶ πέλει*, cui invento non repugnant similes loci Homer. Il. 22, 490. Sophocl. Ai. 510. sqq.

V. 506.

τοῖς δ' ἄρ' ἐπεβρόμεον νῆες π α ρ ὰ μυρομένοισιν.

Nisi hic cum editionibus antiquioribus ultima in unum, quod alias nondum conspexi, contrahere velis vocabulum *παραμυρομένοισιν*, nullam vulgatae defendendae spem relictam video. Quamobrem legam *μ ά λ α μυρομένοισιν* i. e. naves *valde lugentibus* obstrepuere.

V. 696. sq.

— — — — *ὁ δ' ἔ κ τ ο θ ε ν Οὐλύμποιο*
Ζεὺς ψέκαδας κατέχευεν ὑπὲρ νέκυν Αἰακίδαο.

Adverbium *ἔκτοθεν* quum nihil aliud Quinto significet nisi
vel *ἔξω* vel *ἔξωθεν*, vid. IX, 436. XII, 34., pro eo
substituendum puto *ἔ κ π ο θ ε ν*, quo motus e loco haud satis
definito indicatur, quodque alio nomine nunc adiuncto nunc 14
omisso dicitur, ut IX, 257. *εἰ μή οἱ μέλαν αἶψα νέφος
κατέχευεν Ἀπόλλων Ἔκποθεν Οὐλύμποιο* —, III, 437. XI,
267. XIII, 446. Apoll. Rh. Arg. II, 224. III, 1289., in
quibus omnibus genitivus ei adhaeret; sine ullo additamento

est apud Quintum VII, 307. VIII, 61. 253. IX, 242. XI, 230. XIII, 538. His iam perscriptis Rhodomannum, qui primum *ἔκτοθεν* voluerat, in curis secundis idem praetulisse animadverti. Caeterum errorem, ubique obvium, quo nomen viri illius praestantissimi littera liquida in fine geminata scribere solent, ab hisce plagulis olim removendum putabam. Quam scripturam veram esse epistola dedicatoria, quam Quinto ipse praemisit, atque inscriptio commentationis de Quinto Calabro eiusque poemate non minus testari videbantur, quam monumentum Rhodomanni sepulcrale per omnes temporum iniurias bene servatum apud nos. At vereor, ne auctor ipse Latinorum consuetudine inductus patriam normam maluerit deserere. Itaque ad id, quod plerique sequuntur, redii.

V. 787.

δῦσαν, ἑὸν στενάχουσαι εὔφρονα Πηλείωνα.

Vide, annon legendum sit *δῦσαν ἀναστενάχουσαι* etc. Nam quanquam Nereides sunt, quae Achillem deflentes mare ingressae dicuntur, tamen scripturam vulgarem ad eas parum quadrare censuerim; cf. III, 408. 422. IX, 65. X, 423. XIII, 505.

PARTICULA SECUNDA.

(MDCCCXVIII.)

Quint. Smyrn. I, v. 97. sq. 3

νηπίη, οὐδέ τι ἤδη ἐϋμμελίην Ἀχιλῆα,
ὅσσον ὑπέρτατος ἦεν ἐνὶ φθισήνορι χάρμῃ.

Quam studiosus Homericae dictionis auctor noster fuerit, haec quoque testari possunt. Eam enim formulam, ab Homero profectam, saepissime in suum usum convertit. I, 374.

νήπιος· οὐδ' ἄρ' ἐφράσσατ' ἐπεσσύμενον βαρὺ πῆμα —
X, 94.

νήπιος· οὐ γὰρ ἐφράσσαθ' ἑὸν μόρον· ἦ γὰρ ἔμελλεν —
Ib., 329.

νηπίη· οὐ δ' ἄρ' ἐφράσσαθ' ἑὸν μόρον· ἦ γὰρ ἔμελλον —
XIII, 20.

νήπιος· οὐ δ' ἄρ' ἐφράσσαθ' ἐπὶ προθύροισιν ὄλεθρον.
Ib., 174.

νήπιος· οὐ δ' ἀπόνητο γάμων, ὧν οὕνεχ' ἵκανεν —
X, 474.

νήπιος· οὐδ' ἀλόχοιο περίφρονος ἅζετο θυμὸν —

Iis solis, qui non translata, sed propria significatione verbum *νήπιος* proferunt, veluti IX, 115. XII, 491. XIII, 257. XIV, 33. 389., seclusis, omnes, quibus eadem est ratio, poetae locos enumeravi. Verum ubi singula accuratius inspexeris, nonnihil in iis melius institui posse apparebit. Nam primum de interpunctione, quam sequi oporteat, controversia movetur. Quintum si unicum locum, quem ab initio posuimus,

exemeris, maiorem distinctionem semper adiecisse videmus. Itaque ad hanc scripti discrepantiam tollendam facile ubivis
4 eandem tenere possemus. Sed officere videtur huic incepto auctoritas Homeri, qui in Iliade sola versus quindecim ita inchoavit, vid. Il. 2, 38. 873. 5, 406. 12, 113. 127. 16, 686. 833. 17, 236. 497. 18, 311. 20, 264. 296. 466. 22, 333. 445. Veteres quidem grammatici, ut Eustathius, Homerum inconsiderate agentibus hoc quasi carmen praefari solere docent. Ita enim ille ad Il. 168, 40 sq. *ἔθος Ὁμήρῳ ἐν πολλοῖς ἀναφωνεῖν τὸ νήπιος, ἐπὶ τῶν μὴ βουλευομένων ἢ μὴ νοούντων καλῶς.* Quae si vera habeantur, ubicunque hoc vocabulum apud Homerum praecesserit, distinctionem graviorem rei magis convenire intelligitur. Nam qui Il. 16, 686.

νήπιος· εἰ δὲ ἔπος Πηληϊάδαο φύλαξεν,

et ibid. v. 46.

ὣς φάτο λισσόμενος, μέγα νήπιος· ἦ γὰρ ἔμελλεν —

ubi Eustath. ait, Patroclum *ἀναφωνητικῶς* ita appellari, praeferendum ducit, is sane vix habebit, quo defendat Il. 17, 236.

νήπιοι, ἦ τε πόλεσσιν ἐπ᾽ αὐτῷ θυμὸν ἀπηύρα.

Nec dici poterit, cur Heynius Il. 2, 873.

νήπιος, οὐδέ τί οἱ τόγ᾽ ἐπήρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον,

contra Il. 20, 296.

νήπιος· οὐδέ τί οἱ χραισμήσει λυγρὸν ὄλεθρον,

dare maluerit, praesertim quum editio Veneta locum utrumque gravius interpungat. Ne multa; in his omnibus, quum iudicium reddatur, quod de hoc illove fiat, exclamationem istam cum sequentibus non tam arcte copulandam censeo. Etenim quae nescienti accidunt, ea ipsi ne vitio quidem verti possunt;
5 multo autem iustius, quae ante minus secum reputavit. Itaque, quae sequuntur, solum ea de caussa adduntur, ut consilium temere initum fuisse eventu comprobetur. Neque aliter hac de re antiquiores praeceperunt, ut Schol. Venet. ad Il. 16, 686: *τὸ νήπιος καθ᾽ ἑαυτό· οὕτως γὰρ μᾶλλον ἐμφαίνει τὸν ἐπισχετλιάζοντα· ἁμαρτάνουσι δὲ οἱ συνάπτοντες.* Quapropter I. Henr. Vossius in interpretatione vernacula ea, quam servandam dixi, distinctione recte usus est, eique et veterum

normae ipse obtemperavi, vid. ad Hom. Il. 12, 113. Sed addendum erit, diversam rationem in iis obtinere locis, quibus nulla particula, verum pronomen inest relativum. Quo illato caussa, ob quam quis temerarius appelletur, ex iis demum, quae insequuntur apparet. Ita res se habet in Il. 8, 177.

νήπιοι, οἳ ἄρα δὴ τάδε τείχεα μηχανόωντο,

Od. 1, 8. Quint. Sm. I, 134. — Iam vero interpunctione rectius collocata, ad alias maculas, quae in Quinti verbis offeruntur, abstergendas pergamus. Etenim, quod alibi *οὐδὲ* vulgatur, cur idem ter X, 329. XIII, 20. 174. *οὐ δὲ* scribatur, nemo perspicit. Hinc futuro posthomericorum editori male distracta non in his solum locis, verum etiam in aliis, ut IV, 516. IX, 300. XI, 481., iterum connectenda erunt. Neque dissimili admodum labe interdum particulae *οὔτε — οὔτε* affectae sunt. Legitur v. c. V, 459. sq. — *οὐδ᾽ ἄρα πρόσσω Ἔσθενον ἀσχαλόων ἐπιβήμεναι, οὔτ᾽ ἄρ᾽ ὀπίσσω,* ubi *οὔτε* utrique loco aptius esse e multis coniici potest, vid. IX, 243. *οὔτε πρόσσω μεμαῶτος ἔτ᾽ ἐλθέμεν, οὔτ᾽ ἄρ᾽ ὀπίσσω,* VI, 74. 91. IX, 505. XI, 253. XII, 210. XIV, 497. Quorum primo idem insidet vitium. Denique ex iis, quae supra 6
attuli, X, 94. sq.

νήπιος· οὐ γὰρ ἐφράσσαθ᾽ ἑὸν μόρον· ἦ γὰρ ἔμελλεν
ἐσσυμένως ἀπολέσθαι ὑπ᾽ ἀργαλέου πολέμοιο. —

et ibid., 329. sq.

νηπίη· οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἐφράσσαθ᾽ ἑὸν μόρον· ἦ γὰρ ἔμελλον
κείνου ἀποφθιμένοιο καὶ αὐτῇ Κῆρες ἕπεσθαι. —

sibi invicem non satis bene congruunt. Haud scio, an praeferendum sit etiam in priore loco: *νήπιος· οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἐφρ.* Caussa novandi patet: nam ita demum haec et cum aliis conspirant, et particula male bis repetita semel removetur. Neque ex uno, cui cum nostro similitudo quaedam intercedit, Quinti versu II, 158.

οὐ γὰρ ἐγώ σ᾽ ἀέκοντα βιήσομαι· οὐ γὰρ ἔοικεν

hic lectis excusatio paratur.

V. 171. sq.

— — — *λυγραὶ δέ μιν ὀτρύνεσκον*
Κῆρες, ὅμως πρώτην τε καὶ ὑστατίην ἐπὶ δῆριν —

In exemplaribus olim vulgatis *ὅπως* fuit; Rhodomannus annotat: „melius *ὁμῶς*," quod lectioni receptae multo praestat. Quintus *ὁμῶς* iuxta atque *ἅμα* triplici usu frequentavit. Nam modo *πᾶς* sive *πάντες* adiunguntur illis, velut I, 704. — — *ἐπεὶ μακάρων μεδέοντι Πάντες ὁμῶς εἴκουσιν Ὀλύμπιοι*, III, 322. 675. V, 394. IX, 487. alibi, modo dativus nominis sequitur, vid. I, 697. *λάβρος ὁμῶς ἀνέμοισιν ἀποῤῥήξῃ Διὸς ὄμβρος*, modo, particula vel simplici vel duplici adscita, duo una adesse aut idem facere indicat; ita habes
7 I, 251. *ῥοῖζον ὁμῶς καὶ δοῦπον ἐρειπομένη προΐησιν*, add. I, 384. III, 581. IV, 480. V, 266. X, 463. XII, 335. 367. XIII, 95. Haec quidem ratio in nostro loco valet.

V. 195. sq.

αἴδεο δ', ὡς ἔτι παῦροι ἀφ' αἵματος ἐσμὲν ἀγανοῦ
Δαρδάνου, ὡς ἀδάϊκτος ἔτι πτόλις, — —

Ut vulgo haec leguntur, versioni a Rhodomanno exhibitae parum respondent; reddidit ille: „*parce, dum adhuc pauci supersumus de sanguine nobilis Dardani, necdum urbs excisa est.*" Utrique igitur versui *ἕως* restituendum erit, quod, quum synizesin eius verbi usitatissimam librarii ignorarent, male reiectum est. Hinc nunc quidem commode legitur apud nostrum II, 57.

— *ἕως οὐ κτῆσιν ἀνάρσια φῦλα δέδασται*
ἡμετέρην, οὐδ' ἄστυ κατήνυκε πῦρ ἀΐδηλον.

At pari modo scribi debet XIII, 200. *ἀλλά μοι ἕως ἔτι κάρτος ἀέξεται* —.

V. 217.

ἀλλ' ἄγε θάρσος ἄατον ἐνὶ στήθεσσι λαβόντες.

Novo huic dicendi generi nondum tantam statuo fidem, ut id genuinum existimem. Bene quidem *λαμβάνειν τι* coniungitur; at iis dumtaxat rebus, quas re vera manu prehendere possis, aptum videtur, ut II, 452. — *παλάμῃσι λάβεν πολυμήκετον ἄορ*. Ubi autem de affectu quodam animi sermo

est, illum ipsum hominem vel invitum subire manifestum est. Haec vere dici, qui de his rebus iudicare possunt, libenter concedent. Quint. I, 404. — *πολέμοιο δ' ἔρως λάβεν Ἱπποδάμειαν*. II, 6. — — *ἐπεὶ φόβος ἔλλαβε πάντας*· 8
porro conferantur hi loci: II, 91. 513. IV, 493. VI, 600. IX, 7. XI, 40., qui suspicionem corruptelae reddunt certissimam. Itaque litterarum ordinem immutandum statuo, sic quidem: *θάρσος ἄατον ἐνὶ στήθεσσι βαλόντες*. Id enim ut *τιθέναι*, *πίπτειν* aliaque, nullam praebere offensionem testimoniis sat idoneis evincitur. Ut Homerum omittamus, Quintus et ipse persaepe habet similia, ut VIII, 261.

τλῆτε φίλοι, καὶ θάρσος ἐνὶ στήθεσσι βάλεσθε.

IX, 275.

κλῦτε φίλοι, καὶ θάρσος ἐνὶ στήθεσσι βάλεσθε.

Add. I, 409. IX, 85. 493. XII, 229. 370. His firmatur altera Rhodomanni coniectura, ad VI, 604., ubi haec leguntur:

ὦ φίλοι, εἰ δ' ἄγε θυμὸν ἕνα στέρνοισι βαλόντες,
τεύξωμεν Δαναοῖσι φόνον καὶ Κῆρ' ἀΐδηλον,

prolata. Nam quum versus antea mutilatus ferretur, ille huic defectui medelam admoturus, vel *ἕνα* vel *ἐνὶ* proposuit. Quorum alterum priori anteponendum esse, ex iis, quae hic memorata sunt, coniici potest. Minus recte IX, 275. *κλῦτε φίλοι*, ut primo congruat loco, olim mutandum putabam in *τλῆτε φίλοι*· illud enim nec numeris repugnat, et sententiae longe aptius est. Cum ista locutione Quinto familiari, quam hic explicui, bene comparari potest altera, ipsi non minus cognita: *δέος τινὰ ἀμφέχει*, quam Struvius in programmate primo, de Quinto conscripto, p. 9. paucis illustravit. Quae quum non minus casum quartum constanter adiunctum habeat, X, 54.

οὔτινι φαινομένη· περὶ γὰρ νέφος ἄμφεχεν ὤμους —

refingendum erit; vid. simillima V, 106. VI, 293. IX, 394. X, 460. XIII, 12.

V. 231.

ὅς ῥα πάρος Φυλακῆθεν ἐπέσπετο Πρωτεσιλάῳ. 9

Haec non tamdiu patienda erant. Quintus enim ubique litteram adspiratione instructam praefert, ut III, 638. *Ὀρφεύς*,

οὖ μολπῇσιν ἐφέσπετο πᾶσα μὲν ὕλη, XI, 13. *λαοὺς ὀτρύνεσκον· ἐφέσπετο δέ σφισι Δεῖμος.* Add. II, 579. *ἐφέπονται*, I, 177. II, 214. VI, 522. V, 63. XI, 224. 376. *ἐφέποντο*, V, 193. *ἐφέπεσθαι*, XIII, 195. *ἐφέψεται.*

V. 341.

— — — *θοοὶ δέ μιν ἄνδρες ἕποντο.*

Iterum, quod Rhodomannus expellendum vidit, remansit vitium. Nam quum *μιν* nonnisi accusativi vice fungatur, id ad *ἕπεσθαι* nullo modo quadrat. Res ita manifesta est, ut nulla propemodum alia egeat auctoritate; vide tamen IV, 207. — *λαοὶ δὲ συνέδραμον, οἵ οἱ ἕποντο.*

V. 383. sq.

— — — — — *καί οἱ ἄεξεν*
ἀλκὴ ὁμῶς καὶ θάρσος ἐπίπλεον. — —

Nisi Quinti ipsius intercederet consuetudo, *ἔτι πλέον* hic melius videri possit. Nostro autem *ἀέξειν ἐπὶ πλέον*, *in maius crescere* sive *augeri*, satis cognitum fuit; passivam enim notionem tum verbo inesse Tychsenius in commentatione de Quinto Smyrnaeo sect. II. §. XVI. p. LV. bene observavit. Eius generis est IX, 16.

ἀλλὰ φόνος τε καὶ οἶτος ἐπὶ πλέον αἰὲν ἀέξει.

Neque ab his valde distant, quae ibidem v. 524. leguntur: *βέλτερον ὑπνώειν, ἢ ἐπὶ πλέον εἰλαπινάζειν*, poetaeque alii similiter dicunt, ut Nicand. Th. 750. — *ἐπὶ τυτθὸν ἀείρεται αὐχένι κόρσῃ*, de quorum structura non assentior Schneidero. Inde vero efficitur, quae minus recte coaluerint, apud Quintum
10 separanda esse. Alibi contra particula *ἔτι* librariorum incuria reperitur oblitterata; ita vix cuiquam dubium erit, quin III, 261.

ἀλλὰ καὶ εἰ κείνοιο φύγες μένος, οὔ σέ τ' ἔγωγε
ζωὸν ἀπὸ πτολέμοιο μεθήσομαι ἀπονέεσθαι. —

restituendum sit: *οὔ σ' ἔτ' ἔγωγε.* Neque aliter iudico de iis, quae V, 515. obvia sunt, quem locum emendatius sic scriptum velim:

οὐ γὰρ τοῖςδ' ἔτι θάρσος, ὅσον πάρος ὀλλυμένοισιν
ἔσσεται ἐν πολέμῳ· σὺ γὰρ ἔπλεο πήματος ἄλκαρ·

οὐδ' ἔτ' ἐμοὶ νόστοιο τέλος, σέο δεῦρο θανόντος,
ἁνδάνει, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὀΐομαι ἐνθάδ' ὀλέσθαι.

Alibi non forma decurtata eius particulae, quae in exemplis allatis sincero offecisse videtur, librarios in errorem induxit, sed pronomen *τι* confusionis ansam dedit. Nam quod VII, 128. sq.

— — — — *οὐδέ τι θυμῷ*
ἔσθενον Εὐρυπύλοιο καταντία δηριάασθαι,

vulgatur, id scribendum esse *οὐδ' ἔτι θυμῷ Ἔσθενον* — indicant II, 635. III, 179. VIII, 355. X, 236. XIII, 283. His minime adversantur V, 22. XIV, 438.; in neutro enim pronomen abesse potest. Sed ad priorum legem exigendi sunt duo alii loci VII, 64. XIV, 344., quibus *οὐδ' ἔτι* longe accommodatius altero videtur. Iam, ut damnum, quod hic passum sit, pronomini quodammodo rependatur, ei locus concedendus erit VI, 37.

οὐ γάρ τι ζήλοιο πέλει στυγερώτερον ἄλλο,

quum *τοι*, quod nunc adest, in hac coniunctione parum elegans 11
sit, cf. VI, 205. VII, 280. IX, 94. XIII, 240.

οὐ γάρ τι ψυχῆς πέλει ἀνδράσι φίλτερον ἄλλο.

Hinc quoque VII, 285. *οὕνεκεν οὔ τι τέτυκται ὀϊζυρώτερον ἄλλο* restituendum esse patet. Vix autem dici potest, quoties verba, prave vel distracta vel connexa, in Quinti libris vitia procreaverint. Id in particulis *ἠμὲν — ἠδὲ* passim factum esse, in mantissa observ. ad Quint. p. 215. ipse admonui. Restant, quae tum meam curam effugerunt, VII, 438.

ἢ μὲν Ὀδυσσῆος πυκιμήδεος, ἠδὲ καὶ ἄλλων —.

Eodem ex fonte mendum, quod XII, 580. detexisse mihi videor, haud dubie est repetendum. Verba sunt haec:

ἡ δ', ἅτε πάρδαλις ἔσσυτ' ἐν οὔρεσι καγχαλόωσα,
ἥντ' ἀπὸ μεσσαύλοιο κύνες μογεροί τε νομῆες
σεύοντ' ἐσσυμένως, ἡ δ' ἄγριον ἦτορ ἔχουσα
ἐντροπαλιζομένη ἀναχάζεται, ἀχνυμένη περ.

Componitur hisce Cassandra, quae equum ligneum, Graecorum insidiis plenum, ferro igneque vastatura accesserat, sed a Troianis, nihil fraudis suspicantibus, repulsa abiit, cum panthera, canum ac pastorum vigiliis ab ovilibus fugata. Iam

quomodo pantheram istam laete redeuntem poeta dicere potuerit, neminem facile assecuturum crediderim. Rhodomannus, dum *καγχαλόωσα* reddidit *infrendens*, inepta haec esse sensit, nec vero locum sanavit. Mihi quidem persuasum est, vulnus id, quod manum medicam diu efflagitavit, *ν* finali extrito ortum esse. Hinc emendo *ἅτε πάρδαλις ἔσσυτ᾽ ἐν οὔρεσιν ἀσχαλόωσα.* Quod vocabulum de vehementi animi perturbatione nostro valde usitatum est. Idem vero comparationi
12 hic lectae egregie convenire indicio esse possunt VII, 464. sqq.

ὅσσε δέ οἱ μάρμαιρεν, ἀναιδέος εὖτε λέοντος,
ὅςτε κατ᾽ οὔρεα μακρὰ μέγ᾽ ἀσχαλόων ἐνὶ θυμῷ
ἔσσυται ἀγρευτῆρσιν ἐναντίον, — — —

adde VII, 330. XII, 493. Pariter rei ipsi, cuius mentionem feci, accommodate ita scribitur, vid. II, 174.

ὄφρα καὶ (ita lego) *ἀσχαλόων τις ἀπὸ πτολέμοιο τράπηται.*

Caeterum litteram *γ*, quae hunc errorem peperit, crebro libris graecis male intrusam esse a viris doctis observatum videmus, cf. Iacobsium ad Anthol. Pal. p. 26. 305. Inde manifestum est, quomodo *ἀγείρειν* et *ἀείρειν* apud nostrum II, 577. confundi potuerint, cui loco Glasewaldus in coniectan. ad Quintum iure restituit: *σῶμ᾽ ἀναειρόμενοι.* Nec, quod Rhodomanno ibi placuit, defendi potest e l. VII, 93. *ὣς εἰπών μιν ἔγειρεν ἀπὸ χθονὸς, οὐκ ἐθέλοντα Παρφάμενος μυθοῖσιν·* etenim hic vivus excitatur, illic mortui corpus attollitur. Eadem littera male adhaeret VI, 457. sq.

ἧστο παρ᾽ ὠκυπόροισι, τετυγμένα δούρατι φωτῶν
ἕλκε᾽ ἀκειόμενος. — — —

Quo modo auctoris manus reducenda sit, demonstrant IV, 396. sq. lecta, ubi de eodem Podalirio:

— *τῶν δ᾽ ἀμφιτετυμμένα τύμματα φωτῶν*
ἠκέσατ᾽ ἐνδυκέως Ποδαλείριος, — — —

siquidem *ἀμφιτετρυμμένα τύμματα* displicent, et XIII, 146.

ἀλλ᾽ οἱ μὲν δεπάεσσι τετυμμένοι, οἱ δὲ τραπέζαις,

satis aperte removentur. Prius allata versum alium in memoriam revocant, qui legitur I, 247.

Ἰδομενεὺς δὲ Βρέμουσαν ἐνήρατο δούρατι μακρῷ
δεξιτερὸν παρὰ μαζόν· — — —

Rhodomannus etsi his nihil offensus vertit: „*porro Idomeneus Bremusam longa hasta lethaliter sauciat*,“ tamen de
hac structura dubium mihi natum est. Reliqua, dummodo 13
ultima non adiecta essent, ferenda putarem, cf. XI, 79. Quae quum ita sint, paene suspicor olim adfuisse: *ἐνήρατο δούρατι τύψας* vel simile quid. Id certe Quinti sermo in aliis agnoscit, veluti III, 309. — — *ἔγχεϊ τύψε Πάρ γόνυ δεξιτερὸν* —, VI, 575. *Νέστορος ὄβριμος υἱὸς ὑπὲρ γόνυ δούρατι τύψεν*, ib., 587. Nisi cum Rhodomanno statuere mavis, Quintum verbi illius significationem paullulum immutasse. Occurrunt enim apud ipsum, quae alibi vix apparent. Huc refero frequentem generis enallagen post nomina *μένος* et *βίη*, ita I, 154. sq.

ἐς γαῖαν προΐησι Διὸς μένος ἀκαμάτοιο,
δεικνὺς ἀνθρώποισι μένος βαρυηχέος ὄμβρου,

VI, 212. sq.

ἄγχι δέ οἱ πεπόνητο μένος πολυδειράδος Ὕδρης,
αἰνὸν λιχμώωσα· — — —

Ib., 220. sq.

ἐξείης δ᾽ ἐτέτυκτο βίη συὸς ἀκαμάτοιο,
ἀφριόων γενύεσσι· φέρεν δέ μιν, ὡς ἐτεόν περ κτλ.

Rhodomannus igitur, quum I, 58., de quo versu nuperrime dixit Struvius in programm. altero p. 3., eandem generis enallagen deprehendere sibi videretur, fortasse recte iudicavit. Denique adiicio, me XII, 580. consulto scripsisse *πάρδαλις*, quod vulgari *πόρδαλις* praeponendum esse ad Homer. Il. 13, 103. demonstrare studui.

I, 484. sq.

— — — *ἐπεσσυμένοις δ᾽ ἄρα χάρμα*
ἔπλετ᾽, ἀπολλυμένων δὲ πολὺς στόνος· —

Orationis concinnitati, cui poetae epici studere solent, subita casus mutatio repugnare videtur. Iam particula deleta uno tenore legere possemus: *ἔπλετ᾽ ἀπολλυμένων πουλὺς στόνος* i. e. *incursantibus multus caesorum eiulatus gaudio fuit.* Nam
alibi etiam hanc voculam temere irrepsisse conspicimus; sic 14
vulgo editur VI, 62.

πέρσειν Ἴλιον αἰπύ· τόδε δὴ νῦν ἐκτελέουσιν —

ubi hoc additamento et versus perit, et simplex *δὴ* sufficit, cf. IV, 61.

καὶ τὰ μὲν ὣς ὥρμαινε, τὰ δὴ μετόπισθε τέλεσσεν.

V, 359.

καὶ τὰ μὲν ὣς ὥρμαινε, τὰ δὴ τάχα πάντ' ἐτέλεσσεν,

quibus finitima exempla habes II, 589. 646. V, 627. VI, 95. 471. 606. VII, 444. XIII, 555. Ne quis autem obiicere possit, formam ionicam *πουλὺς* modo in regionum singularum initio adhibendam esse, efficient VI, 110. VII, 197. IX, 184. XI, 179., in quorum primo

— — — *πουλὺς δὲ κατ' αὐχένος ἠδὲ καὶ ὤμων*
ἱδρὼς ἀμφοτέροισι κατέσσυται ἄχρις ἐπ' οὖδας. —

auctori reddendum esse ex Apoll. Rh. Arg. I, 1067. Quint. Smyrn. II, 231. XIV, 171. aliisque intelligere licet. Sed emendatio supra proposita nihilominus fide destituitur, quum hic gaudium vincentium luctusque caesorum sibi invicem opponantur. Homeri enim exemplum Quinto obversatum est, vid. Il. 8, 64. sq.

ἔνθα δ' ἅμ' οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν,
ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων, — — —.

Hoc si vere se habet, particulam *δὲ* intactam servandam esse nemo negabit. Nihil vero obstat, quominus scribamus: *ἐπεσσυμένοις δ' ἄρα χάρμα Ἔπλετ', ἀπολλυμένοις δὲ πολὺς στόνος·* ita quidem de Achille habemus XIV, 182.

— — — *Τρωσὶν ἄχος πέλε, χάρμα δ' Ἀχαιοῖς.*

Vocabulum *αἰπὺς,* quo poeta Homeri de more in versu paullo ante correcto Ilium appellat, neglectum est V, 453.

ἡ δὲ θοῶς ἵκανε ποτὶ Στυγὸς αἰνὰ ῥέεθρα.

Iam etsi largiar, Graecos in multis *αἰνὸς* et *αἰπὺς* sine ullo fere discrimine usurpasse, id quod Quinti ipsius scripta ostendunt, hoc tamen in loco *Στυγὸς αἰπὰ ῥέεθρα* substituenda esse mihi persuasum est. Stygia enim fluenta sic appellari notum est; praeivit Homerus Il. 8, 369. *οὐκ ἂν ὑπεξέφυγε Στυγὸς ὕδατος αἰπὰ ῥέεθρα.* Unde idem ad alios amnes alii transtulerunt, velut Apoll. Rh. Arg. I, 927. —— *κούρης Ἀθαμαντίδος αἰπὰ ῥέεθρα Εἰσέβαλον* —.

PARTICULA TERTIA.

(MDCCCXXXVII. *)

Quum ante hos viginti annos inter alia epicorum grae- 1161
corum monumenta Quinti libros attigissem, maxima eorum depravatio effecit, ut in iis diutius subsisterem et emendationes hoc ex studio subortas libello de versu Graecorum heroico, cuius editio tunc parabatur, comites adiicerem. Iis enim propositis scriptori admodum corrupto aliorum ingenium et doctrinam plus emolumenti allaturum esse sperabam. Neque ea exspectatio vana fuit atque irrita: nam praeter Eduard. Gerardum, qui eodem fere tempore in lectionibus Apollonianis similia similiter tractavit, plures alii ad Quintum emendandum ac perpurgandum excitati multa, quae adhuc latuerant vitia, sagaciter detexerunt et feliciter sustulerunt. Postea apparatus Tychsenii beate defuncti, qui unus post Rhodomannum Quinti sospitator exstitit, in meas pervenit manus; eo vero, fato quodam infelici obstante, minus uti licuit. Primum enim a bibliopolis, quibus meam offerebam operam, vel nihil responsi vel repulsam adeo tuli, novam Quinti editionem, ex qua nullum aut certe exiguum sibi spondebant lucrum, aperte recusantibus. Accessit, quod duobus in gymnasiis, Erfurtano et Vitebergensi, negotiorum multitudo ac difficultas nova mihi obiiceret impedimenta et alias super alias necteret moras. Nec tamen consilium abiiciendum, sed exsequendum putavi. Quem in finem schedas traditas diligentius examinavi, et alia,

*) Edita est in Zimmermanni diariis antiquitatis studio dicatis a. 1837.

quae Quinti operi commodo esse poterant, sedulo conquisivi. His igitur subsidiis instructus tres priores libros ac dimidium fere quarti accuratius perlustrando velut prima editionis futurae posui fundamenta. Verum Iliados Homericae cura intervenit et me ab itinere coepto avocatum eo perpulit, ut ad Quintum expoliendum spisse ac vix redirem, praesertim quum et valetudo, quae commoda aeque ac firma olim fuerat, sensim decresceret, neque operae scholasticae moles levaretur. Quae quum ita sint, telam interruptam ne nunc quidem pertexere licet. Interea vero, ut fit, Quinti cura aliorum, qui provinciam derelictam sibi expetant, movit ardorem et cupiditatem. Scio enim Gruebenavium Borussum et Koechlyn Grimmanum vel de iusta poetae illius editione cogitare vel alio certe modo eius posthomerica esse castigaturos. Quorum coeptis, ut laetus et felix respondeat eventus, in maius scriptoris, si non perfecti numerisque suis absoluti, certe docti neque inepti ornamentum vehementer exopto. Uterque autem, quae in animum sibi induxerint, benigne mecum communicarunt, eorumque voluntati, quantum quidem in me erat, non defui. At vero H. Bonitius, qui Dresdae munere scholastico fungitur, ad hos tertius nuper accessit, et horreo Zimmermanni, antiquitatis studio dicato, anni prioris inde a pag. 1221. sym-
1162 bolas criticas, quibus Quinti menda detergeret, curavit inserendas. Cui quum et mea saepius vituperet, et alia minus vere praecipiat, pauca reponere non a re duxerim. Primum autem mea aliorumque, quae ille suopte ingenio se reperisse opinatur, repetere ac singula quaeque suo auctori vindicare in animo est, deinde eas coniecturas, quibus vel nulla vel exigua subest fides, propius inspiciamus, denique, si quidem fieri poterit, mea defendere ac tueri studebo. Tria vero ista quum in eius symbolis passim confusa et permixta sint, fines praescriptos migrare et alia aliis iisque diversis adiungere erit necessarium. Ille igitur nec virorum doctorum libros, qui in omnium sunt manibus, ea, qua par erat, diligentia consuluit, nec singula quaedam, quae ad Quintum proxime spectant, habuit cognita. Quo factum est, ut non ita raro acta ageret et trita dudumque monita tanquam nova et in-

audita apponeret. Ignoravit enim et tres Struvii libellos scholasticos, quibus plura poetae nostri menda acute removentur, Regiomontii Prussorum a. huius saeculi XVI. XVII. et XXII. editos, et duas observationum criticarum et grammaticarum in Quinti posthomerica particulas, Vitebergae a. MDCCCXVIII. a me ipso in lucem emissas, nec Glasewaldi coniectanea anno prius evulgata comparavit: imo sunt Rhodomanni quaedam et Pauwii inventa emendationibus ab eo propositis admixta. Ex eorum autem genere, de quibus alii iam dixerunt, primus statim est locus, e l. IV, 93. sqq. petitus:

ἀλλὰ χρὴ ἐν νήεσσι μένειν, ἄχρις ἐξ ἁλὸς ἔλθῃ
δῖα Θέτις· μάλα γάρ οἱ ἐνὶ φρεσὶν ἥδεται ἦτορ
υἱέος ἀμφὶ τάφῳ περικαλλέα θεῖναι ἄεθλα.

Equidem a Thetide filii mortem deplorante gaudium alienum esse in mantissa observationum ad Quintum p. 224. statueram, eaque de caussa *ἔλδεται ἦτορ* exemplis, ut putabam, idoneis comprobatum suaseram. Iam Bonitius, qui alia maiora etiam audet, id a litterarum figura longius recedere deaeque aptius credit p. 1221. *ἐνὶ φρεσὶ μήδεται·* Thetin enim non solum *cupere* (*ἔλδεσθαι*) certamina instituere, sed eius rei consilium cepisse et iamiam esse exsecuturam. At matri dolore et tristitia paene confectae hoc minus convenire Iacobsius, qui in animadversionibus ad anthol. Pal. p. 195. idem coniectura repererat, prudenter intellexit. Itaque indici scriptorum, qui in notis illustrantur et corriguntur, p. 1021. haec allevit: „rectius h. l. Spitznerus de versu gr. her. p. 224. emendavit *φρεσὶν ἔλδεται.*“ Ad eius igitur iudicium in caussa ambigua licebit provocare.

I, 189. sqq., de quibus varie multumque disputatum est, Bonitius p. 1226. sq. sic constituit:

ἀζόμενος τεὸν υἷα πελώριον ὄβριμον Ἄρην,
αὐτήν θ᾽, οὕνεκ᾽ ἔοικεν ἐπουρανίῃσι θεῇσιν
ἐκπάγλως, ᾗ σεῖο θεοῦ γένος ἐστὶ γενέθλης.

Sustulit igitur colon in fine versus secundi positum et *ἐκπάγ-* 1163
λως, quod sequentibus erat iunctum cum antecedentibus commisit; tum *δὴ σεῖο*, ex quo Tychsenius fecerat: *δ᾽ ἡ σεῖο, θεοῦ γένος, ἐστὶ γενέθλης*, in relativum mutavit, totum locum

interpretatus hisce: „*ipsam reveritus, quia mirum quantum deabus coelestibus similis est, ut quae dei proles s. divina proles ex tua stirpe sit.*“ In quibus et distinctionem vulgarem commode transtulit, et ultima recte explicuisse videtur, cf. excurs. IX. ad Il. p. 3. sqq. Sed ἤ nimio a Penthesilea distat intervallo, quam ut bene cum illa coire idque, quod auctor horum sumpsit, nobis possit significare. Itaque teneo, quae olim ipse ad haec verba in ephemer. litter. Ienens. a. 1814. complementis vol. II. p. 371. annotavi:

ἐκπάγλως, καὶ σεῖο θεοῦ γένος ἐστὶ γενέθλης.

Nam *ἐκπάγλως* ad *ἔοικε* referri consentaneum erit, etsi aliter iudicavit Glasewaldus coni. p. 8.

Nec minus I, 217.

ἀλλ' ἄγε θάρσος ἄατον ἐνὶ στήθεσσι λαβόντες, —

dudum eodem modo, quo hic sanatum videmus p. 1228., in observat. part. II. p. 7. sq. emendavi, exemplis allatis, quibus verborum *βαλεῖν* et *λαβεῖν* discrimen luculentius appareat.

III, 439. sqq.

οὐ γάρ τις π ι σ υ ν ό ς γε σάκος μέγα νωμήσασθαι, —
ἰοῖσίν γ' ἀπάνευθεν ἐ π ε σ σ υ μ έ ν ω ς πολεμίζει.

suspectum habet Bonitius p. 1229. adverbium, quo laus contineatur, additque: „utrum autem eius loco scriptum censeam *ἐ π ε σ σ υ μ έ ν ο ι ς*, *sagittis, quae eminus feruntur*, an *ἐ π ε σ-σ υ μ έ ν ῳ*, *sagittis eminus cum eo pugnat, qui in ipsum irruit*, non ausim dicere.“ At singularis sententiae generali parum concinit. Quare pluralem cum sagittis iungendum requirit Glasewald. p. 13. Neque tamen negari poterit, ex eo novam oriri ambiguitatem. Unde nihil omnino mutare satius erit. Praeterea emendator, qui et alibi saepe tenorum pravitatem ab antiquissimis editionibus propagatam minus animadvertit, *πισυνός γε*, cui *πίσυνός γε* substituendum erat, patientius tulit, cf. V, 223. 284. VI, 421. XI, 448.

III, 457.

Πηλεὺς, ὃς μακάρεσσι φίλος π ε ρ ι ώ σ ι ο ς ἦεν.

Bonitius duplici adiectivo offensus p. 1230. *περιώσιον* re-

poscit; idem vulneri isti remedium applicui in observat I. p. 8. Simile ille exemplum e l. IX, 1. sq.

ἦμος δ' ἤνυτο νυκτὸς ἀ π ὸ κ ν έ φ α ς, ἔγρετο δ' ἠὼς
ἐκ περάτων, μάρμαιρε δ' ἀ π ε ί ρ ι τ ο ς ἄ σ π ε τ ο ς αἰθήρ. —

removet *ἀπείριτον* scribendo, quod iam Rhodomannus pracivit, etsi *ἄσπετον* haud absonum haberi potest. Ad prius autem stabiliendum praeter XIII, 279. laudari poterant III, 386. IV, 415. 557., neque *ἀπὸ κνέφας* sanum est. Adverbii enim tenorem, quod id ad verbum est referendum, vid. V, 1. Hom. Od. 7, 526., inclinari oportet. Eadem in pag. III, 537. sqq., ubi Minerva Achilli interfecto supercilium exasperasse dicitur hisce:

σμερδαλέον δ' ἄρα τ ε ῦ ξ ε ν ἐπισκύνιον περὶ νεκρῷ,
ο ἷ ο ν ὅ τ' ἀμφ' ἑτάροιο δαϊκταμένου Πατρόκλοιο
χ ω ο μ έ ν ο υ ἐπέκειτο κατὰ βλοσυροῖο προσώπου·

Bonitius et in genitivorum multitudine et in comparandi voculis haeret. Quo duplici incommodo Quintum liberaturus *χωομένῳ* et *οἷόν τ' ἀμφ' ἑτ.* proponit. Horum alterum Pauwii est, alterum parum praebet utilitatis. Etenim quum Minerva, ut Achillis corpus a putredine intactum servaretur, ambrosiam super caput effudisse et eius ope mortuum vegetum 1164
vivoque similem reddidisse tradatur, alia quaedam exspectari patet. Latent igitur altius, si quae subsunt, menda; ea vero subesse quum ex insolita verborum postremorum structura, vid. dissertat. meam de vi et usu praeposition. *ἀνὰ* et *κατὰ* apud Homer. p. 26., tum ex praecedentibus, in quibus *ἔτευξεν* et *ἐπέκειτο* sibi minus respondent, disci poterit, cf. III, 419. sqq. IV, 306. XII, 267. 409. XIV, 181. Itaque Hermannus in opusc. vol. V. p. 48. sqq. totum locum ita putat refingendum:

σμερδαλέον δ' ἄρ' ἄ τ υ ξ ε ν ἐπισκύνιον περὶ π ά ν τ α ς,
οἷον ὅτ' ἀμφ' ἑτάροιο δαϊκταμένου Πατρόκλοιο
δ ε ι ν ὸ ν χωομένου β λ ο σ υ ρ ῷ ἐπέκειτο π ρ ο σ ώ π ῳ.

Horum ultima et proxime accedunt ad Theocriti XXIV, 116. *τοῖον ἐπισκύνιον βλοσυρῷ ἐπέκειτο προσώπῳ*, quorum noster etiam recordatus est, et ulcus paene insanabile tollunt. In prioribus verbum rarum *ἀτύζω*, nec, quantum scio, Quinto

notum et audaciora, quae versu exeunte tentavit Hermannus, praesertim quum in eiusmodi comparationibus plana et perspicua expetere soleant veteres, aliquam movent suspicionem. Atque haud scio, an aliis satisfactum fuerit, si rescripsero:

σμερδαλέον δ' ἄρα δεῖξεν ἐπισκύνιον περὶ νεκρῷ,

in mortuo truculenta supercilia ostendit. Ei enim recepto *ἐπέκειτο προσώπῳ* egregie convenire intelligitur.

Non ita multo post p. 1232. V, 70. sqq.

— — — — *ἀνεδύετο πόντου*
Κύπρις ἐϋστέφανος, τὴν δ' Ἵμερος ἀμφεποτᾶτο,
μειδιόωσ' ἐρατεινὰ σὺν ἠϋκόμοις Χαρίτεσσιν. —

ad generis enallagen vitandam *μειδιόων ἐρατ.* tentatum videmus. Eo iam Pauwius et Scaliger, cf. Dorvill. vannum critic. p. 584., usi sunt, nec dispar est VII, 313. At ista generis permutatio Quinto familiaris, vid. Struv. libell. II. p. 3. et observ. II. p. 13., alibi regnat, unde I, 58. *μειδιόωσ' ἐρατεινὸν* alii immerito vel in disceptationem vocarunt, vel peius etiam, accentu ultimae appicto, pro dativo acceperunt.

XI, 379. sq.

πουλὺς δ' ἀμφὶ φάλαγγι δρόμος· καναχὴ δ' ὑπὸ ποσσὶ
νισσομένων ἐτέτυκτο· — — —

Bonitius p. 1238. *βρόμος* restituit, Lobeckius apud Struvium I. p. 12. scitius, opinor, *θρόος*. Quanquam horum neutrum alibi legitur in posthomericis, dissonus tamen clamor rei aptior videbitur strepitu, nec disparia sunt Homero Il. 4, 436. sqq. Quod reliquum est, colo sublato, posteriora prioribus arctius esse copulanda iure admonuit Struvius.

Sequente pagina XII, 102. sq.

μάντιν ἀγασσάμενοι, τὸν ἄρ' ἐκ Διὸς ἔμμεν' ἔφησαν,
ἢ Διὸς ἢ Φοίβοιο· πίθοντο δέ οἱ μάλα πάντα. —

haec adscripta legimus: „nisi quis in priore versu scribendum existimaverit *θεοῦ*, quo nomine universali reposito in posteriore versu disiunctiva suum haberet locum, facilius removebitur offensio, quae nunc inest verbis *ἢ Διὸς ἢ Φοίβοιο*, si pro *ἢ Διὸς* scripserimus *ἐκ Διός*.“ Quibus adiecit exempla quaedam huius *ἐπαναλήψεως* Homerica. Unum vero horum olim mihi

venit in mentem, vid. Glasewald. coni. p. 9., alterum Iacobsius per litteras mecum communicavit. Etsi prudenter admonuit, ubi nomina *Διὸς* et *Φοίβοιο*, utpote sibi invicem opposita, gravius fueris proloquutus, ne opus quidem videri praepositione repetita.

Ut h. l. disiunctiva iterata, similiter alii adversativa du- 1165
plex medicas adduxit manus XIV, 166. sqq.

μηκέτι νῦν μέμνησ', ἀλλ' ἴσχομεν ἄλγεα θυμῷ·
ἀλλὰ τὰ μέν που πάντα μέλας δόμος ἐντὸς ἐέργει
λήθης· — — — —

Glasewaldus enim p. 17. *ἄσσ' ἴσχομ. ἄλγ. θ.* proposuit, Bonitius, cui p. 1241. sensus verborum ineptus atque incommodus videtur, maiore etiam molimine *ἄτ' ἐπάσχομεν ἄ. θ.* Utrumque falsum, certe supervacaneum habuerim, neque ullam, quae Tychsenii fuit suspicio, lacunam subesse crediderim. Primum enim *ἀλλὰ* pro epicorum more iteratum neminem potest offendere, vid. Passovii lex. s. v. *ἀλλὰ*, deinde *ἴσχομεν* adhortandi vim habet, idemque atque *ἴσχωμεν* significat, velut et activum Od. 19, 42. et medium 22, 411. *ἐν θυμῷ, γρηῦ, χαῖρε καὶ ἴσχεο, μηδ' ὀλόλυζε*, quod et ipsum Quintus aliquoties sic dixit, vid. III, 633. 770. 779. VII, 38. XIII, 409. XIV, 187.; porro pluralis adest IV, 266. XII, 206. XIII, 334., activum denique IX, 313. *ἴσχε, τέκος, καὶ μή τι πελώριον υἷ' Ἀχιλῆος Κτείνῃς.* Deinde versu sequente aptior erit optativus, quem Rhodomannus latine expressit. Menelaus igitur ait: *ne iam horum recordare, sed dolorem animo contineamus, verum haec potius omnia sempiternae tradamus oblivioni.* Quae si vere disputata fuerint, et mutatione et lacuna facile carebimus. — Caetera eiusdem generis, quibus quod addam non habeo, acervatim iam dicam: V, 362. *ἰρῶν μνωομένη, τά οἱ ἔμπεδα κεῖνος ὄρεξεν· ἔρεξεν*, quod Bonitius p. 1231. suppeditat, occupavit Struvius I. p. 6. — VI, 53. sq. *δεῖπνον ἐφοπλίσσασθαι ἅπαντας Ἀνέρας ἠδ' ἵππους· αὐτοῖς ἠδ' ἵπποις*, quod p. 1233. profertur, iisdem de caussis appinxit Pauwius. — Ib. II, 174. *ὄφρα καὶ ἀσχαλόων τις ἀπὸ πτολέμοιο τράπηται* particulam *ὄφρα καὶ* instauratam dedi in observat. II. p. 12. — VII, 372. *αἶψα δ' ἄρ' αὐτὸς ἔβη*, quod

de Neoptolemo navem conscendente dicitur, *ἀν' αὐτὸς ἔβη* exspectari iam Rodomannus perspexit, vid. p. 1236. — Paullo post *ἐπὶ* et *ὑπὸ* praepositiones confusae notantur, et VI, 209. *ὀβρίμου Ἡρακλῆος ἐπὶ στιβαρῇσι χέρεσσι* haec, ib., 247. *καὶ τὰς μὲν ὑπὸ στυγερῇσι φάτνῃσιν Αὐτῷ σὺν βασιλῆϊ κακὰ φρονέοντι δάϊξεν*, illa non immerito desideratur, sed neutrum latuit Wernickium ad Tryphiod. 53. sq. — Disiunctivam pagina proxima V, 386. *μαίνετο δ' ἠΰτε πόντος ἀπείριτος, ἠὲ θύελλα*, restitutam et Struvius I. p. 7. commendavit, et ego ipse utroque prius adscivi in ephemer. Ieneus. l. l. p. 364. — Ib. IX, 259. *ὁ δ' ἐς κενεὴν δόρυ τύψας Ἥρα* — casum quartum profecto importunum tertio mutari iussit Struvius I. p. 6. — De quibus postea disseritur, e l. VI, 457. deprompti: *τετυγμένα δούρατι φωτῶν Ἕλκε' ἀκειόμενος*, in iis *τετυμμένα*, quemadmodum Bonitius vult, refingendum esse dixi in observat. II. p. 12. — Ib. XII, 186. *οἱ δὲ κολώνας Χερσὶν ἀποῤῥήξαντες ἀπ' οὔδεος Ἰδαίοιο* ex Rhodomanni interpretatione *οὔρεος* assumpsit Pauwius. — Ib. XIV, 113. *ἀνέρι γὰρ πινυτῷ καὶ ἐπίφρονι πολλὸν ἄμεινον Κῦδος καὶ χρυσοῖο καὶ οὔδεος* ultimum ab hoc loco alienum post Piersonem in verisimil. p. 35. Weichertus quoque in epist. crit. ad Eichstaedt. p. 56. in *εἴδεος* mutandum censuit. Sed haec hactenus.

Progrediamur ad ea, quae, quantum nobis innotuit, vir doctus primus et in suspicionem adduxit, et pristinae studuit
1166 reddere integritati. In quibus haud pauca acute animadversa et scite correcta reperiri lubens agnosco; alias vero sine idonea caussa vitia quaerit, vel medicum cultellum temere admovet. Sunt adeo quaedam sanissima, quibus error potius quam inscitia levem maculam aut adspersit aut adspersisse videtur, ab eo serio tractata et ad veritatis legem severe exacta. Horum in numerum refero VIII, 438.

σοὶ δὲ καὶ εἰ μέμονε κ ρ α δ ί η τάδε μηχανάασθαι,

ubi *κραδίη* scribendum esse p. 1236. docemur. Ut autem taceam casum rectum aptioribus Quinti testimoniis, velut VI, 33. IX, 118. fuisse stabiliendum, tertium, editore Gottingensi inscio et invito, sola operarum negligentia illatum esse ex eo patet, quod in versu tribus e libris, Ven. Escur. prim. et

Cantabr. una cum proximo suppleto, priores enim carent utroque, Tychsenius sua manu *κραδίη* dedit. — Nec plus momenti est particulae *ὥς* XIV, 590.

ὣς δὲ καὶ ἄλλοι Ἀχαιοὶ ὑπὲρ μέγα λαῖτμα φέροντο,

p. 1231. tenore instructae. Ei enim sola littera maiuscula apud Pauwium et Tychsenium offecisse videtur.

Aliquam et eam laudabilem, sed Quinto parum fructuosam, operam impendit iis, quae mutilata aut luxata habuit, qua de re iam Tychsenius in commentatione de Quinto p. XCV. sqq. nonnulla disseruit. Ab his igitur, etsi pleraque in fine demum commemorantur, faciam exordium. Duos poetae locos X, 376. — 384. et I, 461. — 464. transponendo censet emendandos p. 1243. sqq. Quorum altero Hecuba Paridis mortem deplorat, altero Theano matronas Troianas, Penthesileae virtute ad arma capessenda incensas, a vano bellandi studio eo potissimum deterret, quod vi ac fortitudine illa sint longe inferiores. Atque hac quidem de re plurimis praemissis sic exponit:

τὴν δὲ φάτις καὶ Ἄρηος ἔμεν κρατεροῖο θύγατρα·
τῷ οἱ θηλυτέρην τιν' ἐριζέμεν οὔτι ἔοικεν·
ἠὲ τάχ' ἀθανάτων τις ἐπήλυθεν εὐχομένοισιν.
πᾶσι δ' ἄρ' ἀνθρώποισιν ὁμὸν γένος· — —

Iam versum tertium, quod nullo nexu vel cum antecedentibus vel cum sequentibus cohaereat, loco prorsus importuno positum existimat Bonitius. Eo vero ante versum alterum collocato omnia recte procedere suspicatur, quo facto, singula ita reddit: „*Hanc vero ferunt Martis filiam esse, aut fortasse immortalium quispiam ad illorum vota venit; quare non par est, feminam cum ea decertare.*“ Quae dum scribebat, priora quidem, nec vero posteriora consideravit. Ut enim ad Troianarum cupiditatem restinguendam satis erat commemorasse, Penthesileam Marte patre editam esse, ita superorum mentio, quorum aliquem Penthesileae forma indutum suis auxilio venisse Theano divinat, ut Thymoetes II, 18. facit, deorum et hominum discrimen, de quo postea uberius dicit Antenoris uxor, respicit. Significat enim deos omnia posse, homines vero, natura quidem et ortu pares, studio ac voluntate diversa

obire opera, e quibus illud sit longe optimum, quod quisque norit. Itaque suadet, ut feminae texendo dent operam, bellum viris, usu diuturno exercitatis, relinquant. Haec si reputaveris, generis humani conditionem potentiori deorum numini opponi erit consequens, ideoque versus singuli suum obtinebunt locum; sede enim eorum mutata nulla omnino apparet caussa, ob quam proxima adiungantur superioribus. Ut vero haec plana et perspicua esse crediderim, ita de altero loco diffici-
1167 lius erit iudicium. Etenim quum Hecuba dicat, dum vita supersit et spiritus artus regat, se Parin defleturam esse, alia, quae insuper timet mala, illi adiici aptum et commodum potest videri. Quibus demum enumeratis et numinis infesti iram et mortis olim oppetendae desiderium addere par erat. Recte igitur Bonitius v. 380. — 384. ante versus 377. — 379. collocandos putavit, quo quidem instituto nihil superesse videtur, quod non suo legatur loco. At eiusmodi conatui duo obstare crediderim: unum omnibus omnino poetis commune, alterum Quinti proprium. Primum in eo versatur, quod animo dolore oppresso Troum regina has effundit querelas. Quare vix postulandum erit, ut omnia recto et continuo ordine procedant: quod qui fieri vult iubetve, is profecto obliviscitur turbidos hominum affectus, poetis saepe describendos et adumbrandos, verba et sententias quasi in emblemate vermiculato structas non pati. Etenim malorum magnitudine et multitudine fractis evenit illud, quod Sophocles Ismenae tribuit in Antigona 563. sq.

οὐ γάρ ποτ', ὦ 'ναξ, οὐδ' ὃς ἂν βλάστῃ μένει
νοῦς τοῖς κακῶς πράσσουσιν, ἀλλ' ἐξίσταται.

Haec si ad Hecubae lamenta et ordinem, quo singula disposita videmus, transtuleris, poetam non vituperandum, sed laudandum esse intelliges. Itaque vel eo nomine istam traiiciendi sedulitatem repudiandam duxerim. Verum accedit huc Quinti ipsius copia, ne dicam loquacitas, qua eadem verbis sententiisque leviter mutatis et in aliam partem deflexis iterum iterumque solet exponere. Nam sicut eo loco, quem modo adduximus, comparatione inter Troicas mulieres et Amazones

v. 453. sqq. instituta eadem propemodum dixit, de quibus sub finem huius orationis admonetur, ita similem verborum ambagem ubique reperias, vid. I, 722. sqq. II, 329. sqq. V, 181. sqq. et 239. sqq. Ista vero molesta sane ac nimia dicendi copia eo etiam augetur, quod noster, carminum homericorum memor, sententiis verbisque inde delibatis sua amat distinguere. Cuius studii ut aliqua certe exempla in medium proferam, ex iis, quae commemoravi, Thersitae convicia in Achillem sparsa cum brevi et concinno Hectoris sermone, quo Paridis pravitatem in Il. 3, 39. sqq. 13, 169. insectatur, componantur. Nestoris vero orationi, qua Memnonem refutat, magna intercedit similitudo cum iis Iliadis locis, quibus idem ille senex ingravescentem aetatem conqueritur. Alia ibidem obvia non minus petita sunt ex Homeri fontibus, velut II, 326. sq. ex Il. 3, 108. 23, 589. sq. Licet pleraque hoc modo, sed vereor, ne patientia eruditorum abutar; res se tamen sic habet. Idem vero quin Hecubae querelis sit accommodatum, vix poterit dubitari. Etenim illi profecto in iis, quibus v. 379. terminatur, licuit subsistere; verum poeta eorum recordatus, quibus mala urbibus expugnatis ingruentia apud Homerum in Il. 9, 592. sqq. Meleagri uxor, ibidem 22, 61. sqq. Priamus ipse persequuntur, Hecubam nova et inaudita, quae sibi postea eventura esse animo quasi praesagit, facit addentem. Quae quum nondum esset experta, praesenti calamitati non tam interponenda quam subiungenda erant. Eam vero ob caussam, ut prius, stante Priami regno incolumi, mortem obiisset, regina exoptat. Qua quidem sublata nec praesentem neque instantem fortunae cladem fuisset sensura. Participium autem *ἐλπομένῃ* 1168
arcto cum matronae voto cohaeret vinculo, quippe quae timore futurorum perterrita mortem, omnis miseriae finem, sibi olim iam opportunam concupiscat. Hisce igitur rationibus impulsus ne in decimo libro quidem v. 376. sqq. ullam singulorum transpositionem, quemadmodum vir doctus voluit, aut commodam aut necessariam habuerim.

Aliquanto plus proficimus iis, quae p. 1242. sq. de lacunis hic illic in posthomericis repertis disputantur. Ita signo interrogandi V, 229. sqq. post versum tertium reiecto nihil mutili et imperfecti

superesse res ipsa docet, ac priora non minus quam manifesta Homeri imitatio, cf. Il. 16, 630. 20, 244. sqq. comprobant.

Nec quidquam ad integritatem abesse patet VI, 125. sqq. Singula enim bene procurrunt ita:

ὡς δ' ὁπόθ' ἕρκεος ἐντὸς ἐεργμένοι ἀθρήσωσιν
ἥμεροι ἀνέρα χῆνες, ὅτις σφίσιν εἴδατα βάλλοι,
σαίνουσιν, τοῦ δ' ἦτορ ἰαίνεται εἰσορόωντος·
ὣς ἄρα Τρώϊοι υἷες ἐγήθεον, εὖτ' ἐσίδοντο
ὄβριμον Εὐρύπυλον, τοῦ δ' ἐν φρέσιν ἀργαλέον κῆρ
τέρπετ' ἀγειρομένοισιν· — — —

Apposui autem ista plena, ut quae vir doctus inconsideratius praecepit, expromerem et aliis aperirem. Sunt vero tria: primum ἥμεροι, cuius loco edi solet ἥμενοι, ut Od. 15, 162. confirmatum, se a Pauwio adscivisse narrat, ignarus in idem et Glasewaldum p. 7. et Wernickium ad Tryphiod. p. 442. incidisse; tum, unde primo in versu ὅταν ἔρκεος hauserit, nondum potui investigare, quum omnes libri in eo, quod dedi, conspirent, nec subiunctivus isti particulae in comparatione adiunctus quidquam molestiae offerat. Postremo totam poetae comparationem minus intellexit, ratus virgula post ὡς δὲ illata et emendatione, de qua modo diximus, omnem, quae nulla est, lacunae suspicionem tolli. Nemo enim profecto ὡς δὲ cum verbo σαίνουσιν connectet; imo praecedenti ἀθρήσωσιν adhaereat necesse est, quandoquidem imago ab anseribus petita protasi et apodosi distinguenda est. Dicit enim Quintus: *ut vero ubi anseres cicures, cavea inclusi, dominum inspiciunt, qui iis pabulum proiiciat, adulantur, et inspicientis animus exhilaratur: ita Troum filii delectati sunt Eurypylo conspecto, eius vero animus terribilis ex congregatis cepit voluptatem.* Opponuntur anseres domini benigni adspectu clangentes Troibus Eurypyli adventu laetantibus, dominus vero anserum voluptate gavisus Eurypylo Troianorum corona animum oblectanti. Quare recte, credo, sustuli e versu 129. colon, quo distinguitur vulgo Eurypyli nomen a sequentibus. Ista vero comparatorum ratio et Quinto et aliis admodum familiaris est, vid. I, 63. 396. II, 379. VIII, 278. IX, 172. 473. XIII, 537. XIV, 33. 263.

Nec maiore successu lacunae suspicionem ex tertio loco 1169
IX, 45. exemit. Narratur ibi Eurypyli corpus, a reliquis caesis separatum, ante Dardaniam portam ad Xanthi fluenta conditum esse hisce:

τοὔνεκά μιν τάρχυσαν, ἀποκταμένων ἑκὰς ἄλλων
Δαρδανίης προπάροιθε πύλης, ὅθι μακρὰ ῥέεθρα
δινήεις προΐησιν, ἀεξόμενος Διὸς ὄμβρῳ.

Iam Bonitius epitheton δινήεις, quod apud Homerum Scamandro solemne sit, Quintum nude ac simpliciter ad fluvium illum significandum usurpasse autumat; quo probato nihil deesse videri. At ea tum Rhodomani tum Dorvillii, vid. vann. crit. p. 353., iam fuit coniectura. Hic vero adiectiva nominum provincia non ita raro fungi aliis aliorum exemplis docte comprobare studuit; ad eum igitur legentes remittere satius erat. Verum enim vero nec Dorvillius nec noster interpres id, quo contendunt, sunt assecuti. Nam sane mirum esset, si Quintus, qui Xanthi nomen suo carmini aliquoties intexuit, vid. I, 589. II, 488. III, 24. IV, 157. V, 433. VIII, 143. 345. IX, 170. 178. 298. XI, 136. 246. XII, 459. XIII, 337. XIV, 80., Scamandrum certe bis commemoravit I, 10. IX, 210. ab illo epitheto semper abstinuisset, eoque uno loco obscurius esset usus. Vana ergo est ista explicatio et poetae sermoni admodum infesta. Itaque nihil relictum video, nisi ut vel versum excidisse sumamus, vel audaciore coniectura Ξανθὸς ἐπιπροΐησιν, cuius exempla non desiderantur, cum Dausqueo restituamus.

Atque his quidem locis Quinti verba plena et integra nobis tradi vir doctus arbitratur, in libro vero X. v. 131. sqq., ubi Endymionis fabula attingitur et Tychsenius nihil fere excidisse auguratur, plura desiderat. At in versu quidem 131. unum alterumve verbum, quod alii aliter expleverunt omissum esse numeri testantur. Proxime, ut opinor, ad veritatem accessit Pauwius, dummodo ἀπ' αἰθέρος, sive ἀφ' ἅρματος inserendum statueris: nam quod libri quidam Tychsenii proferunt ἐτείρετο, id prorsus ineptum videtur. Postea v. 135. clausulam depravatam ad nos pervenisse intelligo, medicinam promptam et commendabilem haud reperio; personam vero

secundam: *ὁππόθ' ἵκηαι*, in proximi fine e l. I, 303. refingendam esse iam Rhodomannus vidit eamque latine reddidit. Nihil igitur novi aut inauditi allatum habemus.

Quem deinde locum in lacunis enumerandis a Tychsenio perperam neglectum et manifesto sententiarum hiatu insignem censet Bonitius, eum, ut recte ceperit, valde vereor. Scribit ergo poeta XIV, 89. sqq.

μολπὴ δ' οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος, εὖτε κολοιῶν
1170 *κλαγγὴ ἀπειρησίη, ὁπότ' εὔδιον ἦμαρ ἵκηται*
χείματος ἐξ ὀλοοῖο, πέλει δ' ἄρα νήνεμος αἰθήρ·
ὣς τῶν παρ' νήεσσι μέγ' ἔνδοθι γηθομένων κῆρ
ἀθάνατοι τέρποντο κατ' οὐρανόν· — —

Haec ut probe comparentur sibique invicem respondeant, post versum quartum unum interponere iubemur eius fere sententiae:

κλαγγὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν ἀάσπετος, οἱ δ' ἀΐοντες
ἀθάνατοι τέρποντο κατ' οὐρανόν· — —

Ne quid autem de nomine molestius repetito dicam, quid, quaeso, opus est additamento, quo nihil aliud discimus, nisi quod primo versu aperte declaratum erat, Achivorum cantum in coelum penetrasse? Ad illa igitur proxime referendum erat *εὖτε*: *cantus in coelum per aethera penetravit, sicut infinitus graculorum clangor.* Ultima vero serenam tempestatem et tranquillum spectant aethera, quibuscum et laetus Achivorum concentus et voluptas deorum, qui a Danaorum parte stabant, ex eo percepta componuntur. Vere haec esse disputata similia similitudinum exempla docebunt; uti XI, 396.

— — — *δάμασσε δὲ τλήμονι πότμῳ*
ἀνέρας, οὓς κατέμαρψεν ἐν ἀσπίσιν, εὖτ' ἐν ὄρεσσι
φερβομένας ὑπὸ πρῶνα βίη κρημνοῖο ῥαγέντος
αἶγας, ὑποτρομέουσι δ' ὅσοι σχεδὸν ἀμφινέμονται·
ὣς Δαναοὶ θάμβησαν· — — — —

Quibus eandem, qua priores continentur, inesse rationem nemo non perspiciet, add. III, 170. XI, 483. XII, 530. Absit ergo et lacunae et versus adventicii, quo nullo pacto egemus, desiderium.

Clarius impressum est lacunae vestigium I, 505.

— — — — *οἵ ῥα καὶ αὐτοὶ*
Τρώων ἀγλαὸν ἄστυ διέπραθον ἐγχείῃσι,
τὸ πρὶν ἅμ' Ἡρακλῆϊ δαΐφρονι Λαομέδοντος.

Secus quidem videtur Bonitio, qui de hisce p. 1228. sqq. copiosius disputat et Tychsenii coniectura, qua *ἀφραδίῃσι* cum Laomedonte coniungendum substituerat, refutata eo tandem pervenit, ut omnia salva et integra existimet, ubi versu medio *ἐγχείῃσι* revocaveris, in extremi clausula *λαὸν ἑλόντες* i. e. *populum interimentes* correxeris. Sed assensum cohibeo; ponamus enim Tychsenii opinioni notam Aeacidarum fortitudinem, implicitam structurae difficultatem, aliaque exempla, velut VIII, 133. obstare, mentio Laomedontis, cuius perfidiam Troiae attulisse excidium iam Homerus novit Il. 5, 649., et aptissima et maxime necessaria erit. Deinde *λαὸν ἑλόντες,* etsi Quintus VI, 619.

ἐκ δ' ἄρα πληθύος εἷλεν ἀάσπετα φῦλ' ἀνθρώπων,

recte scripserit, propter duplicem ambiguitatem inauditum et insolitum videbitur, epicorum vero est *λαὸν ὀλέσσαι*, cf. I, 94. 522. VII, 142. IX, 83. Praeterea quum de urbe per vim expugnata sermo sit, *δῆμον* potius quam *λαὸν* hostili impetu caesum captumque esse facile intelliges. Hisce igitur 1171
de caussis tantum abest, ut invento isto poetae manus instauretur, ut id ab eius usu plane abhorreat. Satius igitur erit vel cum Rhodomanno versum omissum desiderare, vel dativum *Λαομέδοντι*, quanquam isti quoque difficultatem aliquam inesse crediderim, reponere.

Ex singulis singulorum emendationibus eas solas persequar, quae aperte falsae aut valde dubiae proponuntur missis aliis, vel longiorem disquisitionem sibi postulantibus, vel bene et prudenter excogitatis. Illius, nisi animus fallit, generis est I, 583. sq.

— — *σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ παγχὺ μέμηνας,*
ἣ μέγ' ἔτλης καὶ νῶϊν ἐπηπείλησας ὄλεθρον.

Tota enim disputatio, qua p. 1227. audendi significatio verbo *τλῆναι* denegatur, eo laborat, quod *μέγα* adiectum legitur. Nam ubi concesseris V, 646. *ὁππότ' ἔτλη μέγα ἔργον*, cui X, 430. *μέγα τλήσομαι ἔργον* congruit, nihil aliud

indicare, nisi *arduum quiddam suspicere*, nostrum illis perquam simile esse patet. Nec quod illi subiiciendum dicitur: ἦ μέγ᾽ ἔφης, *quae magna loqueris, nobis minitata perniciem*, adeo certum fixumque est, ut nulla ambigendi materia sit relicta. Primum enim non modo magniloquentiam, verum etiam audaciam pluribus exprobrat Penthesileae Achilles, quippe qui se et Aiacem omnium mortalium fortissimos praedicet et Iovis sanguine cretos, quos Hector ipse vel e longinquo conspectos horruerit. Penthesileam vero somnii etiam fallacia inductam Achillis caedem animo agitasse v. 129. sqq. ostendunt. Deinde *μέγα φάναι* vix unquam eo modo, quo hic explicatur, apud Quintum, qui utroque saepissime utitur, licet reperire. Ut enim *μέγα φρονέειν, κυδιάαν, χαίρειν, γηθέειν* aliaque finitima, sexcenties adsunt, ita illud uno dumtaxat versu eoque suspecto cernitur. Nemo enim huc trahet Andromachae verba I, 100. — *τί νυ τόσσα μέγα φρονέουσ᾽ ἀγορεύεις;* id quod vetant I, 335. II, 287. VIII, 134. XI, 222. 355. Maxime autem nituntur I, 563. *ἦ μέγα· τοὶ δ᾽ ἐγέλασσαν*, ubi Rhodomannus vertit: „*haec iactarit.*“ Nec profecto commoda est Tychsenii ratio, quam, Heynio duce, adoptavit: *ἦ μέγα τοίδ᾽ ἐγέλασ.* Attamen probe intellexerunt Gottingenses, *μέγα* potius sequentibus quam antecedenti esse annectendum. De quo nos non dubitare sinit Quintus ipse, vid. I, 741. *ἦ μέγα νεικείων*, add. II, 81. III, 128. IV, 533. V, 522. VI, 308. VII, 287. VIII, 443. Itaque Tychsenii quidem iuncturam improbo, sed illum locum *ἦ μέγ᾽ ἔφης* magnopere adiuvare nego. Scripserim potius I, 563. *ἦ· μέγα δ᾽ οἵγ᾽ ἐγ. κτλ.*

Nec II, 446.

γνώσῃ δ᾽ ὡς θεός ἐστιν, ἐπὴν δόρυ χάλκεον εἴσω
ἐς τεὸν ἧπαρ ἵκηται, ἐμῇ βεβλημένος ἀλκῇ. —

vel interpunctio ex altero versu medio sublata vel *βεβλημένον* cum spiculo iunctum mihi quidem valde arridet. Incommoda enim, quae ex usitato et noto oriuntur, non tanta sunt, quanta Bonitio p. 1229. esse videntur. Primum *ἐπὴν* tum ab Homero tum a Quinto non raro sic interiicitur, ut ad prius redeat oratio, cf. Il. 9, 358. Od. 4, 222. 10, 411. Quint. VII, 213. XIV, 221. X, 34., in quibus emendandum erit:

ἧμιν, ἐπὴν εἰρχθῶμεν ἀνὰ πτόλιν, οὐδέ τις οἴσει —.

Magis etiam isti conatui obstat *βεβλημένον*, cum nomine
praecedente *δόρυ* coniunctum, id quod ab epicorum usu pror-
sus alienum dixerim. Iste enim *βλήμενος, βεβλημένος, πε-* 1172
παρμένος aliaque eius generis semper ad vulneratos telique
ictu petitos refert, nunquam vero cum hasta sagittave missa
componit. Ac de Homeri quidem consuetudine nullae sunt
lites, Quinti vero sermonem iisdem includendum esse terminis
argumento erunt I, 819. III, 144. 183. 282. 316. 437. V,
390. VI, 228. 272. VII, 616. XI, 44. 47. 105. 307. XIII, 148.

In querelis, quibus Aiax prosequitur Achillis mortem III, 450. sqq.

ὢ πόποι, ὡς ἄρα πάγχυ γέρων ἐν δώμασι Πηλεὺς
ὀχθήσει μέγα πένθος, ἀτερπέϊ γήραϊ κύρσας·
αὐτῇ σὺν φήμῃ μιν ἀποῤῥαίσει μεγάθυμον·

extrema merito offenderunt Bonitium p. 1230. At quum neque horum originem scrutaretur, neque poetae sermonem satis haberet perspectum, accidit, ut maiore quidem ex parte iudicis munere bene fungeretur, ab initio vero nostro desiderio parum satisfaceret. Iam plura hic olim turbata fuisse et antiquiores editiones et annotatio Pauwii, qui ne in altero quidem versu attigit veritatem, satis demonstrant. *Μεγάθυμον* autem, priores dant *μέγα θυμὸν*, infelici Dausquei hariolationi acceptum refertur, idque iam propterea erit repudiandum, quod alias semper adhaerescit ad nomen quoddam, vid. III, 760. VI, 309. 404. 407. VII, 376. VIII, 310. XII, 153. 447. Commode igitur noster scripsit *τάχα θυμόν*. Sed exordium minus scite ita refingit:

αὐτή κεν φήμη μιν ἀποῤῥαίσει τάχα θυμόν.

Nam primum Peleo seni luctus citius quam fama nuntia mortem afferre debebat, tum particula *κεν* tam arctis apud Quintum circumscribitur finibus, ut ei nullus locus hic relictus esse videatur. Possit quidem ex Homeri usu cum futuri iungi indicativo in re fortuita atque incerta; at Quintus eam structuram ignorat, neque in enuntiatione conditionali indicativum futuri unqnam admisit. Nam in versu non ita multum distante III, 454.

εἰ δέ κεν οὐ φθίσει ἑ κακὴ περὶ υἱέος αἶσα,

aoristi subiunctivum exspectandum fuisse X, 400. sq. XII, 226. XIV, 221. testificantur, add. XII, 249., ubi fortasse *εἰ καὶ ἀεικίζωσι,* pronomine inutili expulso, restituendum erit. Legitimus autem est aoristi imperfective indicativus, si res eventura fuisse dicitur, nisi aliud intercessisset impedimentum. Plerumque oratio tunc a particulis *καί νύ κεν* exorditur et conditionales *εἰ μὴ* habet subiectas, cf. I, 447. 689. 775. II, 507. III, 26. 366. 752. alibi, semel *καί κεν* poetae satisfecit VI, 542. Nihilo propemodum ea differunt exempla, quae conditione vel praemissa vel subsequente, si quid factum esset, aliud eventurum fuisse ponunt; iis et *ἄν* et *κεν* aptae habentur, cf. II, 329. V, 209. 584. 588. VII, 514. cum IX, 53. XIII, 366. Denique futuri indicativus poscitur, si quid alio iam facto vel certe instante dicitur eventurum. Ita Briseis Achille caeso servitutem sibimet ingruentem auguratur hisce III, 571.

καί νύ κεν ἀμφιπολεῦσα κακὰς ὑποτλήσομ' ἀνίας
σεῦ ἀπονοσφισθεῖσα, δυςάμμορος· — —

add. IV, 41. V, 126. VI, 79. X, 228. In sententia autem relativa indicativus recte legitur XIII, 131., ubi res in sola versatur cogitatione et negatio praemittitur. Contra nihil est dubii, quin alibi vel modus vel particula laboret; ita III, 654. *ἀνέρας, ὅττε θέλῃσι* recte opinor emendarunt Rhodomannus
1173 et Gerardus in lect. Apoll. p. 91. *ὅν κε θέλ.* sive *κ' ἐθέλ.* Idem modus revocandus est VI, 598. VIII, 367. *κτείνων, ὅν κε κίχῃσε,* quod persuadent III, 308. IX, 177. et Homer. Od. 12, 122. *δείδω, μή σ' ἐξαῦτις ἐφορμηθεῖσα κίχῃσιν.* In posthom. V, 125. *ἀλλ' ἴτω, ὅς κ' ἐσάωσε νέκυν καὶ ἄριστος Ἀχαιῶν,* melius sibi respondebunt, *ὅς τ' ἐσάωσε νέκυν κ. ἄρ. Ἀχ.,* eundem enim, qui Achillis servavit corpus Achivorum fortissimum indicat Thetis, neque id latuit Struvium I. p. 5. Sed redeamus in viam. Priore igitur in versu III, 452. particula ista et a poetae sermone aliena est, et, si vel maxime apta esset, optativum requireret, quemadmodum alia ostendunt testimonia, velut III, 488. V, 470. IX, 195. Hom. Il. 8, 24. Ceterum *αὐτὸς* pronomen aliquoties sic usurpavit Quintus, ut latinis *una cum* possit reddi, vid. VI, 248. 270. 300., quod

iam Homerus praeivit, cf. Il. 9, 194. 14, 498., neque ignorant alii, ut Apollon. Rh. Arg. III, 1288. IV, 1230. 1591. Quo etsi plerumque id, quod alteri adiunctum est, significatur, facillime tamen ad tempus denotandum transferri poterit, unde Quinti verba commodum praebere sensum intelligitur. Praesagit enim Aiax Peleum nuntio de filii morte accepto statim exspiraturum esse. Vix igitur *σὺν* erit removendum, certe *κεν* longe ineptius habeamus necesse est. Neque alii Quinti versui eandem medelam aptius applicatam videmus p. 1232., ubi quum IV, 408.

— — — *ἔφη δέ ἑ πολλὸν ἀμείνω*
ἔσσεσθ', ὅς κέρσειεν ἀπὸ τρίχας ὀξέϊ χαλκῷ. —

pronomen tertiae personae demonstrativi loco importune dicatur, iterum *κε* recipi iubet, cuius quae sit vis, equidem non assequor. Alia ratio est Homericorum Il. 23, 855. sqq., e quibus nostra petita sunt. Quae si accuratius inspexeris, nonnihil excidisse possis suspicari, quanquam ea de re anceps erit et ambiguum iudicium. Similem autem pronominis abundantiam IX, 484. *φάνεν δέ ἑ, οἷος ἔην περ,* feliciter sustulit Lobeckius ad Soph. Aiac. 313., dum corrigit, *φάνεσκε δέ·* eodem modo hic adoptare possis: *ἔφασκε δὲ π. ἀμείνω.* Hoc si minus placuerit, *ἔφη δέ τε π. ἀμ.* leviore opera rescribemus. Novit enim Quintus illam particularum copiam, vid. II, 231. V, 250. VII, 284. XI, 63. 125. Haud scio, an articulo idem sit praeferendum XIV, 386.

καί ῥ' αἱ μὲν περὶ γούνατ' ἔχον γέρας· αἱ δὲ τὰ τέκνα
ἄμπεχον ἀγκοίνῃσι· τὰ δ' οὔπω δούλιον ἦμαρ
ἔστενεν, οὔτε πάτρης ἐπὶ πήμασιν, — —

praesertim quum relativum insequatur, et in vulgari olim fuerit *αἱ δὲ μέτωπα,* e quibus Pauwius Rhodomanno oblocutus nihil sani et veri potuit extundere. Atque in his minutiis tot restant in posthomericis corruptelae, ut qui illis operam dare voluerit, vix commentandi finem inveniat. Pauca quaedam eius generis hic delibemus. Ita *δέ τε,* quae alias bene copulantur, aperte repudiandae sunt IX, 260. *οἱ δέ τε δηριόωντο·* pugnae enim productae convenit: *οἱ δ' ἔτι δηρ.,* veluti IV, 277. — *οἱ δ' ἔτι μακρῇς Δηριόωντ' ἐλάτῃσι μεμαότες,* add. III, 179.

VI, 228. VIII, 320. IX, 284. X, 460. XII, 480. XIII, 147. 352. Neque illud neque vulgo editum probaverim XII, 293.

ἄλγεα μὲν παρὰ ποσσὶ θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν,
ἐσθλὰ δὲ πολλὸν ἄπωθε· πόνον δέ γε μέσσον ἔλασσαν.

Ibi enim γε incommode oblitteravit praepositionem ἐς: πόνον δ' ἐς μέσσον ἔλασσαν. Qua de medela eo minus ambigi po-
1174terit, quo saepius praebent epici simillima, cf. IV, 180. 218.
235. Hom. Il. 4, 299., accedit Monacensis liber, qui ἐς μέσσον exhibet. — Iterum male se intulit δὲ XIV, 557.

— — *πολλοὶ δὲ μὲν ἔνθα καὶ ἔνθα*
σβεννύμενοι σμαράγιζον ἔσω πόντοιο κεραυνοί·

ubi πολλοί γε μὲν requiritur, vid observ. ad Il. 2, 709. — Contra XIII, 257.

νήπιον οὔτοι δῆριν ἐπιστάμενον πολέμοιο. —

particula debetur Rhodomanno, qui οὔτοι vel οὐκ ἔτι pro noto et usitato οὔτι suasit. Alterum absonum erit, alteri speciem veri praebet IV, 431. sq. Utrique autem praeferendum erit οὔπω δῆριν ἐπ. π., cui egregie concinit VII, 266. νῦν δὲ σὺ μὲν νέος ἐσσὶ, καὶ οὔπω δήϊα ἔργα Οἶδας, vid. insuper XIII, 123. — Temporali ἕως bis terve finalem aut comparativam ὡς fraudi fuisse in observat. II. p. 7. dixi, illamque I, 195. XIII, 200. restitui; his iam adiungo tertium versum X, 297., ubi Paris promptam et celerem Oenonae opem sibi expetit:

ἀλλ' ἐλέαιρε τάχιστα, καὶ ὠκυμόρων σθένος ἰῶν
ἐξάκεσ', ἕως μοι ἔτ' ἀμφὶ μένος καὶ γυῖα τέθηλε.

Bene igitur vertit Rhodomannus: „*dum mihi vires adhuc et membra vigent.*" — Pristinum iuventutis robur sibi exoptat Nestor XII, 266.

ὡς ὄφελον μέγα κράτος ἐμοῖς ἐπὶ γούνασι κεῖτο, —

commodius erit hisce ἐνὶ γούνασι, vid. II, 340. III, 139. IV, 306. VI, 310. VII, 71. Sed hic subsistam ad ea reversurus, quae vir doctus ad Quinti carmina emaculanda attulit. Iam enim periculum est, ne ii, quibus sua sola placeant, me parum acute et tragice haec exornasse obiiciant. Ille igitur improbat IX, 88.

οὐ γὰρ Ἀλεξάνδροιο πέλει πέρι μοῦνος ἄεθλος,

adiectivum et eius loco requirit μοῦνον e l. IX, 371. stabiliendum. Sed plura poterat congerere, vid. XIII, 106. 112. 115.; priora enim ex manifesta Callimachi et Apollonii imitatione sunt traducta, cf. illius hymn. in Cer. 93., huius Arg. II, 201. Nec vero vulgare prorsus damnandum crediderim, quanquam adiectivum plerumque iungitur personis, vid. I, 767. V, 260. XII, 23. 472. XIV, 365., tamen ad illius similitudinem referre possis XIV, 652. — ψάμαθος δ' ἔτι φαίνετο μούνη. Aliam caussam, qua μοῦνος ἄεθλος magis etiam commendetur, sciens praetermitto.

Dura sane emendatione III, 665.

ἀλλ' ὅτε καγχαλόωσα δι' αἰθέρος ἤλυθεν ἠώς,

ne καὶ τότε δὴ v. 672. in apodosi reperiatur, criticus p. 1231. καὶ τότε καγχ. reposcit, eo duriore, quod idem paullo post ingeminatur. Concedimus quidem eo modo δὴ τότε Quinto frequentari, sed ἀλλ' ὅτε non minus crebrum est, vid. II, 490. V, 333. 599. 653. VI, 498. VII, 707. 732. IX, 233. 489. XIV, 336. Quare quid poetam prohibuerit, quominus καὶ τότε δὴ in apodosi collocare posset, haud assequor, praesertim quum Homerus ita loquatur sexcenties, vid. Il. 1, 494. 6, 176. 9, 475. 22, 209. 24, 32. 785. Od. 4, 461. 5, 459. 7, 261. 9, 492. 10, 145. 157. 250. 471. alibi.

Ibidem IV, 146.

— — — — *τοὶ δ' ἀΐοντες*
τέρπονθ', ὅσσ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος ἄφθιτα ἔργα
μέλπε μέσῳ ἐν ἀγῶνι· — — —

quod nondum verbum de Achille fecit Nestor, ὅσσα cum Pauwio in ὣς δὲ i. e. *item, eodem modo* mutari iubetur. Hoc vero singulis quidem fortitudinis speciminibus ab Achille editis
bene convenit, nec tamen universae rerum gestarum magni-1175
ficentiae ac gloriae, vid. v. 150. 151. 153. 156. 160. 163. 167. cll. XIV, 127. 131. 133. sqq. Itaque ὅσσα de iis potius omnibus, quae iamiam dicturus erat Nestor accipiemus, singula deinde particulis ὅπως, ὡς ac similibus comprehenduntur, vid. XIV, 211. sq. — Adverbium γε p. 1232. pluribus e locis proscriptum alias aliis remediis compensatur, de quibus nihil est,

quod addam. Sed IX, 392. — *φαρέτρη παρέκειτο γε μακρή*, fortasse locum invenit ex epicorum forma rariore *φ. παρεκέσκετο μακρή*, vid. Od. 21, 41. Quo concesso nulla egemus verborum traiectione; abest autem *γε* a libro Veneto.

Inutilissimae omnium eae videntur esse coniecturae, quibus nihil nisi ingenii quaedam ostentatio dedit originem. Haud scio, an ex eo genere sint, quae p. 1233. ab initio disputantur. Aiace enim e vita sublato fratris caedem V, 515. sqq. Teucer deplorat hisce:

οὐδ᾽ ἔτ᾽ ἐμοὶ νόστοιο τέλος σέο δεῦρο θανόντος
ἁνδάνει, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὀΐομαι ἐνθάδ᾽ ὀλέσθαι,
ὄφρα με σὺν σοὶ γαῖα φερέσβιος ἀμφικαλύπτῃ.

Quibus nihil omnino, quod quenquam offendere possit, primo adspectu inesse videtur. „At vero *ὀΐομαι ὀλέσθαι* mortis indicare desiderium sequentia aperte produnt. Iam *ἔλπεσθαι* quidem simplice opinandi significatione satis est usitatum, num vero *ὀΐομαι* sperandi optandive vim adsciverit, valde dubium. Quare suspectum est *ὀΐομαι* et sub eo latet *ἵεμαι*. Syllaba autem, quae ad versus integritatem desideratur, num per *ἔτι*, an per aliud vocabulum sit supplenda, non ita facile decernes." Summam posui eorum, quae verbosius etiam disseruntur. Iis vero primum ipsa verbi notio, deinde usus admodum repugnant. Nam quum *ὀΐω* et *ὀΐομαι* proprie sint *animo praesagio* sive *auguror*, unde *ὄσσα, ὄσσομαι, προτιόσσομαι* ducunt originem, malum aeque ac bonum e longinquo praevidere et praesentire aliquem posse apparet; quare tum metuendi tum sperandi optandique notio minime erit aliena. Ne vero peregrinam advocemus auctoritatem, pauca Quinti testimonia sufficiant, ut XII, 257.

— — *νῦν γάρ τοι ὀΐομαι ἐσσυμένως περ*
ἀργαλέου πολέμου τέκμωρ εὔδηλον ἔσεσθαι.

Add. II, 33. VI, 91. XIII, 445. I, 132. IV, 577. VII, 480. His quidem impulsus rationibus omnia sana atque integra habuerim. Aliquanto plus suspicionis movet pronominum tenor; nam quum Teucer semet ipsum fratri mortuo opponat, ultima sine dubio melius ita constituemus:

ὄφρ᾽ ἐμὲ σὺν σοὶ γαῖα φερέσβιος ἀμφικαλύπτῃ.

Eurypylus statura et robore inter suos excellens VI, 131. describitur hisce:

— — — *ὁ δ᾽ ἔξοχος ἕσπετο λαῶν.*

Id imperatori milites ducenti nec subsequenti congruere iam Pauwius negavit, ideoque *ἤγετο* suasit; illo melius et scitius erit *ἔπλετο* p. 1234. propositum. Attamen ne ipsa quidem Penthesilea I, 53. in primo exercitus agmine ad Troiam profecta dicitur. Quapropter *ἕσπετο* ea solum de caussa displicet, quod paullo ante v. 121. exercitus Eurypylum sequitur, hic ille exercitu traditur posterior.

VI, 579. sq.

καὶ τότε δὴ θεράπων ἐρικυδέος Εὐρυπύλοιο
τύψε Θόαντος ἑταῖρον Ἐχέμμονα δηϊοτῆτι —.

Adfuit hic olim *δηϊοτῆτα*, quod quum reliqua aspernentur, Rhodomanni de coniectura dativum reposuit Tychsenius. At 1176
is non minus quam accusativus, quem Pauwius perverse tuetur, vix carere poterit praepositione, cf. I, 255. VII, 668. XI, 27. XIII, 142. et I, 287. VIII, 436. Qua ratione motus Bonitius p. 1235. *Ἐχέμμονα* corruptum habet, et singula ita restituere conatur: *τ. Θ. ἑ. ἑλὼν ἀνὰ δηϊοτῆτα*. In his autem nec participium satis commode est dictum, nec nomen ab Homero acceptum, vid. Il. 5, 160., temere expelli potest. Plus igitur fidei alteri Rhodomanni suspicioni *Ἐχέμμονα δηριόωντα* tribuerim. Isti enim Quintus ipse suffragatur IV, 176.

— — — *τῇ μιν βάλε δηριόωντα*
αὐτὸς ἔσω μηροῖο· — — —

Neque ab his valde differunt IV, 472. VI, 287., ubi res in certamine geritur.

Ibidem VI, 602.

— — *πᾶσιν γὰρ ἐπέσσυτο πῆμα κορύσσων*
Εὐρύπυλος· μετόπισθε δ᾽ ἐπεσσύμενος κεράϊζε. —

praeclare instauratur *ἑπισπόμενος κεράϊζε*, cui praeter exempla, quae commemorantur, subsidio est III, 24. — *ὁ δ᾽ ἑσπόμενος κεράϊζε Μέχρις ἐπὶ πτολίεθρον.* Verum emendationem non tam verbi repetitio flagitat, quam constans poetae usus

sibi expetit. Quintum enim non praeter aliorum morem et consuetudinem verba eadem non ita raro ingeminare indicio sunt VI, 51. sq. 156. sq. 386. sq. X, 486. XII, 138. eaque illis, quae olim in mantiss. observ. ad Quint. p. 242. sq. collegi, poterunt adiici.

VII, 247. sqq. de Achillis casu poeta sic tradit:

— — τῷ δ' ἄτροπος ἤντετο μοῖρα,
ἥ οἱ ὑπέκλασε νόστον· ἀπειρέσιον δ' ἄρα πένθος
πατρὶ πόρεν Πηλῆϊ καὶ αὐτῇ Δηϊδαμείῃ.

At frangendi imaginem a reditu abhorrere p. 1235. sagaciter observatur. Saepe quidem membra, cor, animus aliaque his finitima frangi dicuntur ab epicis, idque exempla, quorum maior pars e Quinti carmine collecta apponitur, egregie firmant, sed viam reditumque alicui infringi paene soloecum videbitur. Itaque mendam inesse patet, ad quam removendam, ut *ὑπέτμαγε νόστον* Quinto adhibeamus, praecipitur. Ei autem neque Homeri testimonia Il. 10, 364. 11, 468., neque Apollonii Arg. IV, 328., ubi Colchi Iasonem et socios ab itinere interclusisse feruntur, multum prosunt. Nam id, quod principibus Hellada repetituris bene convenit, in Achillem vita defunctum dure et incommode transferetur. Accedit quod Parcae severae violentiam potius quam fallaciam exspectamus. Iam si verba revera sunt affecta, ea leniore remedio persanata esse vix crediderim. Aliud igitur fortius et rei magis idoneum requiri nemo non intelliget. Haud scio, an illud repertum sit, ubi mecum rescripseris:

ἥ οἱ ὑπέκλασεν ὀστέ'· ἀπειρέσιον κτέ.

Sed ossa in pugna interfectorum telis saxisve infestis non ita raro frangi et conteri notum est. Cuius rei plura exempla subministrat Homerus, vid. Il. 12, 185. 384. 16, 310. 347. 20, 399. 23, 673. Od. 5, 426. 12, 412., nec Quinto desunt similia, ut VIII, 94. sq. XI, 473. 489. Ex hisce igitur fatum immite ossa potius Achillis, quam reditum fregisse augurari licebit. Caeterum in iis, quae Bonitius adscripsit, XI, 89. — *ἐπεί ῥα νιν ἔκλασε δαιμὼν* ionicum *μιν*, forma attica eiecta, restituendum esse latebit neminem.

VIII, 11.

ἀλλά οἱ ἐλπωρὴ μὲν ἔην ἐναλίγκιος αὔρῃ
μαψιδίῃ — — — — —

nulla est caussa, cur ultimum, littera subscripta remota, ad 1177
nomen praecedens referamus, quemadmodum Bonitius p. 1236. suadet. Legimus quidem I, 357. — *μαψιδίῃσιν ἐπ' ἐλπωρῇσιν ἔειπεν*, sed illic nulla est comparatio. In similitudinibus vero adiectiva plerumque nomini comparanti adiunguntur, cf. VIII, 184. XI, 217. 300., porro usitato ferunt opem IV, 111. XIV, 223., denique idem affirmant sententiae relativae nominibus comparandi caussa illatis crebro subnexae, uti I, 209. 355. II, 197. V, 461. VIII, 405.

VIII, 484.

— — — — — ἀλλὰ πόληα
ὑψηλὴν, καὶ τεῖχος ἀνέμβατον, —

Troiae murum inaccessum *τεῖχος ἀνάμβατον*, neque *ἀνέμβατον* dicendum fuisse acute coniicitur, et prius Il. 6, 434. — — *ἔνθα μάλιστα Ἄμβατός ἐστι πόλις, καὶ ἐπίδρομον ἔπλετο τεῖχος* stabilitur. Quibuscum fere conspirat Passovii lexic. v. *ἀνάμβατος*. Sed vellem in utrumque accuratius editor inquisivisset. Ut enim res se nunc habet, si ab uno Xenophontis loco discesseris, ubi *ἵππους ἀναμβάτους* Cyrop. IV, 5, 46. equitum expertes ille vocat, hoc propemodum incognitum est, *ἀνέμβατος* vero apud Nonnum, Agathiam et alios inferioris aetatis poetas id ipsum significare videtur, quod hic absonum iudicatur, cf. Iacobs. ind. anthol. Gr. p. 177. et Steph. thes. ed. Lond. II. p. 2541. c.

Ibidem IV, 522.

ἵπποι δ' Εὐμήλοιο μέγ' ἔνθορον· —

vulgaris forma *ἔνθορον* casu remansit in Tychsenii editione, quae paullo ante in v. 514. *ἔκθορον* primum recepit. Respondet autem hoc Homerico *ἔκφερον* in Il. 23, 375. sqq.

— — — — — ὦκα δ' ἔπειτα
αἱ Φηρητιάδαο ποδώκεες ἔκφερον ἵπποι.
τὰς δὲ μετ' ἐξέφερον Διομήδεος ἄρσενες ἵπποι.

Eandem ob caussam ib. V, 460. *ἐπιβήμεναι*, cui aggrediendi notio sit, repudiatur, et pro eo *ἔτι βήμεναι* substituitur. Primum autem levius vitium effugit viri docti aciem, nam priore versu *οὐδ᾽ ἄρα* stare nequit; emendo igitur haec ita:

— — — — — *οὔτ᾽ ἄρα πρόσσω*
ἔσθενεν ἀσλαχόων ἐπιβήμεναι, οὔτ᾽ ἄρ᾽ ὀπίσσω,

vid. observ. II. p. 5. Deinde mihi quoque suspectum fuisse *ἐπιβήμεναι* fateor, etsi invadendi significatio horum verborum nec sola nec propria dici potest, vid. Passov. lexic. v. *ἐπιβαίνω*. Verum enim vero quum illud sine ullo vel praepositionis vel casus obliqui additamento simpliciter *incedere* possit denotare, mutandi periculum inutile et supervacaneum
1178putaverim. Nostris enim, ubi Aiax stupore defixus immobilis adstare dicitur, concinunt fere Homerica, in quibus Ulixes de semet ipso ad ficum adhaerescente Od. 12. 433. sq. haec ait:

— — — — *οὐδέ πῃ εἶχον*
οὔτε στηρίξαι ποσὶν ἔμπεδον, οὔτ᾽ ἐπιβῆναι.

Pagina proxima aliquot Quinti versus, in quibus adverbia *μέγα* et *μάλα* numeralibus indefinitis apposita leguntur, sub examen vocantur, ac primum IX, 420.

— — — *ἐπεὶ μέγα πάντα βροτοῖσιν*
κεῖναι καὶ στονόεντα καὶ ἤπια μηχανόωνται,

μάλα πάντα ut restituatur, poscitur. De quo non intercedam, etsi *μέγα* cum verbo coniunctum Quintus haud ignorat, vid. V, 130. 132. Minus probo *πάντα* XII, 76. inferendum:

ταῦτα μὲν, ὡς ἐπέοικεν ἀμύμονι φωτὶ καὶ ἐσθλῷ,
θαρσαλέως μάλα πολλὰ διίκεο, — — —

quod Homerus bis cum eodem verbo Il. 9, 61. 19, 186. contexuit *πάντα*. Nam apud Quintum olim v. 77. et 78. cum dimidio nostri prorsus abfuerunt. Neque defectus ille latuit editores priores, cumque Tychsenius demum e libro Monac. supplevit. Iam quum ea ipsa verba, quae corrupta esse dicuntur, eius rei caussa fuerint (aberravit enim librarius a vers. 76. ad 79. *οὐθ᾽ ἡμεῖς, μάλα πολλὰ πονεύμενοι,* et scripsit *θαρσαλέως μάλα πολλὰ πονεύμενοι· ἀλλ᾽ ἄγε θᾶσσον*), utroque loco *μάλα πολλὰ* lectum fuisse apparet. Nec video, quidni Ulixes Neoptolemo regerere potuerit, cum qui-

dem multa admodum dicendo percurrisse, sicut virum fortem et strenuum deceat, nec tamen vel patrem intrepidum vel reliquos Achivos omnes Troiam vi expugnasse? Denique ex tertio loco X, 309.

κάλλιπες ἐν μεγάροισι, μέγ᾽ ἄσπετα κωκύουσαν,

μέγα eximendum putatur, quod mirum sit, ni Quintus scripserit: *μεγάροισιν ἀάσπετα κωκ.* Nec dissimulandum est, id nostro alibi fuisse satis, velut I, 150. III, 460. X, 175. XIII, 93. Sed eadem certe ad adiectivum affluit abundantia VIII, 428.

— — *μάλα γάρ σφιν ἀάσπετον ἔπλετο κάρτος.*

Paullo post VIII, 137.

Εὐρύπυλος δὲ πρῶτος ἀνειρόμενος προςέειπε· —

ne verbum casu proprio et suo careat, tentatur *Εὐρύπυλος δέ ἑ πρ. ἀν. πρ.* Equidem personae accusativum, etsi hac in structura regnat, participio insequente tanti haud emam. Si quis autem contrarium unice verum habet, ei praeter Quinti versum XIV, 184.

— — *καὶ τοῖα παρηγορέων προσέειπεν·*

ipsa homerica quaedam erunt corrigenda, vid. Od. 4, 234. 24, 350. 393.

Neque emendationi p. 1238. propositae, ex qua in similitudine XI, 110. sqq. obvia

ὡς δ᾽ ὅτε τις γεράνοισι τανυφθόγγοισι χολωθεὶς
οὖρος ἀνὴρ πεδίοιο μέγ᾽ ἀσχαλόων ἐπορούσῃ,
δινήσας περὶ κρατὶ θοῶς μάλα νεῦρα βόεια,
λᾶα βάλῃ κατέναντα, — — — —

δινήσας δ᾽ ἐπὶ κρατὶ θ. rotans super caput fundum restituitur,1179
assensum praebuerim. Nam primum *ἐπὶ κρατὶ δινήσας* non est *super caput*, sed *in capite rotans*, quod ne fieri quidem potest, deinde participia in comparatione cumulata non tantae sunt offensae, ut adversativa quoquo modo sit inserenda, cf. III, 181. 201. sq. XI, 228. sqq.

Quae p. 1239. de relativo XII, 56. et articulo ib. 315. eiiciendis disputantur, ea accuratius scrutari nolim. Huius vero proscriptionem testimoniis parum idoneis confirmari ac probari facile patet, in prioribus autem *ἃ μὲν* i. e. *τὰ μὲν* op-

poni posse sequentibus

— — — — παραΐσσουσι δὲ λαοὺς
δεξιοὶ ὄρνιθες, ταναῇ ὀπὶ κεκληγόντες. —

vix erit negandum. Nam et fulmina et fausta avium auguria ab ipso Iove missa iudicat Calchas. Neque id Homerus ignorat, quo auctore, ut alia silentio praeteream, Priamus in Achillis castra profecturus Hecubae coniugis admonitu felix augurium a Iove sibi expetit, et aquila a deorum patre demissa omnium animos bona implet spe, vid. Il. 24, 290. sqq.

Comparatio XIII, 133. lecta interpunctione sublata arctius cum antecedentibus p. 1240. copulatur, ita quidem

— — — — — — οὐδέ τις ἦεν,
ὅς κεν ἄνευθε φόνοιο φέρε στονόεντα σίδηρον,
οὐδ' εἴ τις μάλ' ἄναλκις ἔην· ὀλέκοντο δὲ Τρῶες,
ὡς ὑπὸ θώεσι μῆλα δαΐζεται ἠὲ λύκοισι, κτέ.

Delevit ergo in fine tertii versus colon, quo ultima a proximis secernebantur, et initio sequentis adversativam δὲ, aderat enim: ὡς δ' ὑπὸ θ. μ. Sibi enim persuadere nequit, verba ὀλέκοντο δὲ Τρῶες, nude ac simpliciter post longiorem trucidationis descriptionem posita, sic a Quinti manu esse profecta. Ut igitur Troum caedem minus languide enarret poeta, ea, quae dixi, aliter instituit. At vereor, ut, dum haec scriberet auctor, singulorum nexum et compagem diligenter examinaverit. Vix enim, ubi posthomerica ipse evolveris, dubium esse poterit, quin verba ista sequentibus consociata ad priorem imaginem, qua Troianorum strages cum suum multitudine, in opulenti regis aula mactatorum, componitur, solam sint referenda. Proxima autem similitudo qua Achivi lupis, Troes interfecti ovibus ab illis pastore absente trucidatis comparantur, a versu 133. orditur, ideoque haec illis, ut fieri solet, particula δὲ adiunguntur. Pluribus enim exornandi caussa intersertis redit oratio v. 141. ad id, unde degressa erat, hisce:

ὣς Δαναοὶ Πριάμοιο κατὰ πτόλιν ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
κτεῖνον ἐπεσσύμενοι πυμάτην ἀνὰ δηϊοτῆτα.

Quod si tenueris, nullam prorsus novandi caussam subesse, facile, opinor, concedes. In magna enim comparationum multitudine epicos Graecos aliam alii potius subiungere, quam sin-

gulas sine ullo vinculo libere ac solute proferre inter omnes constat. Quare exemplis ubique oblatis abstineo.

Locum difficilem XIII, 192., ubi Ilioneus senex, Diomedi supplex, mortem deprecatur hisce:

γουνοῦμαί σ', ὅτις ἐσσὶ πολυσθενέων Ἀργείων,
αἴδεσαι ἀμφὶ γέροντι τεὰς χέρας, — —

de quo p. 1241. agitur, minime sanatum crediderim. Rhodomanni quidem coniecturam, qua γέροντι metri caussa genitivo γέροντος supposuit, iam Pauwius iisdem propemodum argumentis refutavit. Sed quod ille voluit: αἴδεσαι ἀμφιγέ- 1180
ροντος ἐμὰς χέρας, *reverere meas valde senis manus*, ita noviter et exaggerate dictum est, ut cothurno fortasse sit condonandum, ab epica simplicitate admodum abhorreat. Quid porro utilitatis afferre poterat Ilioneo, si Diomedes manus eius revereretur, a caede sibi non temperaret? Nec plus proficimus iis, quae suo ex penu superaddidit Bonitius, dicens vel αἴδεσαι ἀμφί τι esse consociandum, vel αἴδεο δημογέροντος rescribendum. Alterum enim barbarum duco, alterum et a vulgari remotius et illo nihilo melius est. Iam quum Ilionei preces similitudine quadam ea attingant, quibus Homeri principes aliis supplicant, velut Lycaon Achilli Il. 21, 74., Ulixes Nausicaae Od. 6, 149. vulnus altius latere existimaverim, et medicinam eius aut a libris plenioribus et magis castigatis, aut ab ingeniosiore aliquo exspectandam.

Eleganti denique emendationi, qua XIV, 402., ubi αὐτοί legitur, παῦροι δὲ πυρὴν πολέεσσι τίθεντο refingit, plus fidei conciliari poterat iis, quae II, 336. sq. leguntur:

— — — ὅμως δ' ἔτι φέρτερός εἰμι
πολλῶν ἀνθρώπων, παυροῖσι δὲ γῆρας ὑπείκει.

Add. I, 635. V, 54. 56. VI, 496.

Iam nihil restat, nisi ut ea, quibus mea sint impugnata, recognoscamus et examinemus. Qua in re ita versabor, ut brevitati, quantum fieri poterit, consulam. Nam profecto non is sum, qui, quaecunque olim scripserim, fixa et rata habeam; imo iis multa aperte falsa inesse minime negaverim. Illo enim tempore a praesidiis fere destitutus atque imparatus ad Quintum emendandum me contuleram, nullo alio adiumento nisi

ingenii facultate et iterata poetae ipsius lectione aliquantulum adiutus. Plura vero subsidia et coniuncta doctorum opera et aucta epici sermonis scientia, assiduum denique ipsius Quinti studium ei, qui hodie de posthomericorum libris bene mereri cupiat, attulerunt. Quare non mirum erit, si quis alius eadem provincia maiore cum laude ac successu fungi et potuerit et voluerit. Verum ea, quae mihi Bonitius opposuit, levioris plerumque sunt momenti, ac tantum abest, ut, quae mihi visa sint, reiiciant, ut sententiam olim dictam non ita raro confirment. Hoc ex genere, nisi fallor, sunt, quibus p. 1240. Piersonis emendationem defendendam suscepit. Narrantur enim XIII, 68. sqq. de Graecis ex insula Tenedo media nocte ad Troiam invadendam redeuntibus haec:

αὐτοὶ δ' αἶψ' ἐκβάντες, ἐς Ἴλιον ἐσσεύοντο
ἄ τ ρ ο μ ο ι, ἠΰτε μῆλα περὶ σταθμὸν ἀΐσσοντα
ἐκ νομοῦ ὑλήεντος ὀπωρινὴν ὑπὸ νύκτα·
ὣς οἵγ' ἀ ν ί α χ ο ι Τρώων ποτὶ ἄστυ νέοντο, κτέ.

Pierso ergo, quod *ἄτρομοι* vox sit ovium naturae contraria, ex Homeri Iliade 13, 41. *ἄβρομοι, αὐΐαχοι*, quo Graeci magno cum clamore Troiae muros subiisse dicantur, huc advocanda censuit. Equidem in mantissa observat. ad Quint. p. 264. contra monueram vocem *ἄβρομος* in ovium sive balatum sive strepitum minus cadere, ideoque, si quid esset mutandum, *ἀθρόοι* suaseram, praesertim quum Graecis, ut Troas laterent, tacite fuerit progrediendum, eique consilio *ἀνίαχοι* expedire putabam. Ea adversarius, Piersoni adstipulatus, sic refellit, ut contendat, Troia iam capta silentium obfuisse magis quam profuisse Achivis, adiectiva *ἀθρόοι* et *ἀνίαχοι* sibi non concinere, *ἄβρομος* denique maximam sonorum varietatem significare, et proinde difficile esse iudicatu,
1181 utrum ovium balatui indicando aptum sit, necne. In eo rei cardinem verti nemo non videbit; poetam enim, tametsi Argivi, an equo inclusi rem prospere gessissent, scire nondum poterant, ideoque et prudentia et silentio erat opus, si quidem *ἄβρομος* et *αὐΐαχος* consentanea sunt habenda, aliter de hisce statuisse concedo. Iam *βρόμον* Quinto ignotum fuisse supra dixi, de verborum autem significatu et suus quemque

sensus et lexica contrarium docebunt. Ne vero id, quod praecipuum et summum est, subterfugisse videamur, Quinti usum accuratius scrutemur oportebit. Is igitur *βρέμω* et *βρομέω* cum compositis *ἐπιβρέμω, περιβρέμω, ἐπιβρομέω* et *περιβρομέω* aliquoties usurpavit. Significatur autem hisce vel aquarum strepitus, sicut II, 473. VII, 119. 240. 547., vel tonitru fragor, vid. I, 694. XIV, 458., vel ignis crepitus XIII, 490., vel venti stridor VIII, 60., vel armorum sonitus VI, 329. IX, 221., porro transfertur ad lamentantium fletus III, 506., ad boum mugitum IV, 240. VII, 259., denique ad apium susurrum XI, 383. Nullum horum omnium ovium balatui respondet, verbum igitur, quemadmodum iudicavi, hic absonum esse sequitur. Possim hic alia etiam adiicere, velut disciplinam Achivorum militarem, cui dissonus iste clamor minime congruit, vid. Hom. Il. 3, 8. Sed iis eo facilius supersedendum erit, quo luculentius iam patebit, oves balantes sive alio quocunque modo, etsi id ipsum a miti ovium indole longe abest, strepitantes non adesse. Alterum vero *ἀνίαχοι* in medio relinquendum erit: utrum enim verum ac germanum sit, an corruptela quadam laboret, dirimere non ausim. Principiis autem repugnantibus consequentia non minus falsa pravaque esse habenda crediderim.

Alibi benignius mihi impertiuntur, quae neque ipse scripsi, nec quisquam sanus unquam scribet. Ita p. 1233. Quint. VI, 54. *αὐτοῖς ἠδ' ἵπποις* ex I. IX, 534. redditur, nec vero *αὐτοῖς τ' ἠδ' ἵπποις*, quod ego quidem aliquot locorum homericorum similitudine inductus in mant. observ. p. 205. alio in versu Quinti exarandum praeceperim, adduntur que haec: „Etenim Quintum *non potuisse* per simplicem particulam *ἠδὲ* talia coniungere, vix quisquam contendet; complures autem loci, in quibus codices *τε* non habent, si se invicem nondum satis tueri videantur, uno certe ex loco fidem accipiunt, cui *τε* propter metrum intrudi nequit, XI, 304. *ἀνέρες ἠδ' ἵπποι*, quo monemur, ut cautius versemur in adhibendis exemplis homericis ad emendandum Quinti textum.“ At id nunquam negavi, sed, ubi duo sibi opponuntur, ad Homeri exemplar duplicem plerumque adesse coniunctionem statui, idque alios

non minus praecepisse video. Neque apud Quintum desunt, quae huic decreto fidem faciant, velut VIII, 158.

νῦν δ', ἐπεὶ οὖν γενεὴν ἐδάης ἵππων τε καὶ αὐτοῦ,

add. III, 681. 721. V. 621. sq. IV, 86. VII, 682. X, 2. Iis vero, a quibus numeri particulam duplicem removebant, postea certe *ἠδὲ καὶ* solet adiici, velut III, 726. *ἐπειὴ βόες ἠδὲ καὶ ἵπποι*, cf. IV, 533. IX, 237. Quare mirum est, quod Quintus isto adminiculo passim caret, vid. insuper VII, 720. VIII, 235., idque librariis potius quam poetae tribuendum putavi. Eum vero *non potuisse non* uti duplici particula, quantum video, ne in animum quidem induxi.

Nec meam sententiam evertunt ea, quae p. 1229. ad II,
1182 230. sqq. cll. III, 63. sqq. disseruntur. Utroque quidem loco haud dubie agitur de turbine subterraneo, verum auctor ad eorum fontem, quae prioribus versibus leguntur, non rediit. Unde factum est, ut in devia aberraret. Iam Tychsenius ista sic dedit:

εὖτ' ἄνεμος μελάθροισιν ὑποχθόνιος ἐπορούσῃ
λάβρος, ἄφαρ δέ τε πάντα κατὰ χθονὸς ἀμφιχέηται
ἐκ θεμέθλων· μάλα γάρ ῥα περιτρομέει βαρὺ γαῖα.

Verum editiones priscae ab initio habent: *εὖτε γαίης μελάθροισιν ὑποχθονίοις ἐπορ.* Rhodomannus *ἄνεμος βάθροισιν*, Pauwius *εὖτ' ἀὴρ μελάθροισιν ὑποχθόνιος ἐπορ.* suasit. Apparet igitur Tychsenium suum ex utroque conflasse. Equidem integram Rhodomanni emendationem recipere malui hisce de caussis: primum *γαίης*, quod vulgare erat, tanquam glossa adiici potuit *βάθροισιν*, deinde evitamus et syllabam liberius productam et nomen nunquam alias a Quinto media correptum, vid. I, 170. 468. II, 128. 438. III, 470. VI, 145. 274. VII, 260. 282. 330. 557. IX, 40. X, 21. 320. 328. 413. XIII, 82. 102. 430. 433. 439. XIV, 480., denique bina epitheta vento addita molesti quiddam habere intelligitur. Nec bene comparari poterunt ea, quae participium adsciscunt, veluti VIII, 71. XIII, 481. Ventum autem terrae fundamenta concutientem esse subterraneum sua sponte intelligitur, minus igitur opus est nostra ad III, 63. similitudinem accommodare. Utrum autem Quintus *βαθύ* an *βαρύ γαῖα* dederit, incertum est;

hoc redit IV, 352., illud semel III, 65. adest. Neutrum vero quisquam absonum importunumve iudicabit, eamque ob rem librorum auctoritatem deserere nolim.

IX, 346. sqq. leguntur haec:

— — — — — *οὐδ' ἐλέησαν*
κουριδίους περ ἐόντας· ἐπεί ῥ' ἀπαναίνεται ἦτορ
ἀνέρος ἠδὲ γυναικὸς, ὅτε ζηλήμονι νούσῳ
ἀμφιπέσῃ. — — — — —

Ibi quum a Lemniarum facinore poeta ducat initium, ex Apoll. Arg. I, 609. sqq. *ἀνέρας ἠδὲ γυναῖκας* repetendum putavi. Bonitius neque illam imitationem manifestam esse dicit, neque *ἦτορ* sine ullo genitivo verum habet. Quare p. 1226. genitivos retinet, et poetae verba sic interpretatur: „*respuit animus viri et mulieris, ubi in zelotypiam incidit*" scil. eos, quibuscum matrimonio iuncti sunt *τοὺς κουριδίους*. Eam vero ellipsin duriorem etiam habeo, quod verbo quartus casus, nisi res ipsa manifesta est, vid. Il. 7, 135. vix poterit abesse, cf. Od. 10, 297. Nonn. Dionys. VIII, 274., *ἦτορ* autem tum de moerore, cf. III, 368. IV, 435. VII, 659., sine personae genitivo conspicitur, et proinde aliis etiam animi affectibus poterit convenire. Verum duritiem quandam remanere apertum est. Quare id, quod olim mihi in mentem venit: *ἐπεὶ μάλα μαίνεται ἦτορ* iam magis probo, cui ipsi et alia concinunt, vid. XII, 65. 532. 534., et affectus optime sic describitur, cf. VI, 32. sqq. XIII, 375.

Quae proxime praecedunt VII, 76. sq.

— — — *τὰ δ' ἄλλυδις ἄλλα φέρονται*
πνοιῇ ὡς ἀνέμοιο. — — — —

affecta putabam et *πνοιῇ ὁμῶς ἀνέμοιο* proponebam, celeritatem fati immissi potius quam eius mobilitatem indicari opinatus. Iam lubenter dabo Bonitio venti flamen utrique notando aptum esse, sed comparandi necessitatem nullam video, imo eam absonam duco, nisi quis ad nominativum priscis in editionibus lectum velit redire *πνοιὴ ὡς ἀνέμ.* Accedit, quod levi 1183
ista emendatione et hiatus removetur et id aderit, quod poetis maxime familiare est. Laudavi olim homerica exempla, Quintus vero eodem delectatur dicendi modo, veluti de avi-

bus V, 13. *φαίης κεν ζώοντας ἅμα πνοιῇσι φέρεσθαι*, et IX, 503. in comparatione eandem fortunae inconstantiam illustrante: *εἰδόμενοι φύλλοισιν ὑπὸ πνοιῆς ἀνέμοιο Σευομένοις.* Quo loco arbiter noster male admodum retinet *πνοίης*, et accentus pravitatem, quam alia testimonia aperte coarguunt, hic etiam illaturus est scribendo *πνοίης ὡς ἀνέμοιο.* Praeterea ipsa verborum collocatio refragatur similitudini isti, vid. excurs. meum ad Il. XXVI. p. 36. sqq. Neque v. 71. *θεῖς ἐν γούνασι κεῖται* probaverim, quod formam dicendi solemnem et omnibus propemodum epicis usitatam vix alio detorserit Quintus.

Verba *ἀκαχεῖν* et *ἀπαφεῖν* in posthomericis aliquoties confundi in mant. observ. p. 218. docui. Bonitius fines istius confusionis a me positos p. 1223. ulterius profert, duosque versus, quorum unum eximendum putaveram, eadem macula inquinatos dicit. Quod quum meam caussam magis adiuvet, quam ei obsit, aliis doctioribus iudicandum relinquo.

Ibidem locum alium XIII, 394. a me non persanatum esse conqueritur. Sed nullum ei vitium inesse crediderim. Sermo est de Menelao, qui Helenam perfidam, nisi Venus impedivisset, et flamma pristina amoris resuscitata gladium de manibus excussisset, erat traiecturus. Addit deinde Quintus:

τῷ δ' ἄρα θάμβος ἄελπτον ἐπήλυθεν· οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη,
κάλλος ἰδὼν ἀρίδηλον, ἐπὶ ξίφος αὐχένι κῦρσαι.

Iam quum Menelaus gladium e manibus demissum versu demum 403. resumat, ut istam repugnantiam tollat, noster scriptor *ἐπὶ ξίφος αὖ χερὶ κῦρσαι* suadet, idque priora complexus vertit: „*non sustinuit, illustrem pulchritudinem inspiciens, manu iterum niti ad gladium*, vel *manu tendere ad gladium.*“ Verbum enim *κυρεῖν* non semper significare fortuito in aliquid incidere, verum etiam industria et consilio in aliquid niti, velut apud Hom. Iliad. 23, 821. *αἰὲν ἐπ' αὐχένι κῦρε φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ*, eamque significationem hic subesse. At iste quidem Homeri versus interpretationi propositae infestissimus est. Diomedes enim gladio Aiacis cervici imminet, si quis autem manu tollit ensem, is profecto nullo aut exiguo studio in eum nititur. Tum structura homerica plane

invertitur: ibi enim gladii aciem cervici adversarii intentat Tydides, hic Menelaus manu iterum in telum nititur, aliud igitur facit Atrides, aliud Tydei filius, et diversissima duo similitudine quadam coniuncta habentur. Quapropter nemo istam probare poterit rationem. Nec tamen video, quid vulgari obstet interpretationi: Menelaum enim gladium ne sublatum quidem Helenae cervici non iterum admovisse aut admovere ausum esse sequitur. Accedit, quod in Iliade plurimi libri *ἀκωκὴν* scribunt, idque Quinto fortasse cognitum et lectum fuit. Quod vero postea demum Menelaus attollit ensem, id ipsum vel ad priorem eius stuporem explicandum maiorem habet vim, vel, ut Pauwius voluit, cuius notam censor ne inspexisse quidem videtur, poeta ipse rei gravitate quasi attonitus narrandi ordinem perturbavit. Nihil igitur erit mutandum.

Poeta de Troilo, cuius arma praemii loco Thetis offert, pluribus exponit, cumque admodum adolescentem ab Achille interfectum narrat IV, 419. sqq.

— — — *τὸν ἠϊθέων μέγ' ἄριστον* 1184
Τροίῃ ἐν ἠγαθέῃ Ἑκάβη τέκετ', οὐδ' ἀπόνητο,
ἀγλαόν· ἤδη γάρ μιν ἀταρτηροῦ Ἀχιλῆος
ἔγχος ὁμοῦ καὶ κάρτος ἀπήμερσαν βιότοιο.

In quibus, quum editiones antiquiores *οὐδ' ἀπόνητο ἀγλαόν* non distincta, sed consociata proferant, *ἀγλαοῦ* reponendum putavi, idemque Pauwio iam in mentem venisse postea didici. Bonitius p. 1222. triplici de caussa aliter iudicat. Nam verbum *ἀπόνασθαι* plerumque rebus, nec personis adiunctum reperiri, unde dicendum fuerit: nullum fructum cepit mater ab eius *nobilitate* (*ἀγλαΐης*), neque ab eo nobili; tum *οὐδ' ἀπόνητο* saepe nude ac simpliciter usurpari, sicuti plura doceant Homeri exempla; denique proximam comparationem eo spectare, quod Troilus admodum iuvenis praematuro fato obierit: iam vero Homerum pariter ac Quintum idem fere et ante coeptam comparationem dicere et post finitam repetere, aliud igitur quiddam atque *ἀγλαόν* sive *ἀγλαοῦ* exspectari. Proinde distinctione sublata, quia hoc postea revertitur *ἄχνοον ἤδη γάρ μιν κτέ.* scribit. Ex iis vero, quas attulit,

rationibus altera nulla est, vix enim homericum usum ignoravi, neque ille unquam exstat apud Quintum; prima eo laborat, quod VIII, 298. legitur *παιδὸς δ' οὐκ ἀπόνητο*, add. Nonn. Dionys. III, 114. VII, 301., neque homerica quaedam, velut Od. 11, 323. 16, 120. 17, 293. aliter possunt explicari; ultima denique angustioribus circumscribenda est finibus, quippe quae comparationibus eiusmodi, qualis nostra est, non concinat, in iis enim similitudinem praemittere absonum est. Innectitur ea potius rei comparatae, unde hic quoque id, quod emendatione facta quaerit, versu 425. clarius et apertius indicatur: *ἢ στάχυν ἢ μήκωνα, πάρος καρποῖο τυχῆσαι*, add. I, 5. 48. 63. 179. 315. 396. 440. 488. 524. 633.; ubi contra praecedentibus similitudo arctius committitur, ibi ista ratio valet, ut I, 37. 76. 175. 320. 535. 540. 613. Itaque vel nostrum erit tenendum, vel, si auctorem aliquid vidisse concesseris, scribamus oportet *ἀγλαὸν ἤδη γὰρ μ.* Sed minime placet *γὰρ* postpositum, cui perpetua fere Homeri consuetudo obloquitur, vid. Il. 1, 260. 590. 3, 205. 5, 188. 206. 6, 361. 14, 206. 249. 305. 15, 110. 139. 613. 19, 334. 20, 306. 23, 623. 24, 765. Od. 2, 89. 3, 335. 5, 161. 223. 6, 34. 10, 381. 12, 451. 13, 40. 15, 16. 66. 17, 606. 19, 222., sin autem contrarium aliquando obvenit, ut in Il. 23, 20. 180. Od. 2, 410, 18, 175., mutata singulorum collocatio aliunde repetenda est. Neque fides habenda est Bonitio in iis, quae de prava interpunctione in l. XI, 151. sq. tradit, eam enim de suo finxit, laureolam in mustaceo quaerens.

1192 Venio iam ad ultimum, de quo mecum expostulavit adversarius. Legitur id VII, 381.

— — — *καὶ ὁππόσα Τρῶας ἔρεξεν,*
ἀμφὶ πόλιν Πριάμοιο φ έ ρ ω ν, κ α ὶ ὅ σ' Ἀτρείδῃσι.

Equidem olim insolitum epicis graecis statueram *κλέος φέρειν* eaque de caussa, reprobata Lobeckii emendatione *φέρων κλέος Ἀτρείδῃσι, φέρων χ ά ρ ι ν Ἀτρ.* scribendum esse conieceram, vid. II, 627. XI, 336. Iam scriptor noster meum quidem usitatius esse largitur, sed *κῦδος φέρειν* non minus legi apud Quintum admonet, affertque XI, 29. — — *ἐπεί νύ ἑ θυμὸς ἀνώγει Ἥρα φέρειν καὶ κῦδος ἐΰφρονι Νηρηΐνῃ.* At parum

attendit id ipsum, quod requirebam, verbis allatis inesse. Omnium enim usitatissimum est *ἦρα φέρειν τινί* sive *ἐπίηρα*, cf. I, 803. II, 650. III, 7. 110. 113. 670. V, 163. 274. X, 462. XIV, 70. 104. 251. 445. 508. VI, 371. XIII, 297. XIV, 638. Haec autem nihil valent ad meam sententiam refellendam, nec plus ponderis inest III, 698. — *φέρων Νηρηΐδι τιμήν.* At vero manus iam victas do, et ab ipso Lobeckio, quod iudicis diligentiam effugit, in parerg. ad Phryn. p. 675. sq. admonitus, ubi mihi nomen homericum *Φέρεκλος* opposuit, et aliunde meliora edoctus. Exempla enim certa et fide digna quum Homerus suppeditat Il. 22, 217. Od. 1, 283, 2, 217., tum etiam Quintus ipse XII, 252., ubi Sinonem dicentem facit haec:

— — — *τὸ γάρ νύ μοι εὔαδε θυμῷ,*
ἢ θανέειν δηΐοισιν ὕπ' ἀνδράσιν, ἢ ὑπαλύξαι,
Ἀργείοις μέγα κ ῦ δ ο ς ἐελδομένοισι φ έ ρ ο ν τ α.

PARTICULA QUARTA.

(MDCCCXXXVII.)

3 Ludos funebres, quos in Achillis interfecti honorem Thetis mater in Quinti posthomer. IV, 180. sqq. instituisse fertur, ad Homeri exemplar compositos esse sua sponte apparet. Ut enim eadem fere certaminum genera describuntur, ita singuli, qui in arenam descendunt, Homeri principibus sunt simillimi. At in tanta, quanta illius poetae libri scatent corruptela, haud pauca, quae rectius sapientiusque constitui possint, illic reperiri uno eoque luculento documento demonstrabo. Luctantes quidem Homerus Il. 23, 708. sqq. sistit Aiacem Telamonium et Ulixem, posthomericorum scriptor eundem Aiacem et Diomedem producit, eodem propemodum eventu decertantes; praemia enim partiti, neuter discedit victor. Utriusque autem robore collaudato Aiacis vim ac ferociam Tydidae astu et scientia elusam esse inde a vers. 224. enarrat hisce:

ὣς οἵγ' ἶσον ἔχον κρατερὸν μένος· ὄψε δ' ἄρ' Αἴας
Τυδείδην συνέμαρψεν, ἐνὶ κρατερῇσι χέρεσσιν
ἄγξαι ἐπειγόμενος· ὁ δ' ἄρ' ἰδρείῃ τε καὶ ἀλκῇ
πλευρὸν ὑποκλίνας Τελαμώνιον ὄβριμον υἷα
ἐσσυμένως ἀνάειρεν, ὑπὲρ μυῶνος ἐρείσας
ὦμον, καὶ ποδὶ μηρὸν ὑποπλήξας ἑτέρωσε,
κάββαλεν ὄβριμον ἄνδρα κατὰ χθονός· ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
ἕζετο· τοὶ δ' ὁμάδησαν· — — — —

In quibus explicandis probabilem operam collocavit Pauwius, nec tamen omnia, ut opinor, vere et commode quum instituit tum illustravit. Ac primum quidem posteriora sola atti-

git, in prioribus *ἆξαι*, quod olim ferebatur, expulso, *ἄγξαι* propterea quod Pollux in On. III, 5, 155. *ἄγχειν* iis annumerat verbis, quae luctae sunt propria, induxit. Tychsenius et in ea re Batavo assensum praebuit, et versu proxime antecedenti *ἐνὶ στιβαρῇσι χέρ.*, pro quo *ἐπὶ στ. χ.* legebatur, de suo, ut videtur, dedit. Neutrum horum mihi placet, vel dicam omnino displicet. Etenim *ἐν χείρεσσι ἄγξαι* pariter atque *ἆξαι* insolenter erit dictum, et fac verum esse, quomodo Tydides ex Aiacis manibus elabi potuerit, minime perspicies. Neque apte satis coniungemus haec cum prioribus *συνέμαρψεν ἐνὶ στ. χέρ.*, quandoquidem isti structurae vel simplex dativus convenit, vid. IX, 175. vel, si reapse duo corripiuntur, quartus casus ponitur, uti ab Homero Il. 10, 467. Od. 9, 289. 311. 344., vel denique alio modo res explanatur, vid. XII, 204.

συμμάρψας χείρεσσιν ὁμῶς χολάδεσσιν ἀκωκήν.

Contra *ἔν τινι μάρπτειν τινὰ* Quinto aut locum aut habitum, quo quis correptus dicitur, significat, vid. X, 398. XI, 396. Iam quum isto remedio nos nihil proficere intelligatur, alia ex vocula *ἐπὶ* ortam suspicor, et *ὑπὸ στιβ. χέρ.* restituo. 4
Id enim Quinto perquam familiare est, velut II, 121.

ἠδὲ καὶ ὣς ἐδάιξεν ὑπὸ στιβαρῇσι χέρεσσιν
ἀργαλέων Σολύμων ἱερὸν στρατὸν, — —

add. I, 534. IV, 255. V, 271. 566. VI, 113. alibi. Eandem utriusque confusionem reperimus VI, 209.

ἐν δὲ Νεμειαίοιο βίη ἐτέτυκτο λέοντος,
ὀβρίμου Ἡρακλῆος ἐπὶ στιβαρῇσι χέρεσσι
τειρομένου κρατερῶς· — — — —

futuro Quinti editori e prudenti Wernickii ad Tryphiod. p. 59. iudicio tollendam. Hoc igitur recepto, sive Aiax Diomedem suffocare (*ἄγξαι*) sive eum infringere (*ἆξαι*) fuerit annisus, sententiam melius et expeditius procedere nemo negabit. Priusquam vero, utrum illorum praestet, accuratius dispiciamus, eiusdem verbi, de quo supra dixi, vitium in transcursu abstergere liceat. Epici enim quum illius imperfecto, aoristo primo ac perfecto secundo maxime utantur, iure nos offendet III, 615.

ἀνέρι, τὸν τάχα γῆρας ἀμείλιχον ἀμφιμέμαρφε

eoque magis, quod Quintus ipse XII, 276. — *ἀλλά σε γῆρας*

ἀμείλιχον ἀμφιμέμαρπε profert, neque ab eo desciscunt alii, sicut Oppian. Hal. V, 636. Apoll. Arg. III, 147., quin simplex nullam aliam habet formam, cf. Quint. IX, 175. Apoll. I, 756. II, 535. 555. III, 1388. IV, 432. 1663. Id igitur primo loco reddamus necesse est; in priore autem versus parte ad hiatum evitandum *τὸν* scripsi ab Hermanno ad Orph. p. 744. repertum.

Sed revertar ad propositum. *Ἄγξαι* igitur, Pauwio inventore susceptum, iam Quinti usus, qui ab eo, nisi fallor, abhorret, in dubitationem vocat, *ἄγνυμι* vero, ad quod *ἆξαι* pertinet, certe bis nostri carminibus insertum conspicitur: eiusdem quidem aoristi participium XIV, 613. — *οἵ δ' ἐνὶ πέτραις Ἄξαντες περὶ νῆας*, alterius autem aoristi formam passivam revocari oportebit in eiusdem libri v. 595., ubi nunc habes:

— — — — *ὧν δέ που ἱστοὶ*
ἐκ κεράτων ἐράγησαν, ἐπισπέρχοντος ἀήτεω.

Nam quum navium mali ventorum rabie ex antennis fracti dicantur, mendo duplici sublato refingendum erit *ἐκ κεράων ἐάγησαν*, quorum alterum numeri, vid. libell. meum de prosod. Gr. §. 43, 7. ann., alterum grammaticae leges sibi expetunt. Praeterea apud nostrum compositum *συνέαξε* quater deprehenditur, cf. III, 27. VI, 288. XI, 463. 488. E quibus maxime memorabilis est secundus locus, in quo de Herculis et Antaei luctatione ita traditur:

— — — — *ἐν δ' ἐτέτυκτο*
ὀβρίμου Ἀνταίοιο μέγα σθένος, ὅν ῥα καὶ αὐτὸν
ἀμφὶ παλαισμοσύνης ἄμοτον περιδηριόωντα,
ὑψοῦ ἀειράμενος, κρατερῇς συνέαξε χέρεσσι.

Tychsenius quidem hic quoque *συνέαγξε* erat repositurus, sed id, quod forma non minus quam usus respuunt, postea aspernatus est. Hercules vero Antaeum sublatum, ne terrae admotus novas colligeret vires, validis manibus confregisse et interfecisse dicitur. Consentiunt haec iis, quae alii de eodem certamine memoriae prodiderunt, veluti Philostratus in imag. II, 21. *ὁρᾷς δὲ αὐτοὺς καὶ παλαίοντας, μᾶλλον δὲ πε-*
5 *παλαικότας, καὶ τὸν Ἡρακλέα ἐν τῷ κρατεῖν. Καταπαλαίει δὲ αὐτὸν ἄνω τῆς γῆς, ὅτι ἡ Γῆ τῷ Ἀνταίῳ συνεπάλαιε κυρτουμένη καὶ μετοχλίζουσα αὐτὸν, ὅτε κινοῖτο. Ἀπορῶν οὖν ὁ Ἡρακλῆς, ὅτι χρήσαιτο τῇ Γῇ, συνείληφε τὸν Ἀνταῖον μέσον ἄνω κενεῶνος, ἔνθα αἱ πλευραὶ, καὶ κατὰ τοῦ μηροῦ ὀρθὸς ἀναθέμενος, ἔτι καὶ τὼ χεῖρε ξυμβαλὼν, λαγαρᾷ τε καὶ ἀσθμαινούσῃ τῇ γαστρὶ ὑποσχὼν τὸν πῆχυν, ἐκθλίβει τὸ πνεῦμα, καὶ ἀποσφάττει τὸν Ἀνταῖον ὀξείαις ταῖς πλευραῖς ἐπιστραφείσαις εἰς τὸ ἧπαρ*, et Apollodor. bibl. myth. II, 5, 11. *ταύτης ἐβασίλευε παῖς Ποσειδῶνος Ἀνταῖος, ὃς τοὺς ξένους ἀναγκάζων παλαίειν ἀνῄρει· τούτῳ δὲ παλαίειν ἀναγκαζόμενος Ἡρακλῆς, ἀράμενος ἄμμασι μετέωρον κλάσας ἀπέκτεινε· ψαύοντα γὰρ γῆς ἰσχυρότατον συνέβη γίνεσθαι.* Vid. Salmas. ad Solin. 24. p. 205. Heyn. ad Apollod. l. l. Iacobs. et Welcker. ad Philostr. imag. p. 515. sqq. et Dissen. in explicat. ad Pindar. Isthm. III, 87. p. 508. apud Boeckhium. His igitur ac similibus plus fidei accedit Quinto, qui Antaeum fortibus Alcidae manibus *fractum* neque suffocatum scribit. Nam et Philostratus et Apollodorus, quanquam apud hunc olim *θλίψας* pro *κλάσας*, quorum alterum recte tutatus est Heynius, exstabat, eadem propemodum enarrant. Iam quum in veterum lucta omnis ars et contentio eo spectarit, ut adversarius firmo gradu insistens humi prosterneretur, idque ipsum, Salmasio teste, *ῥῆξαι* appellarent, vid. Feithii antiq. Homer. p. 447. et animadvers. p. 75., Aiacem quoque, robore manuum terribilium illato, Tydidem infringere et ita solo affligere studuisse sequitur. Quo posito *ἆξαι ἐπειγόμενος*, quod interpres latinus reddit: „*fractis viribus profligare properans*,“ isti certandi generi egregie conducet, nec quisquam Pauwianum *ἄγξαι ἐπ.* melius habebit. Ut enim hoc partem eius, quod Aiax efficere voluerit, indicari concedimus, ita illud toti principis consilio et luctationis fini optime respondere latebit neminem. Tantum igitur abest, ut Batavus vere praecipiat, ut vulgare, cui insuper librorum auctoritas adest, quum Quinti sermo tum rei ipsius natura ab omni novandi libidine defendat et tutum praestet.

Quae deinceps adduntur subitum Aiacis, Diomedis arte impulsi, nobis referunt casum. Ea Pauwius, inscitia interpretis Latini notata, explicat verbosius: „latus, inquit, quo

eum corripere volebat Aiax, id Tydides subinclinavit, et sic elusit eius corripiendi conatum. Interpres *coxendicem retrahens:* perperam et imperite. In latere Aiax corripere volebat Tydidem, ut sic brachiorum nodo eum constringeret: id elusit Tydides subinclinato latere, simulque Aiacem corripiens sustulit, humerum suum in eius brachii pulpam valide immittens. Quo facto statim pede et genu suo femur Aiacis *altrinsecus protrusit,* eumque sublatum sic prostravit terraeque illisit: vides? haec ratio pugnae. *Ποδὶ* interpres recte vertit *genu:* eo enim femur protrudendum erat aut saltem parte pedis superiore." Haec quidem maiore ex parte bene et apte sunt disputata: Aiace enim Diomedem robustis manibus arreptum comprimere annitente, is latere inclinato Telamonium ipse sustulit, humeroque super brachii pulpam inserto adversarii femur percussit eumque deiecit. Neque Ulixes cum Aiace colluctans dissimili utitur dolo in Homeri Il. 23, 725. sqq.

ὣς εἰπὼν ἀνάειρε· δόλου δ' οὐ λήθετ' Ὀδυσσεύς·
κόψ' ὄπιθεν κώληπα τυχὼν, ὑπέλυσε δὲ γυῖα·
κὰδ δ' ἔβαλ' ἐξοπίσω· ἐπὶ δὲ στήθεσσιν Ὀδυσσεὺς
κάππεσε· λαοὶ δ' αὖ θηεῦντό τε θάμβησάν τε.

Quinto igitur Homerica obversata esse et utriusque docet comparatio et ea ostendunt, quibus Ulixes Aiacem infra compellat V, 313. sqq.

6 *καὶ δ' αὐτὸς σάφα οἶδας ἐμὸν μένος, ἠδὲ καὶ ἄλλοι,*
ἀμφὶ παλαισμοσύνῃ πολυτειρέϊ πολλὰ μογήσας,
ὁππότε δὴ περὶ σῆμα δαϊκταμένου Πατρόκλοιο
Πηλείδης ἐρίθυμος ἀγακλυτὰ θῆκεν ἄεθλα.

Verumtamen Homerus eo differt, quod Ulixes Telamonii poplitem (*κώληπα*) percellit, etsi veterum quidam eo femur significari putarunt: quo concusso Aiax resupinus decidit; noster autem Tydidem Aiacis, ab humo paullulum elevati, femur percellentem sistit, eoque impulsu Aiax oblique in terram demittitur. At haec ipsa, si quid video, Pauwium aeque atque latinum interpretem a vera singulorum vi et potestate aberrasse nos admonent. Vix enim apparet, cur Tydides Aiacis femur altrinsecus impulisse dicatur. Itaque distinctione, quae

in Quinti monumentis saepe pessima est, deleta, *ἑτέρωσε* cum proximi versus initio conflandum erit. Unde haec fere emergitur sententia: *et genu femur succutiens virum terribilem altrinsecus humo afflixit, eique insedit.* Tydides enim arte et calliditate id assecutus est, ut Aiax oblique prosterneretur. Neque erit negandum eam verborum structuram tum certamini isti quadrare, tum ab adverbio *ἑτέρωσε*, quod plerumque ita iungitur,` paene exposci. Hoc igitur modo Quintus ipse I, 610.

καὶ τὰ μὲν ὣς ὥρμαινε· θεοὶ δ' ἑτέρωσε βάλοντο·

cuius hemistichium posterius X, 427. repetitur, in priore vero pluralem et aliis exemplis confirmatum, et a Glasewaldo coniect. in Quint. p. 9. requisitum adscivi. Ista autem Quinti exempla tum nostri versus emendationem adiuvant, tum ea stabiliunt, quae de Od. 1, 234. in libr. de vers. Gr. her. p. 97. olim dixi. Fidem autem augent testimonia Homeri et illic a me congesta et alia, quae iis poterunt annumerari, vid. Il. 4, 492. 8, 308. 13, 543. 23, 231. Od. 16, 179. 19, 470. 22, 17. Illa enim manifesto docent *ἑτέρωσε* adverbium plerumque consociari cum verbo, quod motum aliorsus vergentem declarat. Quod reliquum est, nemo, opinor, dubitabit, quin haec ratio Aiacis ac Diomedis certamini maxime sit idonea.

Postea Aiax inopino casu exacerbatus humo se levat, et Diomedem ad certamen repetendum in medium provocat. Is nihil moratus obviam it adversario, et uterque tauris intrepidis similis iterum congrediuntur. In ista vero similitudine, qua veteres poetae colluctantium vim ac rabiem saepe illustrant, et longius producta et speciosius exornata, v. 241. sqq. nobis offeruntur haecce:

— — — *τοὶ δ' ἄσχετα μαιμώοντες*
κράατα συμφορέουσιν ἀτειρέα καὶ μέγα κάρτος
θυμῷ ἐπ' ἀλλήλοισι πονεύμενοι· ἐκ δὲ μόγοιο
λαβρὸν ἀνασθμαίνοντες ἀ μ ε ί λ ι χ α δ η ϊ ό ω ν τ α ι.

At in tauros omni virium nisu confligentes minus cadit ultimum, pro quo, litterula ex fuga retracta, *δ η ρ ι ό ω ν τ α ι* scribere consentaneum erit. Eo nos primum ducit interpretatio latina: „*crudeliter belligerantes*", tum notum utriusque

verbi discrimen, quorum alterum *occidere*, alterum *decertare* significat. Ubi vero neuter vicit et pari utrinque animo res geritur, prius absonum esse facile patet. Etsi non mirum est, quod alterum in alterius locum passim invasit temere; proinde Tychsenius infra v. 255., ubi eadem regnabat con-
7 fusio et praesens insuper imperfectum de statione moverat, quod iam Rhodomannus perspexerat, bene ac vere restituit:

ἄλλοι δ᾽ ἀλλοίως ὑπὸ χείρεσι δηριόωντο.

Alia eiusdem erroris testimonia sciens praetereo, et adiicere satis habeo posterius apud epicos citerioris aetatis non modo belli, quod ipse Homerus novit, sed etiam certaminis privum ac proprium esse, vid. V, 110. VI, 278. et compositum *περιδηριάομαι* IV, 165. VI, 278. de Herculis et Antaei luctatione, quo testimonio supra sum usus. Hinc simplex eidem imagini adhibuit Apollon. Arg. II, 89. Ad haec accedit, quod nominis, ex quo verbum fluxisse apparet, perpetuum fere epitheton est *ἀμειλίχος*, sicut paullo ante de Aiace v. 233. legimus:

Αἴας ὀβριμόθυμος ἀνίστατο, δεύτερον αὖτις
ὁρμαίνων ἐς δῆριν ἀμείλιχον· — —

add. II, 420. VII, 105. VIII, 181. IX, 97. 205. Contra *δηϊοῦν* sive *δηοῦν* participii potissimum formam nostro simillimam habet, cf. II, 397. VII, 544., ubi de iis, qui hostes in aperta pugna prosternunt, dicitur, et III, 411., quo loco ad Achivos luctum de Achillis caede crines identidem evellendo testificatos transfertur:

χαίτας ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους δηϊόωντες·

idque ad Agamemnonis Homerici similitudinem, vid. Il. 10, 15., noster effinxit.

Tum v. 249. in Tychsenii editione numeris claudicantibus legimus:

δένδρ᾽ ἐπ᾽ ἀλλήλοισι βάλωντ᾽ ἐριθηλέας ὄζους.

Id quidem vitium iam sustuli in mantiss. observ. in Quint. p. 224., sed profecto acta egi. Nam praeter Rhodomannum, cuius mentionem feci, Pauwiana quoque editio *δένδρε᾽ ἐπ᾽ ἀλλήλ.* recte exbibet. Quare obsoletum mendum non tam consilio quam casu iterum irrepsisse videbitur. Caeterum haud inepte defendit Pauwius *βάλοντ᾽* sive potius *βαλόντ᾽ ἐριθ. ὄζους*, cuius loco de Rhodomanni sententia aoristi subiunctivum recepit Tychsenius. Primum enim duram diphthongi elisionem ita declinamus, deinde *εὖτε* comparandi causa narrationi interiectum non ita raro cum participio iunxit Smyrnaeus, vid. I, 586. 635. III, 142. 221. VI, 341. VII, 516. Eandem vero similitudinem, ab arborum vento agitatarum strepitu ac susurro petitam, ad primum Medeae et Iasonis congressum et confabulationem eleganter traduxit Apollon. Arg. II, 967. sqq.

Neque ita multo post, diuturno labore frustra consumpto, Aiax tandem Diomedem v. 254. labefactat, quod poeta ita persequitur:

τὸν δ᾽ Αἴας καθύπερθεν ἐπεσσύμενον ποτὶ γαῖαν
ἐξ ὤμων ἐτίνασσε, κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδων.

Ea quidem, quae explicatus habent difficiles, latinus interpres reddit: „*tunc vero Aiax superne ad terram se incurvantem humero quassat, ad terrae solum affligere nitens.*“ Obloquitur Pauwius et in primo versu, quem interpretem perverse cepisse neminem fugiet, *ἐπεσσύμενος* scribit, idque cum Aiace coniungendum transfert: „*superne irruens.*“ Is plausum tulit Tychsenii, qui, commate post *ἐπεσσύμενον* illato, *ποτὶ γαῖαν ἐτίνασσε* consociavit, neque id a mente scriptoris alienum duxerim. Extrema vero alterius versus Batavus iterum ad Aiacem adiungit ita commentatus: „*κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδων se suffulciens pedibus illis robustis ad terrae solum*, ut sic validius scilicet *in terram quateret et deprimeret Tydidem*, cuius humeris incumbebat. Interpres Graeca non intellexit.“ Verum enim vero quum emendatio priore de versu proposita 8
dubia et anceps erit habenda, tum explicatio posterioris minus satisfacit. Atque illa quidem eo laborat, quod participium duplex *ἐπεσσύμενος* et *ἐρείδων* sine ullo apto vinculo conseritur cum Aiace. Rectius enim crediderim Aiacem Diomedis superne irruentis humeros concussisse et ita eum solo affligere annisum esse. Neque aliter de postremis interpretem iudicasse video. At quum ista prioribus missis in dissertat. de vi et usu praepositionum *ἀνὰ* et *κατὰ* apud Homerum p. 27. minus accurate vertissem: *ad terram eum affligens,*

non sine aliqua veri specie mea reprehendit Hermannus in opusc. V. p. 49. hisce: „At non prostravit Aiax Diomedem, ut ex iis patet, quae sequuntur. Quod si sic scripsit Quintus, *κατὰ* non est cum *οὖδας* construendum, sed dixit *οὖδας ἐρείδων premens solum*, idque *κατὰ χθονὸς contra terram nixus.* Vide vero an scripserit, *κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδειν, quo ille humi deiectus solum premeret.* Nam sic quoque *κατὰ χθονὸς* iungenda puto.“ Sed utraque ratio mihi quidem dura admodum et molesta videtur: quandoquidem priore ad id paene revolvimur, quod Pauwius voluit, praepositio autem sine ullo additamento abundat, et simplex genitivus *χθονὸς* isti proposito iam sufficit; posterior autem et eadem premitur difficultate et infinitivus solus ea omnia, quae in illo inesse dicuntur, vix potest comprehendere, neque verbum *ἐρείδειν* cum quarto casu iunctum ei quidem notioni aptum erit habendum. Quod ut clarius intelligatur, de eius et potestate et structura nonnulla disserere haud alienum a re erit. Quintus vero quum illud ab Homero acceperit, ubi opus erit, ad eum respiciamus necesse est. Ac primum quidem *οὖδας ἐρείδειν* transferri posse ad eum, qui nitendo vult efficere, ut *alius premat solum* sive *ei affligatur*, negaverim. Quartus enim casus cum hoc verbo iunctus nihil aliud significat, nisi *urgere* aliquem sive *premere*, quo ex genere notissimum est homericum Il. 13, 131. 16, 215. obvium:

ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ·

quod noster poeta imitatur IX, 544.

ἄλλος δ' ἄλλον ἔρειδε κατὰ στίχας· οὐδέ κε φαίης
κείνων ἐσσυμένων ἑκὰς ἔμμεναι ἄλλον ἀπ' ἄλλου.

Neque tamen id, quod Hermannus requirit, Homero ignotum inauditumque fuit, sed, ut par erat, longe aliter expressum. Ponit enim verbi vel passivum vel medium, tertio nominis casu adiuncto, ut illius exemplum praebet Il. 7, 145.

δουρὶ μέσον περόνησεν· ὁ δ' ὕπτιος οὔδει ἐρείσθη·

add. 11, 144. 12, 192., huius autem offerunt Il. 2, 109. 8, 496. Ubi vero activum eadem legitur potestate, ibi praepositio raro admodum desideratur. Atque Homero quidem *ἐρείδειν τι πρός τι* sive *ἐπί τινι* et *τινος infigere, acclinare ali-*

quid alicui legitima esse solent. Quorum prius conspicitur in Il. 22, 112.

καὶ κόρυθα βριαρὴν, δόρυ δὲ πρὸς τεῖχος ἐρείσας,

cf. Od. 8, 66. 473. 17, 29., posterius eadem rhapsodia comprobat v. 97.

πύργῳ ἐπὶ προὔχοντι φαεινὴν ἀσπίδ' ἐρείσας·

et v. 225.

στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς.

Praepositio si quando verbo ita dicto deest, eius vis aut ex aliis facillime patet, ut apud Apoll. in Arg. III, 1287., aut res ponitur accusativo, locus, cui innixa fertur, dativo, quod probat hymn. Hom. in Ap. 117. sq. de Latona parturiente:

ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισεν 9
λειμῶνι μαλακῷ. — — — —

Id verbo medio sic invertere licet, ut genitivo loci res, quae infigitur, dativo adiiciatur, vid. Il. 5, 308. 11, 355.

στῆ δὲ γνὺξ ἐριπὼν, καὶ ἐρείσατο χειρὶ παχείῃ
γαίης· — — — — —

Fines ab Homero praescriptos protulerunt ulterius recentiores; dicunt ergo *ἐρείδειν τι, κατά τινος* et *τι, ἐπί τινος* et *τινι*, cf. Apoll. Arg. I, 1010. 1022. 784. IV, 957. Neque exempla his finitima desiderantur apud Quintum, ut VI, 545.

ἔνθα τότ' Αἰνείαο κατ' ἀσπίδος ἔγχος ἔρεισε
Τεῦκρος· — — — — —

Idem ut manifestius declaretur, utraque praepositione conflata, scripsit III, 155. sq.

Ἱππόνοον δ' ἐδάμασσε κατ' ὀφρύος ἔνδον ἐρείσας
ἐς θέμεθλ' ὀφθαλμοῖο· — — — —

Ne quid autem dubii supersit, addere licebit *εἰς οὖδας ἐρείδειν* nostro nihil aliud esse, nisi *terrae affligere*, quod aperte demonstrant ea, quae de Achille traduntur III, 26. sq.

καί νύ κε πάντας ὄλεσσε, πύλας δ' εἰς οὖδας ἔρεισε
θαιρῶν ἐξερύσας — — — —

iisque proxima continentur cognatione XI, 390. sq. Quin simillima illis, quae huic nostrae quaestioni ansam dederunt,

XI, 32., ubi Neoptolemus Nirum Troianum interficit, reperiuntur:

— *καὶ τὸν μὲν ὑπὸ κρατερῇ χερὸς ἀλκῇ*
ἐγχειῇ στονόεσσα ποτὶ χθονὸς οὖδας ἔρεισε
θυμοῦ δευόμενον. — — — —

Cui alius locus, ubi ne adest quidem verbum, comes accedat e l. VIII, 229.

πλήθετο δὲ χθονὸς οὖδας, ἅδην δ' ἐρυθαίνετο λύθρῳ.

Genitivus insuper *οὔδεος*, praepositione *κατὰ* praefixa, saepissime invenitur de procumbentibus, velut de Penthesilea I, 622.

εὐσταλέως ἐριποῦσα κατ' οὔδεος· — —

de Achille, Apollinis sagittis ad terram defluente, III, 66.

ὣς ἐκλίθη δέμας ἠΰ κατ' οὔδεος Αἰακίδαο·

de fonte congelascente ib., 580.

— — *ἧς πουλὺς ὕπερ παγετός τε χιών τε*
ἐκκέχυται στυφελοῖο κατ' οὔδεος, — —

de Philocteta morbo tabescente solo affixo IX, 357.

— — — — *εὖτ' ἐσίδοντο*
ἀνέρα λευγαλέῃσιν ἐπιστενάχοντ' ὀδύνῃσι,
κεκλιμένον στυφελοῖο κατ' οὔδεος· — —

de segetibus grandine decussis et humi pereuntibus XIV, 78.

ὡς δ' ὅτε λήϊον αὖον ἐπιβρίσασα χάλαζα
τυτθὰ διατμήξῃ, στάχυας δ' ἀπὸ πάντας ἀμέρσῃ
ῥιπῇ ὑπ' ἀργαλέῃ, καλάμη δ' ἄρα χεύατ' ἔραζε
μαψιδίη, καρποῖο κατ' οὔδεος ὀλλυμένοιο
λευγαλέως, — — — — —.

Iam si quis haec omnia secum reputare voluerit, *κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδων terrae solo affligens* vel potius *affligere annitens* et significare posse et vere significare profecto concedet. Me quidem parum circumspecte prius adoptasse largior, ideoque Diomedem tunc quidem ab Aiace non postratum esse recte obiecit Hermannus. At de Aiacis conatu magis quam effectu cogitavi; vix enim ea, quibus haec quasi praeludunt, aut neglexi aut negligere potui. Pauwianam vero rationem Quinti sermoni adversari satis erit demonstratum. Etenim si tale quid indicaturus erat poeta, haud dubie scripsisset: *κατὰ χθονὸς ἴχνος ἐρείδων*, quod et aliorum et Coluthi est de rapt. Hel. v. 231.

— *φειδομένοισιν ἐπ' ἴχνεσιν ἴχνος ἐρείδων,*

vel simile quidpiam. Denique nostrae isti interpretationi plus momenti ex eo accedit, quod Aiaci paucis interiectis idem revera obtigit, cuius periculum frustra fecerat, ut Tydidem deiiceret, vid. 258. sqq.

οἱ δὲ βίην Αἴαντος· ὁ δ' ἄλκιμον ἄνδρα τινάξας
ἐξ ὤμων ἑκάτερθε, βαλὼν δ' ὑπὸ νηδύα χεῖρα,
ἐσσυμένως ἐφέηκε κατὰ χθονὸς, ἠΰτε πέτρην,
ἀλκῇ ὕπο σθεναρῇ· μέγα δ' ἴαχε Τρωϊὸν οὖδας
Τυδείδαο πεσόντος, ἐπήϋτησε δὲ λαός.

Quibus, ut puto, poeta suam ipsius mentem declaravit luculenter.

Diomede depugnare cupiente, Nestor in medium progressus utrique auctor est, ut certamini diuturno et aerumnoso tandem finem imponant, v. 264. sqq.

— — — — *ἀλλ' ἄρα Νέστωρ*
ἔστη ἐν μέσσοισι, καὶ ἀμφοτέροισι μετηύδα·
ἴσχεσθ', ἀγλαὰ τέκνα, παλαισμοσύνης ὑπερόπλου·
ἴδμεν γὰρ δὴ πάντες, ὅσον προφερέστεροι ἐστὲ
Ἀργείων μεγάλοιο καταφθιμένου Ἀχιλῆος.

Ex his duo levia sane vitia sine ullo negotio erunt removenda. Primum enim v. 265. *ἔστη ἐνὶ μέσσοισι* nota Quinti consuetudo sibi repetit, quod forma producta, ubi versus desiderat, in prima, tertia et quinta eius regione semper et ubique obtinet, vid. 128. 288. 488. II, 204. 607. III, 728. V, 3. 233. VI, 8. 39. 397. 438. VII, 352. XIV, 17. Ad horum igitur normam nostra emaculare erit consequens. Deinde Tychsenius v. 267. *ἐστὲ* male fecit oxytonum: nam veterum ex decretis vel paroxytonum vel encliticum, quod prioribus editoribus placuisse video, habendum erat. Proinde reducamus *προφερέστεροί ἐστε*, aut si paucorum regulam, quae iam propterea, quod adiectivo maior inest vis, parum arridet, sequi malueris *προφερέστεροι ἔστε·* tertium ab editore Gottingensi inventum et nostrae consuetudini et legibus a grammaticis graecis latis prorsus obstat, vid. interpp. ad Hom. Il. 3, 280. Buttmann. in gr. ampl. §. 108. IV. ann. 17. et Goettling.

de acc. p. 80. ann. 2. Caeterum Quintum Homeri exempla in his quoque respexisse indicio sunt Il. 7, 279. sqq. 23, 890. sqq. Ubi altero loco Achilles Agamemnonem a certandi studio dehortatur, altero Idaeus et Talthybius praecones certaminis singularis, quod Hectorem inter et Aiacem erat exortum, faciunt finem.

11 Utrique principum Thetis certamine dirempto duas mulieres Lesbiacas, quae post Briseidem praestantissimae atque ipsi Achilli gratae fuisse dicuntur, praemii loco dat. Qua de re inde a vers. 272. ita canit Quintus:

τοῖς δ' ἄρα ληϊάδας πίσυρας πόρε πότνα θεάων
δῖα Θέτις· τὰς δ' αὐτοὶ ἐθηήσαντο ἰδόντες
ἥρωες κρατεροὶ καὶ ἀταρβέες, οὕνεκα πασέων
ληϊάδων προφέρεσκον ἐϋφροσύνῃ τε καὶ ἔργοις
νόσφιν ἐϋπλοκάμου Βρισηΐδος, ἅς ποτ' Ἀχιλλεὺς
ληΐσατ' ἐκ Λέσβοιο· νόον δέ γ' ἐτέρπετο τῇσι.

Horum postrema Tychsenius demum de Rhodomanni consilio aliter instituit, priores enim *νόος* proferunt. Cui etsi haud dissimilia obveniunt II, 134., tamen in verbi structura varia ac multiplici, si quid mutandum erit, dativum potius expetendum fuisse pro certo habeo et explorato, sicut VIII, 191. legimus:

— — — *Ἔρις δ' ἐπετέρπετο θυμῷ*
κείνους εἰσορόωσα· — — — —

quocum ea fere congruunt, quibus praepositio adiecta cernitur, vid. IX, 470.

— — — — *οἱ δ' ἀνὰ θυμὸν*
τέρποντ' εἰσορόωντες — — —

et XIV, 547. At ne nominativum quidem absonum duxerim; ei enim et alia adsunt, ut II, 125.

— *τοῦ δ' ἀΐοντος ὑπὸ φρεσὶ τέρπετο θυμός.*

VI, 129.

— — — *τοῦ δ' ἐν φρεσὶ θαρσαλέον κῆρ*
τέρπετ' ἀγειρομένοισιν· — — — —

et compositum VII, 324.

— — — *νόος δ' ἐπιτέρπετ' ἄνακτος.*

Tum particulae offenderunt Hermannum, qui ad Orph. p. 696. *δέ τε τέρπετο* suasit. Verum melius etiam cum Vindobonensi primo reducamus, quod modo commemoravi, compositum: *νόος δ' ἐπετέρπετο τῇσι.* Nam id Quinto in deliciis esse solet, quod quum allata tum etiam alia plurima ostendunt exempla, vid. I, 730. II, 486. IV, 141. VIII, 289. 334. IX, 166. XI, 177. XIV, 463.

Ζεὺς δὲ μέγ' εἰσορόων ἐπετέρπετο — —

ubi eandem confusionem sustulit Tychsenius, comma importunum, quo post *εἰσορόων* vulgo distinguitur, ipse removi, quod verbum finitum cum participio arctius est coniungendum. Denique quum imperfecto, si quidem adest, augmentum nunquam non praefixum videamus, nulla comminisci poterit caussa, cur illud neglectum malueris IX, 324.

— — — *Ἔρις δ' ἐπιτέρπετο χάρμῃ.*

Unde nihil dubii est, quin augmentum, Quinto a librariis male sedulis sexcenties surreptum, huic quoque loco restituamus, vid. mant. observ. p. 248.

PARTICULA QUINTA.

Inter alia, quibus Theano mulieres Troianas a pugnandi ardore revocat, I, 468. ait haec:

ἱστὸν ἐπεντύνεσθε ἑῶν ἔντοσθι μελάθρων.

Adverbium autem *ἔντοσθι*, etsi lexicographis cognitum est, nulla tamen idonea auctoritate comprobatur. Nam quod in Steph. thes. ling. gr. II. p. 3727. d. ex Hesiodi op. 520. *δόμων ἔντοσθι* legitur enotatum, id ad meliorum librorum fidem ac normam dudum ab editoribus est expulsum, vid. Graev. lect. ad Hesiod. 65. et Goettling. ad h. l. Nec Passovius ea de re minus sollicitus ullum alium produxit sponsorem, Quintum vero a plurimorum usu et consuetudine ne transversum quidem unguem recedere alia plurima docent, velut VII, 128.

πανσυδίῃ δ' ἔντοσθε νεῶν φύγον· — —

et ib., 571.

τεύχων ἰχθύσι πῆμα φέρει μένος Ἡφαίστοιο
νηὸς ἑῆς ἔντοσθε — — — —.

Praeterea forma longior *ἔντοσθεν*, vocali subsequente, crebrius etiam reperitur, vid. II, 372. — *λίνων ἔντοσθεν ἐρεμνῶν*, add. IX, 287. XII, 519. 576. Quod reliquum est, nobis adest optimus liber Monacensis.

Sed haud scio, an plus momenti tribuendum sit alii simili adverbio *ἑτέρωθε*, cuius quidem exempla passim obveniunt apud Quintum. Ac primum quidem de Achille et Memnone II, 453. dicitur:

ὣς εἰπὼν παλάμῃσι λαβὼν πολυμήκετον ἄορ,
Μέμνων δ' αὖθ' ἑτέρωθε, καὶ ὀτραλέως συνόρουσαν·

idemque, ubi duo sibi opponuntur redit, vid. IV, 33. 46. 215. 545. VI, 283. XI, 12. 328. Sed *ἑτέρωθεν* tum in versus clausula tum vocali instante semper regnat, omnium consensu firmatum, cf. I, 778.

— — — — *ὣς δὲ καὶ αὐτὸν*
Πηλείδην ἑτέρωθεν ἐρήτυον· — —

VIII, 163.

— — — — *ὃς δ' ἑτέρωθεν*
χερσὶν ὕπο κρατερῇσιν ἀπειρεσίην λάβε πέτρην.

Horum similia praebent II, 235. VIII, 128. IX, 203. XI, 168. XII, 260. Magis etiam eo turbamur, quod Quinto alibi satisfacit *ἑτέρωθι*, ubi, si prius verum est habendum, illud potius exspectandum erat; quo ex genere sunt II, 319.

ὣς φάτο· τὸν δ' ἑτέρωθι γέρων ἠμείβετο μύθῳ·

et IX, 291.

θῶας ἀποσσεύῃσι, λέων δ' ἑτέρωθι φανείη —.

Neque *ἑτέρωθε* semper certum et ratum esse videtur, libris et scriptis et editis ultro citroque fluctuantibus; ita IV, 33. Aldin. metro invito dat *ἑτέρωθεν*, ib., 46. *ἑτάροι δέ τ' ἐγήθεον ἄλλοι* priscas obsidet editiones, cui Rhodomannus *ἕτεροι*, quo nihil lucramur, substitutum voluit, Dausqueus ineptius etiam *ἕταροι δ' ἐπεγήθεον ἄλλοι*. Tychsenius suum debet Pauwio ad aliorum similitudinem provocanti. Verum *ἑτέρωθι* aeque bonum esse et ad usitatum propius accedere manifestum est. Ad haec adde XI, 328.

— — — — *ἑτέρωθε δ' Ἀχαιοὶ*
πὰρ κλισίῃς νήεσσί θ' ὁμοίια Τρωσὶ πένοντο.

Ibi enim Tychsenius solus *ἑτέρωθε* scribit, caeteri sine ulla controversia *ἑτέρωθι* habent. Ex quo augurari libet, vel scribarum negligentia vel typothetarum inscitia formam poetae insolitam esse prognatam. Alios si consulueris, nemo fere, quantum scio, adverbio dubio et incerto opem fert, nisi Hesiod. in scut. Herc. 281.

ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ·

eoque testimonio confidit Passovius in lex. I. p. 923. In quo tametsi scriptorum et impressorum exemplaria videntur conspirare, tamen *ἑτέρωθι* ad locum, quo choreae instituuntur,

designandum aptius existimari poterit, praesertim quum Homerus ei adsit, ut Od. 12, 235.

ἔνθεν μὲν γὰρ Σκύλλ᾽, ἑτέρωθι δὲ δῖα Χάρυβδις —.

Unde nihil est mirum, quod alii lexicographi, velut Stephan. in thes. II. p. 3885. a. *ἑτέρωθε* ignorant. At nobis obiici poterit Apollonii, grammatici eruditi et sapientis, iudicium, qui in libello de adverb. p. 607, 15. sqq. haec disserit: *τῇδε ἔχει καὶ παρὰ τὸ ἑτέρωτε ἢ παρ᾽ ἐπίῤῥημα τὸ ἑ τ έ ρ ω θ ε, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸ παρ᾽ Αἰολεῦσιν ἑτέρωτα.* Sed id primum minus sincerum duxerim: etenim quum idem Apollon. p. 601, 18. 605, 23. *ἑτέρωθεν* solum agnoscat, litteram finalem superiori detractam esse probabilis admodum erit suspicio; deinde, si vel maxime verum habeatur *ἑτέρωθε*, id potius ab Aeolum dialecto et repetendum et ad illam explicandam effictum videbitur, quam epicorum more receptum ac probatum. Haec si reputaveris, *ἑτέρωθε* fundamento parum idoneo niti profecto concedes. Si quis vero contrarium eius, quod nobis arridet, praeferendum existimaverit, ei certe in aliis Quinti locis, ubi nunc *ἑτέρωθι* obtinet, illud erit adsciscendum.

Achilles Penthesileae stultitia exprobrata I, 590. sq. addit:

ἦ σεῦ πευθομένης μάκαρες φρένας ἐξείλοντο
καὶ νόον, ὄφρα σε Κῆρες ἀμείλιχοι ἀ μ φ ι χ έ ω ν τ α ι;

Horum postrema reddunt: „*ut te immites Parcae amplecterentur?*“ Atqui tale quid requiri quidem, nec vero istis verbis significari patet. Longe igitur scitius elegantiusque erit, quod Tychsenius, nescio unde arcessitum, Pauwianae margini allevit *ἀ μ φ ι χ ά ν ω σ ι ν.* Neque id Quinto fuit ignotum; argumento sunt XIII, 289.

— — — — *οὐ γὰρ ἔοικεν*
ζωέμεναι κείνοισιν, ὅσων μέγα κῦδος ὄνειδος
ἀ μ φ ι χ ά ν ῃ. — — — —

Sed ibi translate dictum est, propius ad huius loci vim et potestatem accedunt XIII, 546. sq.

Λαοδίκην ἐνέπουσιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ὀρέξαι
εὐχομένην μακάρεσσιν ἀτειρέσιν, ὄφρα ἑ γαῖα
ἀ μ φ ι χ ά ν ῃ — — — —.

Conspirant haec fere cum homerico: — *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών,* multorum ore celebrato vid. Il. 4, 182. 8, 150. eique finitimis Il. 6, 282. 17, 417. Structura vero non minus quam verbis nostra, si quidem Rhodomannus bene coniecit, attingunt V, 611.

— — — — *οὐδέ τι οἶδε*
φράσσασθ᾽, εὖτέ ἑ Κῆρες ἀμείλιχοι ἀ μ φ ι χ ά ν ω σ ι ν.

Tametsi vulgo fertur *ἀμφικάνωσιν* a Tychsenio quidem relictum, verum dicendi insolentia et novitate pariter condemnatum ac Parcarum saevitia, cui infestum, exclusum. Rhodomanni autem invento aliorum epicorum sermo atque usus prodest. Ut enim Oppian. Halieut. IV, 229. — *οὐδ᾽ ἐνόησεν Ὃν μόρον ἀ μ φ ι χ α ν ὼ ν,* ubi piscis alii inhians in perniciem ruit inscius, nihil dirimit, ita Homerus, si quis alius, emendationis illius veritatem ostendit. Apud eum enim Patrocli umbra, per somnium Achilli oblata, vitae iacturam hisce deplorat 23, 79.

— — — — *ἀλλ᾽ ἐμὲ μὲν κὴρ*
ἀμφέχανε στυγερὴ, ἥπερ λάχε γεινόμενόν περ.

Vix igitur dubium erit, quin Smyrnaeus, studiosissimus Homeri imitator, sua inde delibarit. Si quis autem vulgari fuerit contentus, eum Quinti ipsius usus poterit refutare, quandoquidem *ἀμφιχέεσθαί τινι* sibi exposcit, quartus casus plane alienus est, vid. XIV, 220.

— — — — *εἰςόκ᾽ ἐμοί γε*
λοιβὰς ἀμφιχέωνται, ἐελδόμενοι μέγα νόστου·

porro II, 552. X, 252. VII, 78. 637. VIII, 497. sq.

— — — — *ἔνθα οἱ ὕπνος*
ἀ μ φ ε χ ύ θ η· — — — —

Ex quibus medicina petenda est versui 313.

— — *ὀλοὴ δέ μιν* (l. *οἱ*) *ἀμφεχύθη νύξ.*

Nec modo personis, verum etiam rebus dativus solet adhiberi, ut IV, 520.

— — — — *ἥντ᾽ ἐν ὄρεσσιν*
ἀ μ φ ι χ έ ῃ πρώνεσσι Νότου μένος ἢ Ζεφύροιο,

add. VIII, 392. A verbo autem differt participium *ἀμφιχυθεὶς* circumfusus, cui quartus adiungitur casus, velut III, 461.

Φοῖνιξ δ' αὖθ' ὁ γεραιὸς ἀάσπετα κωκύεσκεν
ἀμφιχυθεὶς δέμας ἠῢ θρασύφρονος Αἰακίδαο·

et VII, 337. Idem una cum verbo finito sine ullo additamento reperire licet III, 606. et 689.

πολλοὺς δ' ἀμφιφορῆας ἀλείφατος ἀμφιχέοντο,

ubi, augmento reducto, melius scripseris *ἀμφεχέοντο*. Alia denique non minus frequens structura est *ἀμφιχέεσθαι κατά τινος*, ut II, 231.

— *ἄφαρ δέ τε πάντα κατὰ χθονὸς ἀμφιχέηται*
ἐκ θεμέθλων· — — — —

cf. insuper III, 325. XI, 193. A quibus non ita multum distat praepositio eadem repetita V, 490.

— — — — *ἀμφὶ δὲ κρᾶτα*
πρηνέες ἐκχύμενοι κόνιν ἄσπετον ἀμφεχέοντο —.

Quibus fere limitibus verbi illius usus apud Quintum circumscriptus tenetur. Iam quum nihil horum ad id, quod supra apposuimus transferre liceat, coniecturam a Rhodomanno tentatam recipiendam esse sequitur.

De Penthesileae occisae venustate poeta I, 670. sq. ita iudicat:

πολλοὶ δ' εὐχετόωντο κατ' οἰκία νοστήσαντες
τοίης καὶ ἀλόχοιο παραὶ λεχέεσσιν ἰαῦσαι· —

Numerorum defectum, qui *καὶ* omisso in his olim erat conspicuus, alii aliter resarcire studuerunt. Rhodomannus quidem *που* inseruit, Dausqueus infeliciter, ut solet, *ὀθνείης ἀλόχ.* suasit, quum sententiae tum litterarum similitudini parum aptum, Brodaeus *καὶ τοίης ἀλ.* voluit, Pauwius, nullo horum contentus, *τοίης δὴ ἀλ.* melius iudicavit, Tychsenius denique e Brodaei coniectura et Vindob. primo, qui *τοίης κεν ἀλ.* offert, suum conflavit. Hi vero omnes suo magis sensu, quam Quinti et epicorum ratione moniti diversa probarunt. Quam si respicere voluerimus, Brodaei medelam et simplicissimam et optimam esse concedemus. Frustra enim Pauwius *καὶ*, quae sententiae

praemisssae vim intendit, initio versuum duorum proxime iunctorum moleste repeti obiecit. Contrarium enim ex ipsius Quinti monumentis addiscere poterat, velut III, 645. sq.

καὶ γάρ οἱ κλέος αἰὲν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
καὶ μένος ἀείσουσιν ἐμῇ ἰότητι καὶ ἄλλων
Πιερίδων. — — — — —

add. I, 296. IV, 106. XII, 150. Quin eadem sive negligentia sive suavitas ex eodem sono quaesita et profecta in aliis minoris ambitus voculis non ita raro deprehenditur apud nostrum. Eius generis sunt: *ἀλλὰ — ἀλλὰ*, cf. III, 217. IV, 296. VI, 395. VII, 503., porro *ὃς — ὃς* I, 361., *τοὺς — τοὺς* IV, 39. Nam de maioribus nullas agitari video lites, earum enim repetitionem ad *ἐπαναφορᾶς* figuram, qua poetae tanquam ornamento usi sunt, plerique referunt. Illam autem non uno, sed vario et multiplici modo carmini illigare solet noster, neque ea, quae quasi sua sponte occurrunt, sola captat, veluti *ἄλλοτε μὲν — ἄλλοτε δὲ*, cf. III, 619. VII, 171. XIV, 404. 548., sed alia etiam exquisitiora sectatur. Repetitam autem videmus eandem verbi formam primum in versuum sese excipientium initio, sicut III, 608. sq.

γηθείτω ῥοδόπεπλος ἀν' οὐρανὸν Ἠριγένεια,
γηθείτω φρεσὶν ᾗσι μεθεὶς χόλον Ἀστεροπαίου,
Ἀξιὸς εὐρυρέεθρος ἰδὲ Πριάμοιο γενέθλη.

cf. insuper III, 493. I, 369. sq., cui plus gratiae eo conciliatur, quod quum exordium tum clausula utriusque sibi concinunt:

ἤλυθον ἐς Τροίην νῶϊν κακὰ πολλὰ φέροντες,
ἤλυθον ἄσχετον ἄμμιν ἐπ' Ἄρεϊ πῆμα φέροντες·

quanquam ibi fortasse rectius *ὑπ' Ἄρ. π. φ.* rescribas. In aliis quidem idem vel nomen vel verbum iteratur, sed forma paullulum immutata legitur, uti VI, 650. sq. *πολλὰ — πολλοὺς*, XII, 427. sqq. *ἑλκόμενος — εἷλκον — ἕλκουσιν*, quo non minus pertinent nomen ac verbum communi de stirpe prognata, ut XIV, 380. sq.

εὐχόμεναι μακάρεσσιν ἀκηδέα νόστον ὀπάσσαι·
εὐχωλαὶ δ' ἀνέμοισι μίγεν, — — —.

Hinc vereor, ne temere olim sollicitaverim VI, 443. sq.

ἔσσυσθ' Ἀργεῖοι, μηδ' εἴκετε δυσμενέεσσιν
ἐσσυμένοις· — — — —

etsi ὄρνυσθε, quod priori surrogandum putabam in mant. observ. in Quint. p. 242., Homeri sermo quodammodo vindicat.

Atque in his quidem ἐπανάληψις illa, quae dicitur, in singulorum exordio aut solo aut certe praecipue reperitur. Eadem vero in binorum versuum tum clausula tum exordio non admodum raro offertur. Cuius generis non minus suae sunt species sive partes. Quarum prima est ea, quae vel idem vel plura etiam verba in praecedentis versus exitu posita, proximo ineunte refert, ut apud Quint. III, 74. sq.

οὐδ' εἰ μὲν στέρνοισι μάλ' ἄτρομον ἦτορ ἔχῃσιν,
ἄτρομον ἦτορ ἔχῃσι λίην, καὶ χάλκεος εἴῃ.

I, 697. sq.

λάβρος ὁμῶς ἀνέμοισιν ἀποῤῥήξῃ Διὸς ὄμβρος,
ὄμβρος ἄρ' ἠὲ κεραυνὸς, — — —

add. IV, 186. VI, 470. X, 190. XII, 393. sq. Altera verbum paullo ante finem prioris collocatum proximo ingeminat, vid. I, 33. sq.

σὺν δέ οἱ ἄλλαι ἕποντο δυώδεκα, πᾶσαι ἀγαυαὶ,
πᾶσαι ἐελδόμεναι πόλεμον καὶ ἀεικέα χάρμην,

XIII, 31. sq.

αὐτὸς δ' ἄγχ' ἵπποιο Σίνων κίεν· ἦκα δ' ἄϋσεν,
ἦκα μάλ', ὡς μήπου τις ἐνὶ Τρώεσσι πύθηται,

cf. III, 613. 638. VIII, 29. XII, 291. sq. Tertia vocabuli praemissi forma mutata alium vel casum vel numerum vel modum antecedenti subnectit, ut IV, 447. sq.

πρὶν κρατερῇσι χέρεσσι δαμήμεναι Ἡρακλῆος·
Ἡρακλέης δέ μιν ἦϋς ἑλὼν σὺν ληΐδι πολλῇ·

VI, 375. sq.

ἐκ δέ οἱ αἷμ' ἐχύθη, δεύοντο δέ οἱ κλυτὰ τεύχη,
δεύετο δ' ἀγλαὸν εἶδος ἅμ' εὐθαλέεσσι κόμῃσιν.

His autem vel paria vel similia offerunt III, 642. VII, 85. IX, 127. sq. et alia plura. Denique in solo versuum duorum exitu nomen idem rarius ponitur, ut III, 127. sq.

ἥ σε πάρος κύδαινε, καὶ ὡς φίλον ἔδρακεν υἷα;
ἦ, μέγα νεικείουσα πολυσθενέος Διὸς υἷα, —.

Ut vero alia poesis lenocinia, ita ἐπανάληψιν istam ab Homero mutuati sunt recentiores. Nec singula Quinti species valde discrepant a poetae exemplo et auctoritate, si quidem verbum bis terve in versuum exordio repetitum invenimus Il. 2, 671. 7, 263. 473. sqq., paullulum immutatas formas 14, 444. sq. Clausulam antegressi iteratam videmus Il. 20, 371. 23, 642. 22, 127. 2, 849. 870. sq. add. Od. 15, 71.; porro exitus binorum sibi respondent Il. 10, 186. 13, 799. sq. Forma denique initio proximi ex antecedentis clausula adscita quidem, sed alio modo prolata obtinet in Il. 6, 395. 21, 85. sq. Ne quid dicam de singulis verbis in fine versuum sexcenties a poeta vario admodum modo et sono coniunctis, vid. Il. 1, 193. 2, 527. 634. 4, 70. 250. 5, 358. 10, 116. sq. et alibi.

Sed revertor ad Quintum. Apud eum Priamus rex fugae consilio, quod Thymoetes proposuerat, reiecto, ut moenibus et urbis munimentis se defendant, donec Memno, Aurorae filius, auxilio venerit, II, 30. suis persuadet:

μηδ' ἔτι δυσμενέεσσι μαχώμεθα τῆλε πόληος,
ἀλλά πω ἐκ πύργων καὶ τείχεος, εἰσόκεν ἔλθῃ
Μέμνων ὀβριμόθυμος, — — —

Quibus quum locum, unde hostium aggressum prohibeant, Priamus edicturus sit Troibus, absonum videtur πω, quod *fere* significat et maxime negandi particulis aut solis aut caussali γὰρ adiunctis convenit. Itaque που loci particula his erit reddenda, ea enim insequentibus conducit sola, cf. I, 121. 495. 626. II, 290. 438. 538. 651. III, 406. IV, 314. V, 303. 398. 641. VII, 331. 336. 384. X, 66. 454. 460. XII, 449. 468. XIII, 149. 155. 229. 249. 544. XIV, 26. 144. 167. 175. alibi; eadem vi obtinet in sententiis conditionalibus, vid. I, 339. II, 384. V, 376. 519. VII, 341. IX, 519. X, 445. XIII, 43. Recte ergo V, 518.

οὐ γάρ μοι τοκέων τόσσον μέλει, εἴπω ἔτ' εἰσίν

parem particularum confusionem in mant. observ. p. 232. notavi. Orationis vero color in utroque homericus est, vid. Il. 6, 433. sqq. et 450. sqq.

Strepitum Argivorum et Troum concursu excitatum fluminis intumescentis murmuri similem dicit poeta II, 221. sqq. hisce:

ὡς δ' ὅτ' ἐρίγδουποι ποταμοὶ μεγάλα στενάχωσιν
εἰς ἅλα χευόμενοι, ὅτε λαβρότατος πέλει ὄμβρος
ἐκ Διὸς, εὖτ' ἁλίαστον ἐπὶ νέφεα κτυπέωσι
θηγόμεν' ἀλλήλοισι, πάρος δ' ἐξέσσυτ' ἀϋτμή.

Hic quoque Dausqueus et Pauwius, maiore audacia quam scientia ad Quintum emendandum delati, misericordiam pariter ac taedium nobis excitant. Ille enim Rhodomannum, virum perspicacissimum, inepte vituperat, hic, Dausqueo notato, ineptius etiam suo fungitur munere, dum docet *ἀϋτμὴν* non igneum esse vaporem, quem latinus interpres substituerit, verum fulgur. Id enim ipsum argumento esse et potuit et debuit, *πάρος*, quod nemo commode explicuit, vitiosum esse atque importunum. Medicina, una litterula mutata, erit reperta, dummodo mecum dederis: *πυρὸς δ' ἐξ. ἀϋτμή.* Quod an ab alio occupatum sit, ignoro, equidem editionis Tychsenianae exemplari dudum appinxi. Nubibus autem collatis fulgur sive ignis halitum elici consequens est. Iccirco nostram rationem veram esse facile perspicies, etsi nullum aliud eius testimonium afferri possit; plura tamen Quintus ipse suppeditat, velut VIII, 90.

— *οὖς ὀλοοῖο πυρὸς κατεδάμνατ' ἀϋτμή,*

add. V, 33. VI, 216. X, 62. XII, 503. Neque istis dissimilia sunt III, 710. — — *ὦρτο δ' ἀϋτμὴ Ἡφαίστου μαλεροῖο.* — XIII, 150. *Ἡφαίστου μαλεροῖο περιζείοντος ἀϋτμῇ·* —

Nestorem Antilocho filio interfecto et ipsum casurum fuisse, nisi Memno, senis reverentia tactus, cum eo modestius egisset, II, 305. sq. memoriae prodit poeta:

— — *μέλλεν δὲ φίλῳ περὶ παιδὶ καὶ αὐτὸς*
κεῖσθαι ὁμῶς κταμένοις ἐναλίγκιον, — —

qua singulorum distinctione recepta Tychsenius *ἐναλίγκιον* adverbium cum filio prostrato committendum existimavit, ut sensus sit: *sed et ipse circa filium carum procubuisset una cum caesis, simili modo atque ille.* Verum enim vero structu-

rae isti et adiectivum, cui semper inest comparandi vis, et praepositio *περὶ* filio consociata repugnant. Horum alterum advertit Pauwium, qui *περὶ* a Rhodomanno additum reiecit, et in eius locum *μάλα* inferendum putavit. Reliqua expedire non potuit, et in coniectura inutili ac molesta substitit. Equidem *περὶ παιδὶ κεῖσθαι* aliis Quinti epicorumque locis tutum esse crediderim, vid. II, 316. 607. V, 490. 502. VII, 637., vitium autem in verbo *ἐναλίγκιον*, quod nullo pacto coire videtur cum superioribus, quaesiverim. Itaque poetae reddiderim aliud aptius emendando:

κεῖσθαι ὁμῶς κταμένοισιν ἐν ἄλγεσιν, — —.

Licebit enim cogitare de Nestore nondum mortuo, sed in caesorum acervo animum agente. Cognata hisce iam praebet Homerus, ita Antinous de Penelopa aerumnosa in Od. 21, 88. ait:

— — — — *ἥ τε καὶ ἄλλως*
κεῖται ἐν ἄλγεσι θυμὸς, — — —

cf. Il. 22, 483. 24, 568. Neque illud dicendi genus ignorat Quintus, quemadmodum probant VII, 85. X, 393. Atque haec quidem de vivorum aerumna et laboribus sunt accipienda, eodem vero nomine acres vulneratorum mortique proximorum dolores hic illic denotantur; ita bis de Paride insanabili vulnere percusso et tandem exstincto legitur XIII, 414.

— — *τῷ καί μιν ἐν ἄλγεσι τίσατο δαιμών.*

X, 269.

— *τοὶ δέ οἱ αἰνὸν ὑπ' ἄλγεσι φαῖνον ὄλεθρον.*

Similia narrantur de Troianis vulneratis XI, 326., et de Aiace, Oilei filio, longis aerumnis exercitato et quasi fatigato XIV, 561. Utcunque vero de ista mea suspicione iudicare libuerit, certe obtinebo *ἐναλίγκιον*, quod nulla subest comparatio, ab hoc loco alienum esse et depravatum. Cuius iudicii fides eo augetur, quod ne semel quidem in posthomericis adverbii sustinet vicem. Quocirca parenthesis importuna alio ex loco pariter corrupto est eximenda libr. VI, 253.

πρόσθε δέ οἱ δέδμητο κυὼν ὀλοώτατος ἄλλων,
Ὄρθρος, ἀνιηρῷ ἐναλίγκιος, ὄβριμος ἀλκὴν,
Κερβέρῳ, ὅς ῥά οἱ ἔσκεν ἀδελφεός· — —

Pauwius verba *ὄβριμος ἀλκὴν* iterum iungit contortius cum Othri nomine praecedente, Rhodomannus illo sapientior *ὄβριμον ἀλκὴν* melius censet, nec vero alterum, quod Pauwius ei tribuit, *ὀβρίμῳ ἀλκὴν* adscriptum video. Prior ratio, dummodo singula uno verborum ambitu fueris complexus, propensior est ad veritatem: *Ὄρθρος, ἀνιηρῷ ἐναλίγκιος ὄβριμον ἀλκὴν Κερβέρῳ* i. e. *Orthrus immani robore terribili Cerbero par.* Structurae certe nihil insoliti inesse alia affirmant, velut IX, 60.

σοὶ δέμας ἠδὲ φυὴν ἐναλίγκιον ἠδὲ καὶ ἔργα. —

add. IV, 430. Femineum autem genus sine idonea caussa in dubitationem adducit Pauwius, vid. XIV, 86.

μέλποντες νίκης ἐρικυδέος ὄβριμον ἀλκήν.

Nihil igitur suspicionis residebit, etsi plura, quorum unum ipse Pauwius commemoravit, licet adiicere. Adverbii autem partes crebro sustinet *ἀλίγκιον*, ut I, 59.

ὀφθαλμοὶ μάρμαιρον ἀλίγκιον ἀκτίνεσσιν,

add. XI, 308., ubi cum Struvio legas oportet: *κεῖντο παρ' ἀλλήλοισιν ἀλίγκιον ἐκχυμένοισι Δούρασιν*, cf. XIV, 173. *Αἰγαλιοῖσι*, quod vulgo fertur, ex comparatione male irrepsit. Singulari vero vi et potestate concinit neutrum pluralis, cf. V, 68.

αἳ δ' ἄρ' ἔσαν ζωῇσιν ἀλίγκια ποιπνύουσαι.

His vero exemplis docemur, I, 658. commate sublato idem adverbium postliminio esse reducendum. Dum enim poeta de Achille Penthesileae occisae galeam detrahente ita canit:

ἀμφὶ δέ οἱ κρατὸς κόρυν εἵλετο μαρμαίρουσαν
ἠελίου ἀκτῖσιν ἀλίγκιον ἢ Διὸς αἴγλῃ. —

galeam splendidam non tam solis radiis vel Iovis fulguri parem dicit, sed cassidem solis lumini et Iovis fulguri similiter radiantem virginis capiti ab Achille esse dereptam. Quibuscum latina congruit interpretatio, unde nemo, ut spero, mihi repugnabit.

Idem Nestor in Memnonem, qui, ut e pugna se reciperet, illum erat adhortatus, II, 324. pluribus invehit, dicitque, si pristino instructus esset robore, Memnonem sua hasta mox esse periturum, et iuvenilem, ut solet, alacritatem sibi restitui optat:

— — — — *ὡς ὄφελόν μοι*
ἀλκὴ ἔτ' ἄμπεδος ἦεν, ἵνα γνώῃς ἐμὸν ἔγχος. —

ubi quum littera subscripta desit, utrum optativus an subiunctivus modus adsit, quaeri potest. Ille vero sonat *γνῴης* aut *γνοίης*, quorum alterum commune et dubium, alterum ionicum et atticum censent, vid. Lobeck. ad Phryn. 347. Itaque si quis optativum meliorem indicaverit, ei *γνοίης* erit adoptandum. At veri similius est, subiunctivum elegisse Quintum, quod idem modus in eadem structura legitur, IV, 30. sq.

ὡς ὄφελεν μένος ἦεν ἔθ' Ἕκτορος, ὄφρ' ἅμα πάντας
Ἀργείους σφετέρῃσιν ἐνὶ κλισίῃσιν ὀλέσσῃ.

Nullum quidem aliud huius formae exemplum novi: nam apud Homer. Od. 22, 373. *ὄφρα γνῷς κατὰ θυμὸν* legimus, eam vero, quanquam in his quoque modi utriusque confinia grammatici permiscuerunt, recte factam esse vix poterit negari, vid. Fr. Thierschii gramm. §. 230, 98. Quare ut hodie fere *δώῃς, δώῃ* apud Homerum scribi solet, ita *γνώῃς* Quinto concesserim. Brevem denique infinitivi formam *γνῶναι* XII, 394. obviam in trisyllabam *γνώμεναι* producendam esse dixi in mant. observ. p. 261.

Memnonis virtuti quum omnes cessissent Nestoris socii, subsidio tandem venit Achilles, quem, ut Antilochi caedem ulciscatur, precibus adit rex Pyliorum II, 391. sq.

ὤλετό μοι φίλος υἱὸς, ἔχει δέ μοι ἔντεα Μέμνων
τεθνεῶτος· δείδω δὲ κυνῶν μὴ κῦρμα γένηται.

De participio praeteriti, a praesente *θνήσκω* ducti, iam homericos grammaticos varie et ambigue sensisse ad Il. 6, 71. dixi. Apud Quintum plerumque *τεθναὼς* et *τεθναότος* olim ferebatur, idque et libri quidam tradunt, et Rhodomannus probandum duxit. Sed fides eius imminuitur forma vulgari pariter ac producta *τεθνειώς*, cuius exemplum praebet V, 502.

— — *ὁ δ' ἀσχαλόων περικάππεσε τεθνειῶτι* —

quem versum a prioribus praetermissum tribus ex libris Tych-

senius demum adiecit. Itaque breviorem formam, qua in re Aldina fere congruit, *τεθνεὼς τεθνεῶτος* licebit exarare; eam, ut commodiorem restituere voluit Tychsenius, sed errore, nescio quo, pravo pepercit tenori tum hoc loco tum II, 536. Hinc illis obstat VI, 250.

ἐν δὲ καὶ ἀκαμάτοιο δέμας πέλε Γηρυονῆος,
τεθνεῶτος παρὰ βουσί. — — —

Denique invito iterum Tychsenio excidit VII, 65. *τεθνεότος*, quod ad illius similitudinem accommodandum esse in libr. de vers. her. p. 189. admonui, cf. I, 821. Ut vero huic circumflexus reddendus est, ita idem nomini ultimo auferendus. Qua de re nos non dubitare sinit Homerus, cuius vestigiis insistit Quintus vid. Il. 17, 272.

μίσησεν δ' ἄρα μιν δηΐων κυσὶ κύρμα γενέσθαι —,

cll. v. 693. 18, 21.

Paullo post Achilles et Antilochi misericordia et insita animi fortitudine irruit in Memnonem II, 398. sqq.

αὐτίκα κάλλιπε Τρῶας, ὅσους ὑπὸ χερσὶ δάϊξεν,
ἀμφ' ἄλλῃσι φάλαγξι, καὶ ἰσχανόων πολέμοιο
ἤλυθέν οἱ κατέναντι, χολούμενος Ἀντιλόχοιο —.

In his primus et alter versus expulsa virgula arctius sunt coniungendi. Etenim dum Achilles aliis Troum catervis intulit cladem, in Memnonis vicinia a pugnatoribus solitudo quaedam facta erat. Sequitur autem poeta iterum Homerum ducem, apud quem, Hectore in dextra pugnae parte rem strenue gerente, singulari principum graecorum virtute Troum opes in sinistro affliguntur cornu, vid. Il. 13, 674. sqq. et Quint. V, 304. VII, 579., ubi idem dicendi genus redit. Versu autem tertio *κατέναντα* de Quinti et epicorum more adsciscamus oportet. Nam ut *ἄντα* eius rei proprium est, *ἀντὶ* de impetu in hostem facto nunquam legitur apud Homerum, vid. excurs. XIV. ad Il. p. 64. sq., ita eandem compositorum esse rationem Quintus ipse ostendit III, 444.

εἰ γὰρ σεῦ κατέναντα τότ' ἤλυθεν, ὅς σ' ἔβαλέν περ,

add. I, 542. 552. III, 69. IV, 286. V, 210. VIII, 268. XI, 113. Maiore igitur, quam par erat, patientia editores tule-

runt adverbium citeriori demum aetati cognitum et lexicis, nisi quis novi foederis iudicio stare velit, plane eximendum. Plures quidem eius sponsores attulit Schaeferus ad Steph. thes. ling. gr. I. p. 2087. d., sed horum alii ad infima detrudendi sunt tempora, alii de mendo vel suspecti vel meliorum librorum ope iam emendati.

Memno successu, quo Achillis brachium ense strinxerat, superbiens et in illum et in Thetin matrem convicia spargit II, 414. sqq.

σχέτλιε, τίπτε σὺ Τρῶας ἀνηλεγέως ὀλέεσκες,
πάντων εὐχόμενος πολὺ φέρτερος ἔμμεναι ἀνδρῶν,
μητρός τ' ἀθανάτης Νηρηΐδος; ἀλλά σοι ἤδη
ἤλυθεν αἴσιμον ἦμαρ, ἐπεὶ θεόθεν γένος εἰμί —.

Verum si Pelides se omnibus aliis virtute superiorem putabat, haec isti opinioni parum convenire facile apparet. Neque id latuit interpretem, dum graeca ita vertit: „*iactans te omnium virorum optimum.*" Quod rei quidem accommodatum est, sed a verbis abhorret. Attamen in aliis poetam ipsum id, quod exspectandum erat, aperte edidisse Iunonis verba, quibus de Achillis praestantia disserit, produnt III, 124.

— — — — *ἀλλ' Ἀχιλῆϊ*
ἀμφ' ἀρετῆς ἐμέγηρας, ἐπεὶ πέλε φέρτατος ἀνδρῶν.

Neque alias aliter iudicavit, cf. III, 625. VIII, 459. IX, 30. X, 374. XI, 447. et V, 211., qui, quod nostro simillimus est, primo loco fuit commemorandus; perstringit enim Aiax Ulixis audaciam hisce:

σχέτλιε, τίπτε βίῃ πολὺ φέρτατος ἔμμεναι ἄλλων
εὐχόμενος, — — — — —.

Eandem utriusque gradus confusionem ne ab Homeri quidem libris abesse ad Il. 8, 144. annotavi, finibus utriusque accuratius descriptis. Quae si contuleris, superlativum ab exilio revocandum et in suo et proprio loco collocandum esse planius etiam intelliges.

Guttas sanguineas, quae Memnonis de corpore destillaverint, a diis in unum collectas flumini, Memnonis die funebri odorem putrescentem emittenti, originem dedisse poeta II, 556. sqq.

memoriae prodit, iisque v. 567. subiicit haec:

ἀλλὰ τὸ μὲν βουλῇσι θεῶν γένεθ᾽· — —.

Numerus autem mihi suspectus est propterea, quod quae deorum consilio et voluntate evenisse dicuntur, plurali solent efferri. Ita eodem aut certe simili honore Glaucum mortuum prosequuntur dii IV, 11., ubi legimus:

— — — — ἀλλὰ τὸ μέν που
ἀθάνατοι τεύξαντο γέρας Λυκίων βασιλῆϊ·

add. III, 624. VI, 29. 491. X, 342. XIV, 167. 370. 654. Sed dicat aliquis singularem recte obtinere, paucis quibusdam exemplis firmatum, veluti XI, 97.

— — — — ἀλλὰ τὸ μέν που
ἀθάνατοι τεύξαντο καὶ ἐσσομένοισιν ἰδέσθαι.

XIII, 234. 560. Sed ea ipsa in duobus libris oblata mendi suspicionem vix effugiunt. Numero enim repugnant quum priora, tum id ipsum, quod de pluribus sermo est. Ad haec accedit poetae consuetudo in aliis etiam sibi constans, vid. II, 124. 177. 320. 656. III, 479. 525. 783. IV, 144. 162. alibi. Quae quum ita sint, numero singulari in iis solis, quibus vel duo dumtaxat sibi opponuntur, vel articulus ab uno pendet nomine, locus relictus esse videtur. Atque huius quidem generis multa occurrunt exempla, vid. I, 203. 302. II, 127. V, 629. IX, 330. 482. X, 134. XIII, 396. illius legitur IX, 24.

καὶ τὸ μὲν αἶψ᾽ ἐτέλεσσε, τὸ δ᾽ οὐκ ἤμελλε τελέσσειν.

Aurora II, 616. sqq. suae sortis acerbitatem conquesta, se non inferiorem iudicat vel Thetide vel ipso Iove, dum ait:

οὐ γὰρ ἀτιμοτέρη Νηρηΐδος ἢ Διὸς αὐτοῦ
πάντ᾽ ἐπιδερκομένη, πάντ᾽ ἐς τέλος ἄχρις ἄγουσα
μαψιδίως· οὔτ᾽ ἄρ᾽ κεν ἐμὸν φάος ὀπίσατο Ζεύς.

Horum postremum, in quo olim numeris claudicantibus *φάος ὀπίσαιτο*, pro quo Rhodomannus *ὠπήσαιτο* voluit, Pauwius alia tentavit, bene et commode explevit Tychsenius, nomine Iovis addito, quod Monac. liber et Escurial. pr. exhibuerunt. Ex quibus hic *ὀπίσατο*, ille *ὠπισάτω* profert; sed neutrum

eorum veram et integram poetae refert manum; augmento enim praefixo *ἐμὸν φάος ὠπίσατο Ζεὺς* omnia recte procedunt, etsi particulae proposito minus videntur respondere.

Troiani III, 352. sqq. Aiacis vi ab Achillis corpore in urbem repulsi dicuntur, sicuti vultures, gregibus a lupis occisis intenti, aquila superveniente in fugam coniiciuntur.

— — — — οὐδ᾽ ἔτι μίμνον,
οὐτιδανοῖς γύπεσσιν ἐοικότες, οὕς τε φοβήσῃ
αἰετὸς οἰωνῶν προφερέστατος, εὖτ᾽ ἐν ὄρεσσι
πώεα δαρδάπτωσι λύκοις ὑποδηωθέντα·
ὣς τοὺς, ἄλλυδις ἄλλον, ἀπεσκέδασε θρασὺς Αἴας
χερμαδίοισι θοοῖσι, καὶ ἄορι καὶ μένεϊ ᾧ.

Ad Homeri normam iterum se composuit Quintus; illo enim praeeunte et aquilam avium fortissimam dicit, vid. Il. 24, 293. 311. et extrema conveniunt iis, quae de impigro Agamemnonis labore praedicantur Il. 11, 265. 541.

αὐτὰρ ὃ τῶν ἄλλων ἐπεπωλεῖτο στίχας ἀνδρῶν
ἔγχεί τ᾽ ἄορί τε, μεγάλοισί τε χερμαδίοισιν, —.

Paullo vero ante, quum greges a lupis lacerati dicantur, melius profecto singula disiungamus scribentes: *λύκοις ὕπο δηωθέντα*, id quod nostri proprium est et solemne, velut II, 108.

δηώσειν πυρὶ νῆας ὑπ᾽ ἀνδράσιν Αἰθιόπεσσιν·

add. I, 1. 382. 805. III, 181. 191. V, 567. VI, 453. 535. VII, 376. VIII, 214. IX, 17. 21. XII, 135., in quibus omnibus aut idem verbum aut alia ei finitima sic iunguntur. Compositum vero sine ullo additamento de Antilocho a Memnone caeso recte legitur II, 260.

τοῦ δ᾽ ὑποδηωθέντος ἄχος Δαναοῖσιν ἐτύχθη —.

Achaeorum fletibus Achille caeso effusis III, 506. naves ipsae adstrepunt, sive luctum et querelas quasi reddunt:

τοῖς δ᾽ ἄρ᾽ ἐπεβρόμεον νῆες παρὰ μυρομένοισιν.

In quibus, quid *παρὰ* sibi velit, me non assequi dudum in observ. part. I. p. 13. professus sum, ideoque *μάλα μυρομένοισιν* restituendum esse conieci. Nec me huius poenitet emendationis: illud enim adverbium cum lugendi que-

rendique verbis saepe connectitur a Quinto, *παρὰ* vero, quocunque te vertas, aut nullum aut alienum etiam praebet sensum. Nam ipsas naves gemitus et ploratus edere sane absonum est, nostrae autem rationi fidem faciunt III, 5. 591. V, 505. VI, 81. VII, 237. X, 456. XII, 412. 490. 494. XIV, 359. Sed minore fortasse opera *περιμυρομένοισιν*, unius verbi ambitu comprehensum, nostro reddi possit. Id quum aliorum similitudine, qualia sunt *περικωκύω*, *περιστενάχω*, tutum certumque videtur, tum alio nostri testimonio comprobatur, vid. XII, 489.

ὡς δ' ὅτ' ἐρημαίην περιμύρεται ἀμφὶ καλιὴν
πολλὰ μάλ' ἀχνυμένη κατὰ δάσκιον ἄγκος ἀηδών, —

Neque ei ulla subest molestia, quae ab altero vix aberit, etsi idem nostro ex loco, nam perperam IV, 305. affertur, Steph. thes. gr. ling. IV. p. 6269. b. inserendum curavit Schaeferus. Ut vero coniecturis dubiis et ambiguis certam neque ulli dubitationi obnoxiam subiiciam, ad eorum, quae commemoravi, normam VII, 333. scribendum esse addo:

ἣ δ' ὁτὲ μὲν χήρην περιπέπταται ἀμφὶ καλιὴν, —

Pullis enim ablatis nidus vacuefactus erat dicendus, nec vero ipsa mater, deinde *καλιὰ* sive *καλιὴ* nunquam est barytonum, vid. Goettling. de acc. p. 135, 3., ac nostris proxima V, 493. sq.

ὡς δ' ὅταν εἰροπόκων ὀΐων ἄπο νήπια τέκνα
ἀνέρες ἐξελάσωσιν, ἵνα σφίσι δαῖτα κάμωνται,
αἱ δὲ μέγ' ἀσκαίρουσι διηνεκέως μεμακυῖαι
μητέρες ἐκ τεκέων σηκοὺς πέρι χηρωθέντας· —

Male autem in his rem suam gesserunt interpretes. Olim quidem *ἀπὸ*, de quo vid. mant. observ. p. 230. *ἀσπαίρουσι* et *περιχηρωθέντας* aderant, quorum primum ipse emendavi, tertium a verbo separavit Rhodomannus, eidemque *ἀσκαίρουσι* a Tychsenio receptum debetur. Iam latina interpretatio haec est: „*sicut ubi teneros a lanigeris ovibus agnos pastores abigunt, ut sibi epulum parent, valde subsiliunt continuo cum balatu matres in caulis, foetu ipsarum orbatis.*“ Ultima vero aliena a poetae mente substituere facile apparet.

Sensit id Pauwius et interprete notato *ἐκ τεκέων* reddit *propter filios.* Quod quidem epicorum simplicitati et perspicuitati non minus repugnat. Schaeferus autem ex h. l. in Steph. thes. gr. ling. VIII. p. 10599. b. *περιχηρόω* compositum enotavit. Sed illo probato de horum explicatione plane desperandum esset. Quapropter singula ita fere coniungenda existimaverim: *αἱ δὲ μητέρες διηνεκέως μεμακυῖαι μέγ' ἀσκαίρουσι περὶ σηκοὺς τεκέων ἐκχηρωθέντας*: *matres vero continuo balantes valde trepidant circa stabula foetu orbata.* Singulis enim ita dispositis, et sententia apta et concinna exoritur, et oves agnis sublatis eodem desiderii affectu, quo hirundinem et lusciniam incitatas dicit poeta, videmus commotas, denique compositum *ἐκχηρόω*, etsi nullum eius exemplum novi, ipsi verbi notioni longe accommodatius erit habendum, quam quod Schaeferus admisit *περιχηρόω*. Dicendi autem genus cognatione quadam attingit homerica in Il. 4, 435. obvia.

Thetidi mortem filii lugenti Calliope Musa inter alia solatia III, 649. sqq. haec suggerit:

ἦ οὐκ ἀΐεις; ὅτι πάντας, ὅσοι χθονὶ ναιετάουσιν,
ἀνθρώπους ὀλοὴ περιπέπταται ἄσχετος Αἶσα,
οὐδὲ θεῶν ἀλέγουσα; τόσον σθένος ἔλλαχε μούνη.

Ea primum scitius, quam fieri solet, erant distinguenda: Parcam enim immitem omnes homines, quotquot terrae munere vescuntur, circumvolare sive omnibus mortalibus instare fatum sua sponte intelligitur, comma igitur importunum, quo *ἀνθρώπους* a reliquis distinebatur, tollendum fuisse sequitur. Ab initio deinde *ἢ* disiunctiva minus quadrat; unde *ἦ οὐκ ἀΐεις* i. e. *nonne audis*, emendandum censeo. Isti vero non modo latina adstipulatur interpretatio, sed Homeri etiam sermo, cui epici sua accommodare solent. Apud illum igitur, nisi forte oppositorum ratio disiunctivam commendat, particula interrogativa semper fere et ubique reperitur. Hinc priorem defendendam crediderim Il. 5, 349. ubi Diomedes Venerem, quae in pugnam descenderat, increpat:

εἶκε, Διὸς θύγατερ, πολέμου καὶ δηϊοτῆτος·
ἦ οὐχ ἅλις, ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις;

annon satis est, te mulieres imbelles seducere? quin ipsi

bello et pugnae te infers. At plerumque particula, quod ne ab illo quidem loco prorsus alienum duxerim, ut mera interrogativa, fortiorem sibi expetit accentum. Sic Nestor Diomedem admoniturus 8, 140. ait:

ἦ οὐ γιγνώσκεις, ὅ τοι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ' ἀλκή;

vid. 15, 18. 17, 450. 18, 287. 20, 188. 23, 670. Od. 24, 115. Ea igitur, nisi animus fallit, in Quinti verba transferre consentaneum est, nec minus in Od. 1, 298., ubi Minerva Telemachum interrogat:

ἦ οὐκ ἀΐεις, οἷον κλέος ἔλλαβε δῖος Ὀρέστης
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, ἐπεὶ ἔκτανε πατροφονῆα
Αἴγισθον δολόμητιν, ὅς οἱ πατέρα κλυτὸν ἔκτα;

Vix enim ulla excogitari poterit caussa, cur poeta partitiva, qua oratio languet, uti maluerit; idem cadit in Od. 2, 311. Neque alia obtinet ratio, si iam una vel plures etiam interrogandi voculae praecesserunt, veluti in Il. 9, 339. sq.

— — *τί δὲ δεῖ πολεμιζέμεναι Τρώεσσιν*
Ἀργείους; τί δὲ λαὸν ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀγείρας
Ἀτρείδης; ἦ οὐχ Ἑλένης ἕνεκ' ἠϋκόμοιο;
ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι; — — — — —

vid. 15, 506. 21, 396. Od. 16, 424. Quare eundem tenorem appinxerim Od. 17, 376. Antinous certe ex Eumaeo non potuit quaerere, annon *alii* sint mendici vagabundi, epularum heluones, in Ithaca, sed annon ipsis iam satis magna adsit eius generis hominum copia? At recte positam arbitror disiunctivam ib. 3, 251.

πῶς ἔθαν' Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων;
ποῦ Μενέλαος ἔην; τίνα δ' αὐτῷ μήσατ' ὄλεθρον
Αἴγισθος δολόμητις; ἐπεὶ κτάνε πολλὸν ἀρείω.
ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιικοῦ, ἀλλά πῃ ἄλλῃ
πλάζετ' ἐπ' ἀνθρώπους, ὁ δὲ θαρσήσας κατέπεφνεν;

Etenim Telemachus, cuius haec sunt, Menelaum ab Argis abfuisse sumit eo tempore, quo Aegisthus interfecerit Agamemnonem, et, an vere statuat, ex Nestore sciscitatur, idemque non ita raro interrogationibus affirmativis usu venit, cf. Od.

11, 399. 24, 111. 300. alibi, etsi veterum plerosque ea de re aliter sensisse nuper demonstrare studuit Lehrsius quaest. epic. p. 50. sqq.

Particula cognata, qua quid affirmatur, alii Quinti versui, initio proximi libri oblato, temere intrusa videtur. Est autem is IV, 22.

νῦν πάντεσσιν ἄελπτον ἀπ' Ὀλύμποιο Κρονίων
ἡμῖν ὤπασε χάρμα λιλαιομένοισιν ἰδέσθαι
ἐν Τροίῃ Ἀχιλῆα δεδουπότα· ἦ γὰρ ὀΐω
βλημένου ἀμπνεύσειν Τρώων ἐρικυδέα φῦλα
αἵματος ἐξ ὀλοοῖο καὶ ἀνδροφόνου ὑσμίνης.

Corrupta haec esse non modo participium nullo sustentatum fulcro, verum etiam hiatus significare videtur. Utrique autem incommodo provisum erit, ubi emendaveris: *τοῦ γὰρ ὀΐω Βλημένου κτέ.* Mihi quidem satis argumenti est, haec meliora esse, quod in ea regione ac iunctura idem passim apparet, velut IV, 120.

οὐδὲ παλαισμοσύνῃ πολυτειρέϊ· τοῦ γὰρ ὕπερθε
γυῖα καὶ ἅψεα πάντα λυγρὸν κατεδάμνατο γῆρας·

X, 216.

ἀλλ' ὅγε γυμνὸς ἐὼν ἀνεχάζετο· τοῦ γὰρ ἀπ' ὤμων
Πουλυδάμας ἀπάραξε σάκος, — — —

add. VIII, 115. Librariis autem fraudi fuit *ἦ γὰρ* saepissime dictum a Quinto, cf. III, 187. IV, 579. X, 329. XII, 11. 209. 567. XIV, 276. 298. alibi.

Fortunam Aiacis Telamonii, qui, post certamina in Achillis defuncti honorem instituta sibimet ipsi mortem ingruere nescius, horum ludorum suasor exstiterit, poeta IV, 101. sqq. hisce quasi praedicit ac vaticinatur:

— — — — *οὐδέ τι ᾔδη,*
ὅττι ῥά οἱ μετ' ἄεθλα κακὸς μόρον ἔντυε δαίμων
ἀργαλέον· — — — — —

Iam quum duplex olim epitheton *κακὸν* et *ἀργαλέον* nomini uni esset adiunctum, inconcinnitatem istam mutando abstergere studuerunt. Ac Tychsenius quidem *κακὸς δαίμων* consociavit, Rhodomannus *δαίμων ἀργαλέος* et *κακὸν μόρον* maluit. Nec

nego utrumque sic reciprocari posse, neutrum enim ignotum est Quinto, quippe qui Menelaum V, 422. dicentem faciat:

νῦν δὲ μέγ' ἀασάμεσθα, κακὸς δέ τις ἤκαχε (sive *ἤπαφε*)
δαίμων·

Alterum vero bis offertur I, 586. — — *τίσεις δὲ κακὸν μόρον* et XIV, 580.

καί νύ κεν ἐξήλυξε κακὸν μόρον, — —.

Quae nobis indicio sunt, *κακὸν μόρον* violentam mortem, qualis Aiacis fuerit, declarare. Rectius igitur obsequemur Rhodomanno, cuius ratione ea, quae arctius cohaerent, in unum iunguntur, dum Tychsenius conflanda separat. Sensit id Pauwius, qui *ἀργαλέως* suadet, id quod et Vindob. primo firmatur et aliis Quinti exemplis defenditur, veluti VIII, 143. X, 36. XIII, 364.

Nestor Thetidis laudes persecuturus IX, 130. sqq. ita disserit:

τοὔνεκ' ἐνὶ μέσσοισιν ἐΰφρονα Νηρηΐνην
ὕμνεεν, ὡς πάσῃσι μετέπρεπεν εἰναλίῃσιν
εἵνεκ' ἐϋφροσύνης καὶ εἴδεος· — —

Quae etsi Homero duce apte et commode dicta videntur, Quinti tamen aetati parum convenire iam Scaliger animadvertit. Desiderat enim particulam geminam *εἵνεκ' ἐϋφροσύνης τε καὶ εἴδεος*, eamque suspicionem nostri usu ac sermone commendari plura ostendunt, ut VII, 690. sq.

ὦ τέκος, οὕνεκά οἱ κρατερὸν μένος ἠδὲ καὶ εἶδος
καὶ μέγεθος καὶ θάρσος ἰδὲ φρένας ἔνδον ἔοικας. —

et quod propius etiam ad illa accedit I, 613.

— — — *ἐπεὶ μέγεθός τε καὶ εἶδος*
ἔπλετ' ἀμώμητός τε καὶ ἀθανάτοισιν ὁμοίη.

Add. VI, 303. IV, 275.

In Thetidis nuptiis Nymphae ambrosiam miscuisse dicuntur IV, 139. sq.

— — — — *ἀμφὶ δὲ Νύμφαι*
ἀμβροσίην ἐκέραιρον ἐνὶ χρυσέοισι κυπέλλοις, —.

De verbo *κεραίω* et *κεραίρω* breviter disputavi ad Il. 9, 203., prius vero, quanquam tum libri multi tum scriptores in contrariam abeunt partem, Quinto iam ea de caussa restituendum existimaverim, quod olim *ἐκέρεον* fuit editum. Id autem facilius ex illo potuit depravari quam e vulgari, cui, Rhodomanno praeeunte, hodie fidem habent.

Epeus et Acamus pugilatu certantes IV, 354. sq. rem magna corporis animique gerunt contentione:

— *αἷμα δὲ πουλὺ κατέῤῥεεν· ἐκ δὲ μετώπων*
ἱδρὼς αἱματόεις θαλερὰς ἐρύθαινε παρειάς.

In quibus aoristi forma, Quinto sola cognita, dudum revocari debebat; vid. ib., v. 156., ubi de Achille caesorum sanguine Xanthi fluenta inficiente haec habes:

αἵματι δ' ὡς ἐρύθηνεν ἄδην ποταμοῖο ῥέεθρα
Ξανθοῦ, — — — — —

porro de sole surgente IX, 529.

νὺξ δ' ἀνεχάσσατο δῖα· φάος δ' ἐρύθηνε κολώνας
ἠελίου· — — — — —

de Helena pudoris rubore suffusa XIV, 41.

ἀλλ' οὐ μὰν Ἑλένην γόος ἄμφεχεν, ἀλλά οἱ αἰδὼς
ὄμμασι κυανέοισιν ἐφίζανε· καί οἱ ὕπερθεν
καλὰς ἀμφερύθηνε παρηΐδας· — —

ac simillima de Penthesilea I, 60.

αἰδὼς ἀμφερύθηνε παρήϊα, τῶν δ' ἐφύπερθεν
θεσπεσίη ἐπέκειτο χάρις, καταειμένη ἀλκήν.

Neque alii epici ab ista recedunt consuetudine, ut Apoll. Arg. I, 791. III, 681. IV, 474.

— — — — *τῆς δὲ καλύπτρην*
ἀργυφέην καὶ πέπλον ἀλευομένης ἐρύθηνεν.

Atque haec quidem valent de activo; ex formis passivis praesens maxime et imperfectum offeruntur, quod numerorum et suavitati et commoditati erat prospiciendum. Duobus igitur Homeri exemplis Il. 10, 484. 21, 21. plura adiungi possunt Quinti, velut VIII, 229.

πλήθετο δὲ χθονὸς οὖδας, ἄδην δ' ἐρυθαίνετο λύθρῳ,

IX, 147. et 177.

— — — *φόνῳ δ' ἐρυθαίνεται ὕδωρ.*

Quae librorum praestantiorum lectio iure recepta est in Arat. Dios. 835.; *ἐρυθραίνεται* enim, quod olim locum occupaverat, epicis insolitum fuisse crediderim.

Ut apud Homerum Teucer et Meriones sagittandi arte de victoria contendunt, ita apud Quintum Teucer et Aiax, Oilei filius, eiusdem certaminis socii prodeunt IV, 405. sq.

ἀμφὶ δὲ τοξοσύνης Τεῦκρος καὶ Ὀϊλέος υἱὸς
ἔστασαν, οἳ καὶ πρόσθε δρόμου πέρι πειρήσαντο.

Ubi non minus, quam II, 523.

— — — — *ἀλλ' ἅτε πρῶνες*
ἔστασαν ἀδμῆτες, καταείμενοι ἄσπετον ἀλκήν·

spiritum lenem, quod intransitiva subest notio, aspero mutandum esse dixi in excurs. ad Il. V. p. 12. Quintum enim ab aliis poetis minime dissentire compositum docere potest III, 142. — *ἀλλ' ἀπάνευθεν ἀφέστασαν* —, etsi simplex solis his duobus obvenit locis. Sed vulgare coniectura invasit; nam in antiquioribus editionibus fuit *στάσαν*, pro quo Rhodomannus demum *ἕστασαν* voluit, Tychsenio inconsideratius obsequente, Pauwio iam praeeunte; corruptius etiam Vindob. unus *ἐστάσασαν*, syllaba media perperam ingeminata, praebet. Sed aliae insuper huius verbi formae apud Quintum egere videntur medicina. Quo ex numero sunt VIII, 11. — *Κῆρες δὲ μάλα σχεδὸν ἑστηκυῖαι*, et IX, 453. *τυτθὸν ἐφεστηκυῖαν*, quibuscum pugnant I, 390. — *ἀπόπροθι δ' ἑστηυῖα Χάρμης*, — II, 502. *Ἠελίοιο θύγατρες ἐθάμβεον ἑστηυῖαι* —. Neque illis plus fidei esse putaverim, quandoquidem alteri, quod olim *ἐπεστηυῖαν* sonabat, *κ* Tychsenius primus inseruit, adspiratam iam Rhodomannus requisivit, Vindob. adstipulante, etsi *φ* erasum est; altero vero loco Ven. germanum erat daturus, dum *ἑστηναι* i. e. *ἑστηυῖαι* profert. Denique VIII, 396. — *πύργοισιν ἐφεστῶτες πονέοντο*, numeros pro Quinti more *ἐφεστάοτες* reposcere, nisi memoria fallit, iam alibi dixi, neque iniuria, vid. XI, 132. XII, 359.

Praeter interpunctionem, certae legi ac regulae nunquam adstrictam, tum tenorum pravitas, tum litterarum singularum corruptela, nunc negligentia editorum nunc operarum socordia natae, lectori attento et sollicito crebras iniiciunt moras, imo

fastidium creant. Pusilla ista menda, vel longo ex tempore propagata vel recentiore demum aetate invecta, facile quidem tolli ac removeri possunt; at saepe fit, ut oculorum aciem eludant. Quamobrem si pauca ex eo genere in lucem protraxero, me operae pretium facturum esse existimaverim. Huc autem pertinet IV, 376.

τοὺς δ' ἕταροί τε φίλοι τε παρηγορέοντες ἄγεσκον
ἀντικρὺς ἀλλήλων, ὥς κεν χόλου ἀλγινόεντος
ἐσσυμένως λελάθωνται ἀρεσσάμενοι φιλότητι.

Sermo est de Acamante et Epeo, qui certamine pugilatus finito amicorum suasu redeunt in gratiam. Accentum vero particulae *ὥς* omnibus in libris additum ratio non minus quam alia testimonia iubent corrigi, cf. I, 232. V, 384. 426. VII, 154., etsi modo rei, de qua nemo dubitabit, plus fidei conciliant. Postrema denique eorum, quae supra apposui, Homerum imitatus adiecit Quintus, vid. Il. 9, 112. Od. 8, 396. 22, 55., iisque cognata, quibus Agamemno Ulixis, Hector Paridis animum placare student Il. 4, 350. 6, 526.

Tenuis littera aut male relicta aut perperam intrusa est a Tychsenio IV, 548., ubi poeta eorum, qui equo sellari vecti in arenam prodeunt, adventum describit:

— — *καὶ πάντες ἀναΐξαντες ἐφ' ἵππων*
ἕζοντ'· οἱ δὲ χαλινὰ γενειάσιν ἀφρίζοντες
δάπτον, — — — — —.

In quibus piaculum illud Pauwianam demum occupavit editionem, nam Rhodomannia, ut par erat, *ἕζονθ', οἱ δὲ* exhibet. Duas alias eiusmodi labeculas solus iterum Rhodomannus aut prudenter evitavit, aut dextre sustulit: nam XIV, 619. bene et vere praebet:

εὔχεθ' ὁμῶς νήεσσιν ὑπόβρυχα πάντας ὀλέσθαι.

Tychsenius et Pauwius sinistre legunt *εὔχετ' ὁμῶς*, — et VI, 440., pachicula perperam resecta, in antiquioribus et Pauwiana exstat:

Νιρῆος, ὃς κεῖτο — — — —

cui Rhodomannus *Νιρῆός θ', ὃς κ.* substituendum esse per-

spexit, Tychsenius errore, nescio quo, in fraudem inductus *Νιρῆός τ' ὃς* evulgandum curavit, sed vid. VII, 7. Neque in accentibus solum et litterarum permutatione ista cernitur incuria, verum etiam spiritus aliquoties absunt a vero et recto; ita, quod olim aliquanto crebrius erat admissum, XI, 139. restat:

— — — — *οὐδὲ γὰρ αὐτὸς*
ὔμμιν ὑπαντιάσας κεχαρήσεται ὄβριμος Ἄρης,

add. XII, 516. et VIII, 480.

ἀνέρι γὰρ πεπίθοντο παλαιῶν ἴστορι μύθων.

Utrique, *ὔμμιν* et *ἴστορι*, spiritum lenem reducamus necesse est: illud sic exarari dialectus iubet, hoc et verbum primitivum et ab eo deducta commendant, vid. ann. ad Il. 18, 501., neque Rhodomannus rem aliter instituit. Denique punctis intempestivis conflanda divelluntur IX, 354.

— — *τόθι κεῖτο πάϊς Ποίαντος ἀγανοῦ.*

Cuius contrarium bene obtinet ib., 448. 517. 535., etsi in illo omnes editiones, quas vidi, miro consensu acquiescunt. Atque in his quidem vitii vestigia ita manifesto apparent, ut neminem fere lateant, in aliis vel magis occuluntur, vel, ut fit, legentium oculos animosque parum adverterunt. In horum numerum refero particulas *ἠμὲν* et *ἠδὲ* in aliis etiam poetarum monumentis perperam discretas, sed apud Quintum uno tantummodo versu scite constrictas VII, 646.

γήθεον εἰσορόων ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν.

Reliquos omnes falsum *ἦ μὲν* olim affecerat; iam e libro secundo v. 55. 520. bis oblatum dudum removendum dixi, vid. mant. observ. p. 215., et in altero mecum sentiebat Rhodomannus. Nihilominus restat mendum VII, 438. et XII, 331., ubi de Epeo, equi lignei fabricatore, traduntur haec:

— — — *ἐπίστατο δ' ᾧ ἐνὶ θυμῷ*
ἦ μὲν ἀνωῖξαι κείνου πτύχας, ἠδ' ἐπερεῖσαι.

Quae iam aperta Homeri imitatio emendare debebat; ille enim bis de Horis, coelestium portarum custodibus, Il. 5, 751. 8, 395.

ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος ἠδ' ἐπιθεῖναι.

Semel autem verum editoris recentissimi consilio instauratum habemus XI, 429.

— — *πολλοὶ δὲ κατέκταθεν ἠμὲν Ἀχαιῶν,*
ἠδέ τε καὶ Τρώων· — — — —

iure, ut opinor; pronominibus enim *οἱ μὲν Ἀχ.* — *οἱ δὲ καὶ Τρ.* et numeri obstant et Ven. cum Escurial. primo, add. Hom. Il. 5, 128. 9, 105. 226. 12, 159. sq., etsi vulgare tutatur aliquo modo Il. 12, 288. Ei vero, quod praeferendum dixi, non ita raro adsunt antiquiores editiones, velut Aldin. VII, 438. XII, 231.

Sed iste rerum minutarum neglectus maius etiam detrimentum aliis intulit, veluti III, 291., ubi Aeneam ab Aiace vulnere percussum et in urbem reversum medicorum fovet cura:

οἵ ῥά οἱ αἷμα κάθηραν ἀφ' ἕλκεος, ἀλλά τε πάντα
τεῦχον, ὅσ' οὐταμένων ὀλοὰς ἀκέονται ἀνίας.

Iam haec apte quidem vertit interpres: „*et alia cuncta peregerunt, quae saevas vulneratorum aegritudines sanant*,“ iis autem obnituntur graeca. Quae accentu remisso *ἄλλα τε πάντα* scribenda esse et quisque intelligit et nostri sermo, homerico similis, cf. Il. 9, 639. 12, 285. 23, 483., comprobat, vid. V, 635.

ἠδὲ καὶ ἀμφιφορῆας ἀλείφατος, ἄλλα τε πάντα,
ὁππόσα κυδήεντα καὶ ἀγλαὸν ὄλβον ὀφέλλει. —

add. VI, 52. XII, 5. 144., nec longe abest IX, 308.

— — — — *τοῦ δ' ἄρα θυμὸν*
οἰωνοὶ κατέρυκον ἀριστερὰ κεκληγῶτες,
ἄλλα τε σήματα πολλά· χόλος δέ οἱ οὐκέτ' ἔμελλε
πείθεσθαι τεράεσσι. — — — —

Adscripsi autem poetae verba plena atque integra, ut iis medicam applicarem manum. Iram enim alicuius cedere, placari sedarive posse intelligo, quomodo ea obediat portentis non video. Ac latinus quidem interpres difficultatem istam non sustulit, sed dissimulavit, graeca circumloquutus: „*attamen ira eius non amplius cessura erat prodigiis*“. Quod si verum esset, *εἴκειν θυμοῦ*, ut Sophocles in Antig. 718. dixit, vel simile quidpiam exspectandum erat. Itaque *χόλον* isti quidem sententiae adversari patebit, sed non ita magno moli-

mine *νόος* reddas, Phoebi *animus* prodigiis oblatis parere iam noluit. Huc faciunt et homerica quaedam, quibus adolescentibus superbus, inconstans vel levis tribuitur *νόος*, uti Antilocho Il. 23, 590. ac Priami filiis 3, 106. sqq. et locutiones quaedam aliae, cf. Il. 15, 52. 17, 546. Od. 2, 92. 13, 381. 18, 283. Propiora etiam Quintus suppeditat, cui *νόος* crebro indicat turbidum illum animi motum, quo quis a recto et sano abducitur, vid. I, 652. II, 88. XI, 274. Nostris vero proxima sunt, quae de Marte Achillem interfecturo et Jovis minis ab isto conatu pariter absterrito I, 706. sqq. leguntur:

πολλὰ δὲ πορφύροντα θοὸς νόος ὀτρύνεσκεν,
ἄλλοτε μὲν Κρονίδαο μέγ' ἀσχαλόωντος ἐνιπὴν
σμερδαλέην τρομέοντα πρὸς οὐρανὸν ἀπονέεσθαι,
ἄλλοτε δ' οὐκ ἀλέγειν σφετέρου πατρὸς, ἀλλ' Ἀχιλῆος
μῖξαι ἐν αἵματι χεῖρας ἀτειρέας· — — —.

Reposui autem *Ἀχιλῆος ἐν αἵματι*, quod dativus *Ἀχιλῆϊ* absonus videtur.

Extrema libri quarti pars adeo manca et imperfecta ad nos *ὀψιγόνους* pervenit, ut salus eius in melioribus ac plenioribus libris propemodum sola sit posita. Attamen hic illic Quintus ipse vulnerum latentium medelam sibi parare poterit: ita quae v. 579. de Sthenelo leguntur:

— — — *ὁ δ' οὔτι οἱ ἦτορ ἴηνεν*
ἀμφ' Ἀχιλῆος ἄεθλα πονεύμενος· — —

ferri quidem possunt, si de forti Stheneli equo, ex stadio evagato, cogitaveris. Sed nescio, an participium ex enallaga nostro valde usitata aptius etiam ad ipsum equitem, praemii auferendi cupidum, retulerimus, scribentes *πονευμένου*, cui accinunt VI, 238. sq.

— — — — *οἱ δέ οἱ ἄμφω*
ἀκάματοι μνῶνες ἐρειδομένοιο τέταντο·

XIII, 404. sq.

— — — *νόος δέ οἱ ἄλλ' ἐνὶ θυμῷ*
ὥρμαιν' ἐσσυμένοιο· — — —

add. II, 245. 254. III, 141. VIII, 316., alibi.

PARTICULA SEXTA.

Quintus postquam ludos in Achillis memoriam atque honorem celebratos accurate descripsit, libri proximi initio Aiacem et Ulixem in medium producit et de Achillis armis contendentes facit. Exorsus autem a clypeo, nobili illo Vulcani dono, in plurimis quidem, quae enumerat, Homeri sequitur auctoritatem, at nonnulla certe habet propria ac novo quasi imaginum ornatu distincta. Primum igitur in eo consentit, quod coelum, terram, mare et sidera illic efficta fuisse narrat. His autem et aetheri subiectum dicit aera, in quo aves volantes conspicerentur, Tethyn deinde et Oceani fluvium clypei oras ambiisse, vid. Il. 18, 607. sq. Ac de his quidem v. 11. sqq. ita canit:

τῶν δ' ἄρ' ὁμῶς ὑπένερθεν ἀπειρέσιος κέχυτ' ἀήρ·
ἐν τῷ δ' ὄρνιθες τανυχειλέες ἀμφεποτῶντο·
φαίης κε ζώοντας ἅμα πνοιῇσι φέρεσθαι.
Τηθὺς δ' ἀμφετέτυκτο καὶ ὠκεανοῦ βαθὺ χεῦμα·
τῷ δ' ἄφαρ ἐξεχέοντο ῥοαὶ ποταμῶν κελαδεινῶν,
κυκλόθεν ἄλλυδις ἄλλῃ ἑλισσομένων διὰ γαίης.

Horum principio genitivum praecedentibus incommodum et importunum iudicaverim; nominavit enim paullo ante omnia, quotquot in coelo circumferuntur, astra

— — — *τέτυκτο δὲ τείρεα πάντα,*
ὁππόσα δινήεντα κατ' οὐρανὸν ἀμφιφέρονται.

Infra ea igitur simul effusus traditur immensus aer. Neque aliter cepit graeca interpres latinus, dum reddit: „*infra quae simul aer infinitus erat diffusus.*“ Cui rationi verborum collocatio, ab interprete callide traiecta, obstare videtur, quod

ὁμῶς medium inter utrumque et interiectum loco parum apto positum esse facile apparet. Hinc et rei naturae et singulorum concinnitati magis expediet dativus: *τοῖς δ' ἄρ' ὁμῶς ὑπ. ἀπ. κ. ἀὴρ*, quem et ipsum adverbium proximum sibi poscit, *ὑπένερθεν* autem, cui antecedens obstringendum putarunt, nihil nisi locum describet, nec quidquam ex eo pendet. Hoc tum simplex suadet, aliquoties ita obvium, velut XIV, 270. *καί οἱ κόλπος ἔνερθεν ἐπλήθετο·* — ib., 581. *ῥῆξας αἶαν ἔνερθεν*, tum vox ipsa, ei dicendi generi minime contraria, vid. XII, 180.

Τιτῆνες δ' ὑπένερθε μέγ' ἔτρεσαν· — —

VIII, 462. XIV, 601. Sed *ὁμῶς* pronominis aut praemissi aut subiecti dativum plerumque sibi adiunctum habet, interdum vel plura comprehendit, vel aliud, ad quod simul respicit, adverbium ei succedit. Atque in praesens quidem usus prioris exempla sufficiant, sicut XII, 168.

τοῖσι δ' ὁμῶς ἀγέροντο καὶ οἳ λάχον εὐρέα πόντον,

add. VIII, 86., nostris simillima praebentem, aliaque finitima IV, 432. 480. V, 222. XIII, 456. Longe crebrius instat adverbium nomini, cuius rei argumenta quaevis fere pagina suppeditat, cf. I, 697. 808. III, 255. 270. 511. V, 286., alibi. Deinde v. 13. sq. leviora quaedam sustuli menda, particulae enim *κε* intempestive adhaerescebat *ν*, consona duplici subsequente; tum perperam neglectum erat verbi augmentum, de quo in mant. observ. ad Quint. p. 247. dixi. Ibidem autem *Ὠκεανοῦ*, quod Tethyn ei obiectam videmus, emendatius scribemus. Id autem et latina agnoscit interpretatio, et Homeri exemplar, cui sua accommodavit Quintus, probat, vid. Il. 18, 607.

ἐν δ' ἐτίθει ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο.

In iis, quae postea leguntur, ne praepostera Pauwii sedulitas poetae manum depravaverit, vereor. Ille enim primus verba sic constituit, quemadmodum ea exhibet Tychsenius, genitivoque eiecto dativum *τῷ δ' ἄφαρ*, dum priores *τῶν δ' ἄφ.* tenent, adoptavit. Qua de mutatione praecipit haec: „Interpres, *e quibus amnium susurrantium fluxus celeriter scaturiebant.* Nihil falsius aut ineptius: nam fluvii non currunt ex Oceano in Terram, sed ex Terra in Oceanum. Sciunt ipsi pueri et nihil notius. Quod tamen interpres habet, habetur etiam in Graecis: quae proinde non possunt esse sana. Scribe minima mutatione: *τῷ δ' ἄφαρ ἐξεχέοντο ῥοαὶ ποταμῶν* etc. *τῷ* respicit *ὠκεανοῦ βαθὺ χεῦμα*, et *τῷ ἐξεχέοντο* Graecismus est purus putus: *ei effunduntur* i. e. in eum effunduntur, sese in eum effundunt labentes. Erunt nasuti, qui *τῶν* iungent cum *ποταμῶν ἀλεγεινῶν*. Sed eos nemo paullo humanior sequetur; nam *ἐξεχέοντο* absolute, ineptum est. Illud *ἀλεγεινῶν* mendum exhibet apertum: Rhodomannus recte *κελαδεινῶν*.“ Ac Rhodomanni quidem suspicionem nec Tychsenius sprevit, neque ipse damnaverim, vid. X, 171. *ἢ ποταμῷ κελάδοντι,* — . Sed Pauwianam sapientiam iustis de caussis explodendam et repudiandam statuo. Ut enim largior, structuram, quam alii acutiori dat, falsam ac perversam esse, ideoque neminem facile ad eiusmodi ineptias delapsurum credo, ita purus putus eius graecismus, quem vel pueri norunt, Quinti sermoni valde repugnat, qui quoties illo verbo utitur, id quod saepissime fit, aut genitivum, praepositione non raro geminata, apponit, aut nullum omnino consociat nomen. Ne vero longius labamur, in ea ipsa, quae hic adest, forma subsistamus. Habemus ergo I, 221.

ὣς φάτο· τοὶ δὲ φαεινὰ περὶ σφίσι τεύχεα θέντες
νηῶν ἐξεχέοντο, μένος καταειμένει ὤμοις·

III, 13.

τείχεος ἐξεχέοντο μεμαότες, — —

VIII, 45.

ὣς οἵγ' ἐκ νηῶν καὶ τείχεος ἐξεχέοντο —,

IX, 126.

ἄστεος ἐξεχέοντο, μέγ' ἱέμενοι πολέμοιο —,

XIII, 58.

ὣς οἵγ' ἐξ ἵπποιο μεμαότες ἐξεχέοντο.

Ab his non multum absunt V, 107. VI, 336. VII, 114. IX, 73. XIV, 485. XII, 199., ubi versu priore *ἐν* de statione deiecit germanum *ἐκ*, vid. mant. observ. in Quint. p. 205. Neque aliam in aliis verbi temporibus ac formis reperire licet iunctu-

ram, velut VIII, 201.

— — τοῦ δ' ἔκχυτο φοίνιον αἷμα —,

etsi plerumque nullus adiicitur casus. Quod vero Pauwius flumina ex Oceano effundi negat, eaque potius undas Oceano miscere pueris etiam notum scribit, id profecto lepidum est. Memoria enim excidit locus Homeri celeberrimus et multorum imitatione nobilitatus Il. 21, 195. sqq.

εἴτε βαθυῤῥείταο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο,
ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Ad haec igitur Quintus respexisse censendus est. Poesin enim homericam omnes omnino recentiores imitati sunt, qui diligentius et studiosius id fecerit nostro, scio neminem. Quae si meminisset Pauwius, haud dubie mirari destitisset, quid sit, quod fluvii ex Oceano effundi potius dicantur, quam aquas in eum infundentes. Neque his nostris explicandis puerorum scientia sufficit, sed requiritur virorum, et eorum, qui assidua Homeri lectione instructi minus plana et obvia aliis etiam enodare et exponere calleant. Tychsenius vero isti Pauwianae opinioni, fumum ex fulgore facienti, inconsideratius credidit. Nam ea ipsa, quae vates Maeonius de Oceano praedicavit, a posterioris aetatis poetis, rhetoribus, philosophis non ita raro ad ipsum Homerum relata esse, illumque omnium poetarum ac scriptorum fontem quasi atque originem tum dici tum haberi inter omnes constat, vid. interprr. ad Il. l. l.

Venatione, quae belli quoddam simulacrum est, uberius pertractata, Quintus pugnas ac Martis terrores inde a v. 25. adumbrat, iisque defunctus ad pacis munera et gaudia v. 45. sqq. progreditur. Atque messem quidem, cuius imaginem Homerus pariter delineavit, v. 57. sqq. persequitur hisce:

ἐν δ' ἔσαν ἀμητῆρες ἀνὰ πλατὺν ὄγμον ἰόντες,
σπεύδοντες δρεπάνῃσι νεηκέσι· τῶν δ' ὑπὸ χερσὶ
πολλοὶ ἀμαλλοδετῆρες· ἀέξετο δ' ἐς μέγα ἔργον.

Ea ut primo adspectu satis clara, ita, ubi singula accuratius examinaveris, non modo obscura et difficilia, sed ne plena quidem videntur. Unde mihi suspicio est excitata, ad integritatem unum certe versum excidisse. At dicat aliquis, neminem, quantum scimus, quidquam desiderasse, proinde nullam huius nostri iudicii adesse caussam. Verum proprius modo inspiciamus duos posteriores versus, eosque vinculo aut omni aut toto, cur sibi iuncti nexique sint, liberos ac solutos esse fatendum erit. Etenim deest verbum, quo, quid manipulos colligantes agant, pateflat, neque ipsis messoribus id, quod exspectandum erat, antea legimus adiectum. Penuriam illam, quam apertam et manifestam esse crediderim, interpres latinus aut occultavit aut parum animadvertit, si quidem transfert: „*erant ibi messores, secundum latum ordinem procedentes, qui recens cote subactis falcibus properant, e i s q u e a d m a n u s s u n t m u l t i m e r g i t u m l i g a t o r e s, et opus ad magnum effectum promovetur.*" Quibus verborum ambagibus primum participii loco intulit tempus finitum, tum de suo iterum addidit εἰσὶ, denique ὑπὸ χερσὶ *ad manus* falso vertit. Nec tamen hisce machinis eo adduxit rem, ut, quid et metentes et colligantes ad opus in maius augendum fecerint, luculenter appareat. Nihil igitur relinquitur, nisi ut unum versum, quo ista apertius proderentur, aut abiectum aut omissum putemus. Cui opinioni plus roboris ac momenti eo affertur, quod in simillimis messis descriptionibus illa ipsa, quae requirimus, plene et cumulate tradita atque exposita invenimus. Respiciamus primum Homeri versus, quos nostro ante oculos fuisse nemo negat, Il. 18, 550. sqq.

ἐν δ' ἐτίθει τέμενος βαθυλήϊον· ἔνθα δ' ἔριθοι
ἤμων ὀξείας δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
δράγματα δ' ἄλλα μετ' ὄγμον ἐπήτριμα πίπτον ἔραζε,
ἄλλα δ' ἀμαλλοδετῆρες ἐν ἐλλεδανοῖσι δέοντο.
τρεῖς δ' ἄρ' ἀμαλλοδετῆρες ἐφέστασαν· αὐτὰρ ὄπισθεν
παῖδες δραγμεύοντες ἐν ἀγκαλίδεσσι φέροντες,
ἀσπερχὲς πάρεχον· βασιλεὺς δ' ἐν τοῖσι σιωπῇ
σκῆπτρον ἔχων ἑστήκει ἐπ' ὄγμου γηθόσυνος κῆρ.

Iam haec totum rei gestae ordinem et eventus, quos habuerit, perspicue et distincte enumerant, neque alia, etiamsi maiore brevitate comprehensa tenentur, ab illis magnopere dis-

crepant, velut hymn. hom. in Cerer. 453. sqq.

— — — — αὐτὰρ ἔπειτα
μέλλεν ἄφαρ ταναοῖσι κομήσειν ἀσταχύεσσιν,
ἦρος ἀεξομένοιο, πέδῳ δ' ἄρα πίονες ὄγμοι
βρισέμεν ἀσταχύων, τὰ δ' ἐν ἐλλεδανοῖσι δεδέσθαι.

Hesiod. scut. Herculis 288. sqq.

— αὐτὰρ ἔην βαθὺ λήϊον· οἵγε μὲν ἤμων
ὀξείῃς δρεπάνῃσι κορυνιόεντα πέτηλα
βριθόμενα σταχύων, ὡσεὶ Δημήτερος ἀκτήν·
οἱ δ' ἄρ' ἐν ἐλλεδανοῖσι δέον καὶ ἔπιτνον ἀλωήν.

Quae si contuleris nec frugum desectarum copiam, nec manipulorum colligatorum cumulos recte abesse a Quinti imagine profecto senties. Atque ego ne contrarium quidem huic suspicioni arbitror nostrum, quippe qui hic omissa et neglecta alibi suppeditet. De quo non dubitare licebit exempla similia considerantibus, uti III, 375. sqq.

ὡς δ' ὅτε λήϊον αὖον ὑπ' ἀμητῆρσι πέσῃσι,
πυκνὸν ἐὸν, τὰ δὲ πολλὰ κατ' αὐτόθι δράγματα κεῖται,
βριθόμενα σταχύεσσι, γέγηθε δὲ θυμὸς ἐπ' ἔργῳ
ἀνέρος εἰσορόωντος, ὅ τις κλυτὸν οὖδας ἔχῃσιν· —

Ea vero ex duobus Homeri locis quasi coaluerunt, Alterum horum supra enotavimus, alter in Il. 11, 67. sqq. exstat:

οἳ δ', ὥστ' ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν
ὄγμον ἐλαύνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν
πυρῶν ἢ κριθῶν· τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει.

Porro messorum operam non minore diligentia exposuit Quintus in comparatione, qua utitur XI, 156. sqq.

— ἠΰτ' ἄμαλλα θέρευς δυσθαλπέος ὥρῃ,
ἥν ῥά τ' ἐπισπέρχωσι θοοὶ χέρας ἀμητῆρες
δασσάμενοι κατ' ἄρουραν ἀπείρονα μακρὰ πέλεθρα.

Iam quae attulimus opinionem meam nec vanam nec stultam esse poterunt demonstrare. Nam ubique fere et fruges demetentes et manipulos colligantes pari studio communique sedulitate opus facientes videmus, neutrum igitur poetae negligendum aut silentio premendum fuisse efficitur; neque alterum certe iis, quae laudavimus, deest, altero vero, cuius nulla

illic fit mentio, carere possumus. Quae quum ita sint, vestigiis aliorum non minus quam ipsius Quinti inductus inter alterum ac tertium versum ad lacunam istam explendam inseram haecce:

ἐν δ' ἔσαν ἀμητῆρες ἀνὰ πλατὺν ὄγμον ἰόντες
σπεύδοντες δρεπάνῃσι νεηκέσι· τῶν δ' ὑπὸ χερσὶ
δράγματα ταρφέα πίπτε, τὰ δ' ἐλλεδανοῖσι δέοντο
πολλοὶ ἀμαλλοδετῆρες· ἀέξετο δ' ἐς μέγα ἔργον.

Possis quidem ex altero Homeri versu scribere: δράγματα πίπτε χαμᾶζε sive δρ. πίπτεν ἔραζε, seu δράγματ' ἐπήτριμα π., at prius, ut rei sententiaeque aptius, praetulerim, densos enim sive crebros manipulos, falce desectos, procubuisse multitudo eorum, qui mergites constringunt, manifesto ostendit. Quo ipso Quintus narrationem Homeri simplicem ac veram in maius, ut solet, provexit et rem quasi axaggeravit dicendo. Praeterea ista in mentem revocant Vossii iudicium de Il. 18, 552. ad h. in Cer. p. 133. propositum, quod in notis ad Iliadem conscriptis imprudens silentio transmisi. Etenim ille levi sane priscarum editionum indicio commotus emendandum putat:

δράγματα δ' ἄλλα μὲν ὄγμῳ ἐπήτριμα πίπτον ἔραζε, —.

Nam fuit in Flor. et Ald. pr. ἄλλα μὲν, iam Ernesto non condemnatum, ab Heynio vero propter accusativum, qui instat, reiectum; ei igitur, dativo restituto, fidem habet Vossius. Sed tantam isti aut gratiam aut veri speciem non tribuerim, ut vulgare expellendum credam. Primum particulae nec liber ullus neque antiquorum interpretum quisquam opem fert, tum manipulos eosdem et demeti et colligari consentaneum est, denique structurae rarae quidem, sed exquisitae et ad rei veritatem expressae Homeri ipsius sermone provisum est. Ut enim recte legimus dativum Il. 19, 110.

ὅς κεν ἐπ' ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικὸς —,

de quo Eustath. p. 1175, 22. scienter disserit, ita πίπτειν μετά τι eam partem, in quam quid ad terram defluit, significabit. Translate id dixit poeta Il. 2, 376.

ὅς με μετ' ἀπρήκτους ἔριδας καὶ νείκεα βάλλει.

Proprio sensu aliquoties obtinet apud alios, cf. Apoll. Arg. II, 1119. IV, 289. 632.

Quemadmodum Aiax, ita Ulixes, eius adversarius, omnem victoriae spem in Idomeneo, Nestore et Agamemnone collocat V, 137.

ὥς δ' αὔτως Ὀδυσεὺς κείνοις ἔπι πάγχυ πεποίθει.

E quibus si non duplex spiritus et tenoris vitium eximendum est, certe unum accentus removeamus oportet. Nam *αὔτως* plerique libri tuentur, etsi *αὔτως* epicorum sermoni magis acceptum iudicant viri docti; at quo crebrius reperitur apud Quintum adspiratio, cf. I, 364. II, 235. 242. VI, 180. VIII, 501. XIII, 535., eo minus quidquam pro certo affirmaverim. Nulla vero praepositioni cum verbo insequente copulandae esse potest tenoris inclinatio. Accedit, quod *ἐπιπείθεσθαί τινι* tum Homero tum aliis toties dicitur, ut de eo nihil dubii supersit, vid. Il. 1, 218. 345. 565. 4, 412. Oppian. Hal. V, 500. Quint. VI, 47. VIII, 458.

— — — — *τῷ γὰρ ἔοικεν*
πάντας ἐπιπείθεσθαι, ἐπεὶ μάλα φέρτατός ἐστιν.

Ubi *πάντ' ἐπιπείθεσθαι, ἐπειὴ μ. φ. ἐ.* corrigendum videri in mant. observ. ad Quint. p. 243. admonui. Praeteritum, cuius significatio paullulum immutatur, eandem sequi structuram Homerus testificatur Il. 16, 171.

πέντε δ' ἄρ' ἡγεμόνας ποιήσατο, τοῖς ἐπεποίθει,
σημαίνειν· — — — —.

De quorum interpunctione sapienter iudicavit Rostius in Damm. lex. hom. p. 915. a. Virgulam enim, qua priora ab infinitivo posterioris versus separanda sunt, suo assensu comprobat lib. Ven., vid. horum similia Il. 2, 341. Nostris autem egregie congruit Apoll. Arg. III, 511.

εἰ δ' οὔ τοι μάλα θυμὸς ἑῇ ἐπὶ πάγχυ πέποιθεν
ἠνορέῃ, — — — —.

Nestor iudicis officium, quod Aiax et Ulixes exposcunt, detrectaturus Idomeneum et Agamemnonem, ut idem faciant, longa oratione permovere studet, et inter alia V, 152. sqq. sic disserit:

ἀλλ' ἄγ' ἐμοὶ πείθεσθον, ἐπεί ῥα γεραίτερός εἰμι

λίην, οὐκ ὀλίγον περ· ἔχω δ' ἐπὶ γήραϊ πολλῷ
καὶ νόον, οὕνεκεν ἐ σ θ λ ὰ καὶ ἄ λ γ ε α πολλὰ μόγησα·
αἰεὶ δ' ἐν βουλῇσι γέρων πολύϊδρις ἀμείνων
ὁπλοτέρου πέλει ἀνδρός, ἐπεὶ μάλα μυρία οἶδε.

Utitur autem Pylius senex argumento, ad quod Homeri principes subinde recurrunt, vid. Il. 1, 259. 9, 60. 19, 219. 3, 109. sqq., quibus extrema debet Quintus. At praeter tenoris mendum, e primo versu iam sublatum, tertio inconcinnitatem quandam inesse, quod *ἐσθλὰ* et *ἄλγεα* parum recte opponuntur sibi, Pauwius etiam sensit. Interpres latinus alio deflexit vertendo: „*si quidem multas secundas et adversas res expertus sum.*“ Cui quidem sententiae patrocinare videntur VII, 55.

— — — *ἔοικε δὲ θνητὸν ἐόντα*
πάντα φέρειν, ὁπόσ' ἐσθλὰ διδοῖ θεὸς ἠδ' ἀλεγεινά·

ib., 71.

— — — — *οὕνεχ' ὕπερθεν*
ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Sed illic, ut res postulat, adiectiva duo sibi obstant, hic nomen et adiectivum. Explicationi vero, quam supra commemoravi, nec verbum satis quadrat, neque aliorum fiduciam et obsequium Nestor sibi expetere potest propter multos dolores exantlatos, secunda autem, qua gavisus erat, fortuna minus etiam valebit. At dicat aliquis, eadem sibi obiici XII, 292.

ἄλγεα μὲν παρὰ ποσσὶ θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν,
ἐσθλὰ δὲ πολλὸν ἄπωθε, — — —.

Haec vero ipsa nostris arctiore continentur vinculo, quandoquidem *ἐσθλὰ* non tam res secundas quam gloriam improbo labore partam significare, ostendunt proxima:

τοὔνεκα ῥηϊδίη μὲν ἐς ἀργαλέην κακότητα
αἰζηοῖσι κέλευθος, ἀνιηρὴ δ' ἐπὶ κῦδος,
μέσφ' ὅτε τις στονόεντα πόνον διὰ ποσσὶ περήσῃ.

Qua quidem sententia virtutis generosioris ardorem suis accensurus erat Nestor, prompto Neoptolemi animo, qui in equum ligneum se ingressurum esse primus omnium spoponderat, exhilaratus, vid. cognata hisce V, 49. sqq.; deinde *ἄλγεα* magis

etiam eo excusatur, quod e versu superiore repetitum est. Optimo igitur iure ἄλγεα et ἐσθλὰ illic se excipiunt, hic autem plus importunitatis iis inhaeret. Ἐσθλὰ vero egregia fortitudinis documenta, quibus heroum fama quasi exsplendescit, nec fortunam prosperam ac res secundas indicare ex aliis licet cognoscere, vid. II, 425.

ἐσθλά τε καὶ κλυτὰ ἔργα, τά τ' ἀνδράσιν γίγνετ' ὄνειαρ·

X, 92.

— — *μάλα γάρ οἱ ὑπέσχετο πολλὰ καὶ ἐσθλὰ*
Δαρδανίδης Πρίαμος δώσειν περικαλλέα δῶρα.

Nec multum distat ab istis laus ab Aiace Telamonio Diomedi data IV, 89.

Τυδείδη, σὺ μὲν ἐσθλὰ καὶ οὐκ ἀνεμώλια ῥέζεις.

Iam quum et oppositorum ratio aliud quidpiam aptius poscat, et constans Quinti veterumque epicorum sit opinio, ferendo ac laborando maiorem ad gloriam enitendum esse, haud scio, an et poetae perspicuitati et sententiae convenientiae melius fuerit provisum, ubi emendaveris: — *οὕνεκεν ἐσθλὰ καὶ ἀγλαὰ πολλὰ μόγησα.* Quo recepto Nestoris virtus ac praestantia, in quibus totam persuadendi fiduciam reponit, clarius elucebit. Si quis autem omnes in eo veritatis numeros inesse negabit, is certe de totius loci interpretatione mihi, ut spero, suum adiiciet calculum.

Litis Aiacem inter et Ulixem agitatae praecipua ornamenta Quintus iterum ex homericis petiit fontibus, horum vero singula recensere longum est. Neque ea, quae vel alii emendarunt, vel ipse olim correxi, nunc attingam, sed pauca quaedam, quae vix mendi suspicionem effugiant, in lucem protrahere satis erit. Huc refero Ulixis verba, quibus se Aiacis fortitudine ex hostium manibus ereptum negat V, 273. sqq.

οὐ γάρ μοί γ' ἐπάμυνας ἀνὰ μόθον, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ
ἔστης ἦρα φέρων, μή τίς νύ σε δουρὶ δαμάσσῃ
φεύγοντ' ἐκ πολέμοιο· — — —

Decurtata autem pronominis forma, a qua Ulixes ducit initium nec receptae consuetudini nec dicentis gravitati est apta habenda. Opponit enim Laertiades sibimet ipsi Telamonis filium; scribamus ergo necesse est:

οὐ γάρ ἔμοιγ' ἐπάμυνας ἀνὰ μόθον, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ κτέ.

Neque enim mihi quidem in pugna tulisti auxilium, sed tibi ipsi gratificatus stetisti; verum σὲ postea iteratum tenorem pro more transmittit praecedenti, vid. ad Il. 10, 443. Eadem, quae hic valet ratio, aliis quum lucem affundit, tum medelam parit, sicut v. 279., ubi Ulixes narrat se habitu servili absconditum Troiam explorandi caussa intrasse:

καὶ σὺ μὲν ἔκτοσθε στήσας νέας· αὐτὰρ ἔγωγε,
αὐτὸν ἀεικίσσας πληγῇς ὕπο λευγαλέῃσιν
ἐς Τροίην πτολίεθρον ἐσήλυθον, ὄφρα πύθωμαι,
ὁππόσα μητιόωνται ὑπὲρ πολέμου ἀλεγεινοῦ —·

Quae Ulixes in sui laudem et honorem memoriae prodit, ea Aiace sublato demum accidisse referunt plerique, sed accuratam temporum notationem apud poetam frustra quaesieris. Postremo autem versui subiunctivum ab Hermanno ad Orph. p. 745. propositum imperfecti vice reddidi, quod hoc et numeris et dicentis menti obest. Nam Ulixes expeditionem tanquam praesentem narrat, modumque instauratum praeterea adiuvant V, 451. XII, 241., ad quos lectorem attentum volo revocatum. Aliquanto plus etiam scrupuli iniicit αὐτὸν de persona prima dictum, quanquam alia, quae veritatem minus perfecte imitari videntur, Quinti afferre licet testimonia, quorum plura etiam olim exstiterunt. Sunt autem potissimum haec: II, 157.

αὐτὸς ὅπως ἐθέλεις ματαδαίνυσο, πείθεο δ' αὐτῷ·

XII, 559.

ἔῤῥε, καὶ Ἀργείοισι κακὴν προτιόσσεο φήμην
ἠδ' αὐτῇ· — — — —

IX, 119.

ὥρμαινεν πονέεσθαι ὑπὲρ τοκέων τε καὶ αὐτοῦ·

XIII, 445.

καί ῥά τις οἰόμενος δηΐων ἑκὰς ἔμμεναι αὐτοῦ.

Latius etiam olim patuisse eam corruptelam Aldina monstrat, si quidem ista formam suspectam aliis tribus locis retinet VIII, 158.

νῦν δ' ἐπεὶ οὖν γενεὴν ἐδάῃς ἵππων τε καὶ αὐτοῦ,

IX 320.

— — — *ἄχος δέ τοι ἔσσεται αὐτῷ.*

XI, 432.

μάρνασθ' ἀμφὶ πόληος, ἑῶν τεκέων τε καὶ αὐτῶν — .

Iam ut in prioribus pronomen compositum semel primae, bis secundae totiesque tertiae personae aptatum cernitur, similiter Aldina tres personas eodem comprehendit. Verum de epicorum more simplex *αὐτὸς* omnibus omnino personis quadrare, alterum, ex eo et tertiae personae proprio conflatum, attico sermone tritum receptumque fuisse hodie nemo ignorat. Falluntur ergo, qui Atticorum usu impulsi in epicos idem transfundunt. Ac de Homero quidem post diligentem ac subtilem Apollonii disputationem, vid. libr. de syntax. p. 141. sqq. et de pronomine p. 314. sqq., plenius et uberius disseruit Hermannus in opusc. I. p. 318. sqq., quorum summam ann. ad Viger. p. 734. inseruit, add. Bernhardy in synt. p. 288. Hisce igitur de caussis Rhodomannus et Pauwius priorum normam Quinto, ut epico, parum consentaneam hic illic deseruerunt, nec Tychsenius, qui XII, 559. *αὐτῇ* primus dederit, rem male gessisse censendus est. Ne quis vero obiiciat, aliam Homeri, aliam posteriorum fuisse legem, pronomine *αὐτὸς* singulas quasque personas contineri Quinti potissimum atque Apollonii Rhodii auctoritate, quibuscum alii fere consentiunt, breviter ostendam. Personae igitur primae non minus quam secundae casus rectus saepissime deprehenditur, atque illius singularem Quintus praebet V, 282.

— — — — *ἀλλὰ καὶ αὐτὸς*
ἐν πρώτοις ἀνόρουσα, — — —

vid. ib., 516. Apoll. Arg. I, 895. II, 24. 56. 216. III, 103. 408. 697. 732. IV, 386. 791. 808. Pluralem vero ille agnoscit VI, 448. VII, 185. 429. Apoll. Arg. III, 569. sq. IV, 401. 1359.

καὶ δ' ὁπόσ' αὐτοὶ πρόσθεν ἐπὶ χθονὸς ἠδ' ὅσ' ἐφ' ὑγρὴν
ἔτλημεν, — — — — —.

Deinde secundae singularem in personalis locum uterque non minus crebro adoptavit, vid. Apoll. Arg. I, 414. sq. III, 11. 477. 512. 715. 945. 1041. 1059. IV, 1. 62. 1015. sq. Quint. II, 157. V, 303. 313. IV, 52.

— — — *γάμον δέ οἱ αὐτὸς ἔτευξας* —.

De pluribus autem dixit Quintus VIII, 265. Apoll. Arg. II, 331. 1142. 1192. III, 406.

ὣς αὐτοὶ μυθεῖσθε τὸν Ἑλλάδι κοιρανέοντα.

Quae structura cur omnium sit usitatissima, et acute perspexit et scienter explanavit Apollonius grammaticus: verbi enim persona, ad quam pronomen sit referendum, addita rem manifestius apparere intelligitur. Adhaerescit igitur quodammodo persona ad indefinitum, unde de hisce ac similibus olim inconsideratius iudicarunt ii, qui pronomen *αὐτὸς* nomine quodam e superioribus advocato explicandum esse opinarentur.

Mature admodum a nominativo ad casus obliquos gradum esse factum et Homeri et aliorum carmina docere possunt. Neque horum ullus, qui vi ea et potestate sit destitutus, reperitur. Genitivus igitur primae personae complectitur plures in Quint. posth. IX, 89. et II, 56.

διττάκι τόσσα φέροντας ὑπὲρ τεκέων τε καὶ αὐτῶν.

Sed operarum, ut puto, negligentia *φέροντες* ex editione novissima evanuit, priorum consensu posthac reducendum. Eundem secundae numerum novit Apoll. Arg. III, 537.

εἰ δὲ καὶ αὐτοῖσιν τόδ' ἐφανδάνει, — --.

Nec singularis documenta desunt, uti Idmon augur ferocem Idae superbiam Arg. I, 476. coercet hisce:

δαιμόνιε, φρονέεις ὀλοφώϊα καὶ πάρος αὐτῷ,

add. III, 350.

αὐτῷ δ' ὥς κεν ἅδῃ, τὼς ἔσσεται, — —.

Quo fretus Wellauerus *αὐτῷ*, ad I, 476. e regio enotatum, prudenter reiicit. Nec tamen sibi constat; nam quod illic tuetur ac verum existimat, id ad III, 1113. corruptum dicit et condemnat. Scribit ergo cum vulgaribus:

ἢ αὐτήν με ταχεῖαι ὑπὲρ πόντοιο φέροιεν
ἐνθένδ' εἰς Ἰαωλκὸν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

Brunckium autem vituperat e regiis quinque *αὐτήν γε* probantem. At profecto utrique par est ratio: nam poeta idem, quod III, 350. praetermisit, cum verbo *ἐφανδάνει* III, 34. 485.

coniunxit et IV, 395. personam primam. Ut vero concedimus, illum locum propter codicum dissensionem nostrae caussae parum prodesse, ita ad alia et ea certiora licebit provocare. Eo ex genere duo sunt Apollonii versus, in quibus *nos* et *vos*, pluralis accusativum, significat, quorum prius legimus III, 321.

— — *αὐτοὺς δ' ὑπὸ δούρασι πεπτηῶτας*
νήσου Ἐνυαλίοιο ποτὶ ξερὸν ἔκβαλε κῦμα —,

posterius I, 715., ubi Iphinoe Hypsipylae mandata Argonautis sic exponit:

καὶ δ' αὐτοὺς γαίης τε καὶ ἄστεος, αἴκ' ἐθέλητε,
κέκλεται αὐτίκα νῦν ἐπιβαινέμεν εὐμενέοντας.

Quibus conferenda sunt reginae ipsius verba v. 706., add. Homeri similia Od. 2, 375. 4, 748., quorum mentionem fecit Hermannus. Hisce igitur ea Quinti exempla, quibus *αὑτοῦ*, *αὑτῷ* aliaque affinia vel primam vel secundam denotant personam, prorsus refutari efficitur. Pessime autem invasit *αὑτῷ* posthom. IX, 320., ut commenticium et poetarum ori contrarium, vid. Quint. V, 273. VI, 15. X, 397. et Hom. Od. 11, 134. Il. 9, 249., e quo nostra fluxerunt.

Restat, ut de tertia breviter quaeramus persona. Illi autem, quod a reciproco casus rectus abfuit, si quando opus fuerit, pronomen *αὐτὸς* substitui et per se credibile est, neque a poetarum abhorret consuetudine, velut Apollon. III, 767. sq. 624.

— — — *ὀΐετο δ' ἀμφὶ βόεσσιν*
αὐτὴ ἀεθλεύουσα μάλ' εὐμαρέως πονέεσθαι.

Quint. XII, 111.

— — — *ἔφη δέ οἱ ἐγκονέοντι*
αὐτὴ συγκαμέειν, αὐτὴ δ' ἄφαρ ἔνδοθι βῆναι —.

Haec sermo latinus ne imitari quidem potest. Praeterea genitivi exemplum Quintus profert XIV, 87.

ἄλλοτε δὲ ζάθεον μακάρων γένος ἠδὲ καὶ αὐτῶν
θυμὸν τολμήεντα, — — —.

Describitur autem ea verborum quasi circuitione reciproci possessivum ad Homeri normam Il. 9, 342.

— — *ἐπεὶ ὅςτις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων*
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται· — —

Plerumque quidem eiusmodi sententia utroque et genitivo et possessivo magis perspicua redditur, sic neutro caret tertia persona Od. 1, 409.

ἠ̃ ἑὸν αὐτοῦ χρεῖος ἐελδόμενος τόδ' ἱκάνει;

add. 1, 7. 4, 643. Il. 10, 204. 19, 302., qui duplici nititur genitivo. Possessivum dualis numeri primae adest Il. 15, 39., singularis 6, 446.

ἀρνύμενος πατρός τε μέγα κλέος ἠδ' ἐμὸν αὐτοῦ.

Horum cognatione tenentur Apoll. Arg. III, 151.

ἴστω νῦν τόδε σεῖο φίλον κάρη ἠδ' ἐμὸν αὐτῆς,

II, 226.

— — — — *ἀλλά κε ῥεῖα*
αὐτὸς ἑὸν λελάθοιμι νόον, δόρποιο μεμηλώς. —

uti Wellauerus Gerardo obsecutus ex scholiorum varietate et cum uno libro scripsit; Flor. enim, ad quam nos perperam remittit, cum reliquis omnibus *ἐμὸν* tenet. Nollem factum, quod usitato et Homeri addicunt auspicia et testes plurimi ac gravissimi ferunt opem, neque ulla fingi potest caussa, cur Apollonius insolitum praeferre maluerit. Secundae adiectivum in hemistichio aliquoties iterato sic iunctum reperimus, vid. Il. 6, 490. Od. 1, 356. 21, 350.

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τά σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε,

add. Od, 14, 185. Haec vero ipsa documento erunt, *αὑτοῦ* et ab eo deducta ne tertiae quidem personae congruere. Sequitur ergo, ut eiusmodi formas e Quinti posthomericis eiiciamus. Si quis autem plura et certiora huius rei testimonia postulaverit, eum adire velim Homerum. Cuius fides ad id, de quo disputo, probandum quum mihi tum aliis, ut spero, satis erit; conferantur ergo Il. 3, 90. 12, 104. 17, 407. Od. 2, 125. 4, 247. 20, 88. 24, 270. Istam vero pronominis appositi rationem optimos quosque grammaticos tenuisse constat, vid. Lehrs. quaest. epic. p. 114. sq.

Ulixis oratione finita Aiax, in adversarii fallaciam atque impudentiam acerbius invectus, eius opera Achillis corpus ab hostium manibus telisque defensum esse se ignorare fatetur V, 292. sq.

ὦ Ὀδυσεῦ δολομῆτα καὶ ἀργαλεώτατε πάντων,

οὐ νύ σ' ἐκεῖσ' ἐνόησα πονεύμενος, οὐδέ τις ἄλλος
Ἀργείων, ὅτε Τρῶες Ἀχιλλέα δῃωθέντα
ἑλκέμεναι μενέαινον· — — —

In his primum altero versus initio negandi particula tenorem, quo fuit insignienda, amisit. Neque idem melius aut aptius institutum videmus v. 560.

ὦ γύναι, οὐ νύ σέ τις δμωὴν ἔτι θήσεται ἄλλος,

VI, 414.

ἆ δειλ', οὐ νύ τοι ἦτορ ἀρηράμενον φρεσὶ πάμπαν —.

At istam rationem falsam vanamque esse tum Homerus tum alii abunde docent; ita in Il. 7, 352. sriptum legimus — — *τῷ οὔ νύ τι κέρδιον ἡμῖν*, vid. 8, 39. 10, 165. 22, 183. 24, 33. 239. 683. Od. 1, 347. 2, 60. Hesiod. scut. Herc. 336. Apoll. Arg. I, 875. II, 333. III, 493. 896. IV, 1342. 1753. 1776. Neque ab isto poetarum usu magistrorum praecepta discrepant, velut Apollon. de coniunct. p. 525, 19. Herodian. de part. enclit. in Bekker. ann. III. p. 1142. sqq. coll. Arcad. de acc. p. 139. sqq. et aliorum. Tantilla vero in re vulgares posthomericorum editiones saepenumero peccant, quemadmodum sibi invicem adversantur I, 731.

οὐδέ νυ σοί τι μέμηλεν ἐνὶ φρεσὶν οὐλομένῃσιν
ἀμφ' ἀρετῆς κλυτὸν ἔργον, — — —

et IX, 17.

Ζεῦ πάτερ, οὐδὲ νύ σοί τι δαϊζομένων ὑπ' Ἀχαιοῖς
μέμβλεται, — — — — —.

Quid quod neutrum horum vero est consentaneum. Itaque vel *οὐδέ νυ σοί τι* vel *οὐδέ νύ σοί τι* exarandum erit. Prius horum eo poterit commendari, quod et Achilles Penthesileae forma obstupefactus virtutis insitae obliviscitur, et Iupiter Troum aeque ac Dardani filii immemor dicitur, atque ea de caussa pronomen singulari quadam vi intendi potest; posterius vero praeferendum esse inde sequitur, quod pronomen, cui minor est gravitas, in eiusmodi sententia tenorem inclinat, vid. III, 123. VII, 189. Neque alia Homeri est consuetudo, ut probant Il. 19, 343. 22, 11., etsi encliticum ipsa forma distinguitur. Quod more usuque in his vetitum crediderim, id cadit in

alium locum ab editoribus pariter depravatum V, 550.

— — — — *οὐδέ νύ σοίπερ*
μέμβλετ' ἐμοῦ καὶ παιδὸς, — — —

ubi Tychsenius accentum ter remisit in vocem praecedentem, Pauwius ac priores peius etiam *οὐδὲ νύ σοιπερ* dederunt. At quum Tecmessam, cuius haec sunt, Aiacis iniuriam querentem eumque sibi et infanti neglectis opponentem inducat poeta, particula accedente pronominis pondus ita augetur, ut ex Homeri ratione *οὐδέ νυ σοίπερ* sit instaurandum, cf. Il. 8, 201. 15, 553. Od. 1, 59., quaeque specie magis quam re differunt Il. 24, 683. Od. 12, 280. Macula, quibus particulam negandi liberavi, alias etiam, ut caussalem *ἐπεὶ*, invasit. Quod raro admodum editores acuto insequentis erexerunt, velut VI, 523. X, 227., in paucis Tychsenius inveteratum vitium amovit, velut V, 186. 447., in longe pluribus diu propagatum reliquit securus, ut III, 246.

Αἶαν ἐπεὶ νύ σε φασὶ μέγ' ἔξοχον ἔμμεναι ἄλλων —

cf. V, 214. VI, 298. XIII, 283. alibi. Id autem ab omnibus auferendum esse Homerus aliique attestantur, vid. Il. 1, 416.

— *ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ, οὔτι μάλα δήν·*

cf. 14, 340. Od. 1, 244. 2, 327. 15, 276. Apoll. Arg. I, 1290. Praeterea et accentus et pronominis corruptela abstergenda est in posthom. II, 339., de quibus dixi in mant. observ. ad Quint. p. 217. Ut *ἐπεί νυ* acutum poscunt, ita *ἐπειή*, quod recentiores veteri ac germano *ἐπεὶ ἦ* substituisse videntur, *νυ* superveniente eandem teneat legem necesse est. Id igitur, socordia priorum depulsa, a Tychsenio subinde restitutum videmus, ut I, 651. III, 78. 477. 481. XIV, 435., sed parum sibi constat, quod patebit comparanti II, 34. et V, 542., quae ad illorum normam exigenda fuisse colligi potest. Personarum confusio II, 339. notata iterum affecit XIV, 568.

δή γάρ τοι νεμέσησεν ὑπέρβιος Ἐννοσίγαιος,

ubi *οἱ*, quod ad Aiacem minorem, Neptuni minis territum, pertinet, cum Rhodomanno scribendum duxerim. Accentum insuper Tychsenius sinistre constituit in loco supra allato IV, 414. *ἆ δειλ', οὔ νυ* —, nam priores vocativum acuebant,

idemque apud Quint. III, 253. VI, 41. in magna singulorum inconstantia verum existimo. Praestantissimis enim magistris, Aristarcho excepto, de eo convenit, vid. ann. ad Il. 5, 104. 16, 837.

Sed ut ad institutum revertamus, non modo particulam accentu notandam, verum etiam adverbii redundantiam apud Quintum circumcidendam putaverim. Epici enim quum *κεῖθεν, κεῖθι, κεῖσε,* ut numeris aptiora, adsciverint, trisyllaba praeter medium, quod in quotidianum *ἐκεῖ* abiit, vel pedestri reliquerunt orationi, vel solis propemodum versuum clausulis illigarunt. Unde Homerus illis affluens, unum huius admisit exemplum Od. 17, 10.

τὸν ξεῖνον δύστηνον ἄγ' ἐς πόλιν, ὄφρ' ἂν ἐκεῖθι
δαῖτα πτωχεύῃ· — — — —

Apud posteriores rarescunt singula, quod nunc *κεῖθι* nunc *κεῖσε* duplici gaudet potestate, et *illic* pariter atque *illuc* significat. Istam vero horum permutationem, Aristarchi industria et acumine ex Homeri carminibus evulsam, ne Zenodotus quidem effugisse perhibetur, vid. ad Il. 11, 528. 23, 461. et Lehrs. de Aristarch. p. 140. sq. E poetis Alexandrinis qui dicuntur Apollonius *κεῖθι* ignorat, dum *κεῖσε* duplici et sua et illius instruit vi, alii vicissim *κεῖθι*, ubi *κεῖσε* legitimum erat, ponunt, cf. Iacobs. in act. Monac. I. p. 294. et ad anthol. Pal. p. 49., Quintus autem Apollonio, ut videtur, adstipulatus vocula *κεῖσε* utrumque complectitur. Ut enim *illuc* denotat IX, 214.

— — — *καὶ Αὐτομέδοντα κέλευσεν*
κεῖσ' ἐλάαν, ὅθι πουλὺς ἐδάμνατο λαὸς Ἀχαιῶν. —

ita nostro loco, cui idem requiro: *οὔ νύ σε κεῖσ' ἐνόησα πονεύμ.,* Aiax se Ulixem *illic* pugnantem animadvertisse pernegat. Scriptoribus formas plenas atque integras magis placuisse Plutarchi, cui *ἐκεῖθεν* et *κἀκεῖθεν*, *ἐκεῖσε* et *κἀκεῖσε* sunt in deliciis, iudicio potest confirmari. Utrique autem sua et propria est vis, nisi quod *ἐκεῖθεν* non semper locum, a quo quid proficiscitur, sed genus etiam et caussam, unde origo alicuius ducitur, significat, veluti in Iul. Caes. vit. LXII, 10. ex editione Schaeferi novissima de Bruti genere sic tradit: *γένος μὲν ἐκεῖθεν εἶναι δοκοῦντα πρὸς πατέρων, καὶ πρὸς*

μητρὸς δ' ἀπὸ Σερβιλίων, in Aristid. XXV, 25. *δῆλον δ' ἐκεῖθεν*, add. compar. Solon. et Puplicol. II, 19. Camill. XXXIX, 28. Alterum libenter iungit praecedenti *δεῦρο* i. e. huc et illuc, ut in Marcell. XV, 6. *πολλάκις δὲ μετέωρος ἐξαρθεῖσα ναῦς ἀπὸ τῆς θαλάσσης δεῦρο κἀκεῖσε περιδινουμένη καὶ κρεμαμένη θέαμα φρικῶδες ἦν*, add. Agesil. XXVI, 10. Demetr. XXVII, 25. Galb. XXVI, 18. Plutarcho consentit Dio Cassius XL, 23. LII, 16., ex quibus LXV, 16. idem reducendum est: *ὁρῶντες γὰρ αὐτὸν δεῦρο κἀκεῖσε* (vulgo *καὶ ἐκεῖσε*) *ἄττοντα*, cf. XXXVIII, 27. et de Diodoro Siculo Wesseling. ad XI, 22. Neque poetis, quorum lumina et flores Plutarchus et alii traduxerunt, id genus dicendi fuit ignotum, etsi vel articulum praefigunt, vel alia alio deflectunt. In mentem incurrunt Apoll. Arg. I, 442.

— — — *ἀπειρέσιοι δ' ἐνὶ μέσσῳ*
κεῖσέ τε δεῦρό τ' ἔασιν ἀνερχομένοισιν ἄεθλοι·

et Sophocl. Trachin. 929. *κἂν ᾧ τὸ κεῖσε δεῦρό τ' ἐξορμώμεθα*, vid. Valckenarium ad Eurip. Phoen. 272. De aliis ut recte statuamus, iudicii opus est acumine. Nam quemadmodum *ἔγγυθεν* aliaque producta, quibus brevior forma vel nulla vel insolita est, motum raro aut nunquam indicant, vid. Lobeck. ad Phryn. p. 128., ita *ἄνωθεν, κάτωθεν* iisque vicina ex illorum numero eximenda putat Schaefer. in appar. crit. ad Demosth. IV. p. 119., cui assentitur Ellendtus lex. Soph. I. p. 178. His admuneranda sunt *ἑκὰς* et *ἕκαθεν*, quorum alterum et *procul* et e *longinquo* indicat; imo fuerunt, qui *τηλόσε* sive *in locum remotum* eo significari dicerent apud Apollonium Arg. I, 216., ubi de Orithyia a Borea rapta sic traditur:

καί μιν ἄγων ἕκαθεν, Σαρπηδονίην ὅθι πέτρην
κλείουσιν, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Ἐργίνοιο, —·

At ibi potius, demonstrativo neglecto, Erechthei filia procul sive longinquo itinere fertur eo abducta, ubi Sarpedoniam rupem esse narrant. Nihil igitur inusitati adverbio immiscuit Apollonius, sibi concors, vid. II, 965. IV, 1103. Pronomine autem demonstrativo facile carebimus, cf. Hom. Il. 3, 145. 4, 210. 5, 780. et alibi.

Lite iam diiudicata Aiax, implacabili in Argivos ira com-

motus, et cibo et somno abstinet, armisque ad tantum dedecus abluendum instruitur V, 352. sqq.

Αἴας δ' Ἀργείοισι χολούμενος, οὔτ' ἄρα δόρπου
μνήσατ' ἐνὶ κλισίῃ μελιηδέος, οὔτε μιν ὕπνος
ἄμφεχεν, ἀλλά γ' ἑοῖσιν ἐν ἔντεσι δύσατο θύων.

Extremis, de quibus varii varie disputarunt, etiam nunc vitium inhaerere videtur. Olim quidem secundae possessivum *ἀλλὰ τεοῖσιν ἐν ἔντ. δ. θ.* adfuit; huic obnunciavit Rhodomannus vel *ἑοῖσιν* vel *θοοῖσιν* emendaturus. Neque ipse pronomen sincerum putaverim, quanquam eorum usum ulterius, quam vulgo credebant, prolatum esse hodie scimus. Verum recte quidem tertiae proprium *ἑός* ad alias applicant personas, de quo post Brunckium ad Apoll. Arg. III, 226. praeceperunt plurimi, vid. Matth. gr. gr. §. 489. 1. Gerard. lect. Apoll. p. 93. sq. Voss. ad h. in Cer. 135. Maxim. Schmidt. de pron. p. 20., sed ne huius quidem rei limites accurate descriptos video. Pronomen enim plerumque definitur suaeque adstringitur personae verbo accedente; Quintus ergo eadem fere, quae Apollonii erat, licentia evagatus primae pluralis id adiecit II, 28.

μή νύ τι δειμαίνοντες ἑῆς χαζώμεθα πάτρης,

add. ib., 49. sq. XIII, 344. Singularis eiusdem conspicitur VIII, 440.

— ἣν μὴ ἔγωγε μετ' ὄμμασιν οἷσιν ἴδωμαι· —

Tum secundae et singularis et pluralis deprehenduntur; ille quidem XIII, 506.

μή νύ με, κύδιμα τέκνα φιλοπτολέμων Ἀργείων,
δήϊον ὥς ἐρύοντες, ἑὰς ἐπὶ νῆας ἄγεσθε·

hic vero IX, 18.

— ἀλλ' ἄρα καὶ σὺ λελασμένος υἷος ἑοῖο
Δαρδάνου ἀντιθέοιο μέγ' Ἀργείοισιν ἀρήγεις.

Itaque vitioso *τεὸν* ib., v. 55. Rhodomannus Scaliger et Casaubonus, vid. Dorvill. vann. crit. 355., *ἑὸν* commode substituerunt. At idem cur obtineat VII, 305.

δείδιε δ' ἐν φρεσὶν ᾗσιν ἰσημερίην ἀλεγεινήν,

nulla sane est caussa. Repetam igitur, quod elapsum est, *φρεσὶ σῇσιν* ex I, 726. X, 294. XI, 491. Neque I, 466., qui minime huc pertinet, Vossio erat afferendus. Sicut autem

libenter damus, *ἑός* tribus personis aptum haberi, ita *σός* et *τεός* secundae soli idonea sunt, cf. VII, 272. XIII, 234. III, 445. VII, 194. XII, 77. III, 109. VIII, 431. II, 446. VI, 423. VII, 185. alibi. Ex hisce igitur corruptelam illic subesse portenditur. Iam prior Rhodomanni coniectura displicet Pauwio dubitanti, num satis exasciatum sit *ἐν ἔντεσι δύειν*, quod verbum quartum plerumque assumat casum. Monitorem autem illum parum vidisse discimus ex IX, 68.

Ἀργεῖοι δ' ἄρα δῦσαν ἐν ἔντεσι· — —

add. mant. observ. ad Quint. p. 233. Nec melius opera Pauwio cessit; nam in quod ipse incidit: *ἀλλά ἑ οἷσιν ἐ. ἐ. δ. θ.*, id omnium pessimum iudicaverim, quum verbo contineatur illud ipsum, quod emendando erat illaturus. Tychsenius suum e libro Ven. petiit, sed particulae, qua quid significetur vix dicas, offensus abundantia nuper in horreo Zimmermanniano a. 1836. p. 1231. *ἀλλ' ἄρ' ἑοῖσιν ἐν ἐ. δ. θ.* legendum proposuit Bonitius. Mihi neque huic neque ulli alii particulae locus relictus esse videtur. Itaque pronomen, quod Veneti scripturae proximum est, excidisse et turbas istas, quas supra commemoravi, peperisse censeo. Eo vero revocato, nihil sive ad elegantiam sive ad integritatem desiderabitur; scribo igitur:

ἀλλ' ὅγ' ἑοῖσιν ἐν ἔντεσι δύσατο θύων.

Pronomen autem illud, ubi eo minus opus est, cum vi quadam ac gravitate aut repeti aut adiici nemo ignorat, sic ipse Quintus paullo post v. 355.

εἵλετο δὲ ξίφος ὀξὺ καὶ ἄσπετα πορφύρεσκεν,
ἢ ὅγ' ἐνιπρήσῃ νῆας καὶ πάντας ὀλέσσῃ —.

Adversativae autem praemissae subiectum habemus X, 216.

ἀλλ' ὅγε γυμνὸς ἐὼν ἀνεχάζετο· — —

add. insuper VII, 104. VIII, 329., aliaque forma disiuncta, re arcte cognata II, 36. IV, 365. VII, 156. IX, 215. XIV, 480.

Aiax ariete caeso Ulixem, sibi inimicissimum, postratum credit, et in eius contumeliam V, 441. sqq. iactat haec:

κεῖσό νυν ἐν κονίῃσι κυνῶν βόσις ἠδ' οἰωνῶν·
οὐ γάρ σ' οὔτ' Ἀχιλῆος ἐρύσσατο κύδιμα τεύχη,
ὧν ἕνεκ' ἀφραδέων μέγ' ἀμείνονι δηριάασκες·
κεῖσο, κύων· — — — —

Nomen ultimum brevem sibi repetere vocalem et observando discimus, vid. ad Il. 22, 345., et Struvius I. p. 6. iam admonuit. Neque ea de re mentionem fecissem, nisi aliis, velut Nestoris ac Machaonis nominibus, idem resideret error, huius quidem II, 127. 320., illius XII, 275. Neutrum tolerandum erat, alterum enim poeta ipse coarguit II, 431., alterum Homeri sermo refellit, vid. Il. 10, 87. 220. 555. 11, 511. 14, 42. 65. Od. 3, 79. 202. 247., neque a vero abest liber praestantissimus Monac. II, 127. In iis, quae paullo ante leguntur, adverbia negandi suspecta habeo. Aiax enim quum ne Achillis quidem armis Ulixem servatum dicat, pro epicorum more *οὐδὲ* ponendum erat, sicut loqui solet Quintus alibi, vid. IV, 473. sq.

— — — — οὐ γὰρ ἔφαντο
κεῖνον ὑπερβαλέειν οὐδὲ πτερόεντι βελέμνῳ·

add. III, 55. 226. Eodem modo vel *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ*, cf. I, 585. VII, 272. X, 355. XIV, 98., vel *οὐ μὴν οὐδὲ*, ut VII, 595. XIII, 400. XIV, 639. sibi obstant. Hac igitur ratione impulsus scripserim illic *οὐ γάρ σ' οὐδ' Ἀχ. ἑ. κ. τ.* Lege pari *οὔτε — οὐδὲ* sibi invicem opponuntur IX, 55.

νῦν δ' οὔτ' ἄρ σύγ' ἐσεῖδες ἑὸν τέκος, οὐδέ σ' ἐγώ περ —

ubi Neoptolemus de immatura patris morte conquestus patrem nec filium, nedum ipsum patrem adspexisse dicit. Similia horum sunt XIV, 432. 68. XI, 371., etsi posteriora duo ab illis aliquanto distant, et *οὔτε — οὔτε* aptiora censeri possunt. Ea enim vel nulla negatione praecedente vel duobus sibi obiectis simpliciter legitima sunt, vid. II, 297. V, 201. 352. 544. 584. VI, 599. cll. I, 421. II, 159. III, 115. 562. VI, 91. VII, 205. alibi. Hinc recte opinor *οὐδὲ* removendum erat V, 459. VI, 74., de quibus dixi p. 13. Neque ab istis admodum aliena sunt XIII, 396. sq.

— — τὸ μὲν οὔτι θοαὶ Βορέαο θύελλαι
ἐσσύμεναι κλονέουσι δι' ἠέρος οὔτε Νότοιο.

Quibus ut restituamus *οὔτε — οὔτε*, observata ac notata suadent; pari enim vehementia Boreae Notique procellae irruunt.

Telamonius, iam morti propinquus, Achivis sui despectum et Ulixis honorem, quo victor ex certamine discesserat, obiicit V, 478. sqq.

— οὐ γὰρ ἔτ' ἐσθλὸς ἔχει γέρας, ἀλλὰ χερείων
τιμήεις τε πέλει καὶ φίλτερος· ἦ γὰρ Ὀδυσσεὺς
τίετ' ἐν Ἀργείοισιν, ἐμεῦ δ' ἐπὶ πάγχυ λάθοντο
ἔργων ὁππόσ' ἔρεξα καὶ ἔτλην εἵνεκα λαῶν.

Priora proxime accedunt ad Apoll. Arg. IV, 1143. *τιμήεις τε γάμος καὶ ἀοίδιμος* et ad Dionys. Perieg. 1153. *χῶρος τιμήεις τε καὶ ἱερὸς*, unde alium poetam ex alio profecisse, de quo viri docti ad Apoll. l. l. dubitarunt, veri simillimum videbitur. Postea olim ferebatur *ἀπόπαγχυ*, quod, Quinti et epicorum admonitus consuetudine, mutavit Tychsenius. Interpres ea vertit: „*meorum vero prorsus obliti sunt facinorum, quae gessi pro popularibus et toleravi.*“ Iunxit ergo *ἔργων ἐμεῦ*, sed id nec grammaticis rationibus neque aptae singulorum compagi expedire crediderim. Nam Ulixi non modo Aiacis fortitudo, verum etiam Aiax ipse melius respondebit, quod Telamonis filius aegre fert illius fallaciam suae virtuti praelatam esse ab Achivis ingratis. Facillime autem id, cuius desiderio tenemur, emendando poterit adiici, dummodo legeris:

— — ἐμεῦ δ' ἐπὶ πάγχυ λάθοντο
ἔργων θ', ὁππόσ' ἐρέξα καὶ ἔτλην εἵνεκα λαῶν.

Quo clarius appareat, Aiacem invidiae in Ulixem plenum ita iudicare.

Teucer fratris caedem, mortuo advolutus, V, 509. sqq. deplorat ita:

Αἶαν καρτερόθυμε, τίη νύ τοι ἔβλαβεν ἦτορ,
οἷ αὐτῷ στονόεντα φόνον καὶ πῆμα βαλέσθαι;
ἦ ἵνα Τρώϊοι υἷες ὀϊζύος ἀμπνεύσωσιν,
Ἀργείους δ' ὀλέσωσι σέθεν κταμένοιο κιόντες;
οὐ γὰρ τοῖςδ' ἔτι θάρσος, ὅσον πάρος ὀλλυμένοισιν
ἔσσεται ἐν πολέμῳ· σὺ γὰρ ἔπλεο πήματος ἄλκαρ.

Aoristum secundum activi, epicis ignotum, Bonitius l. l. passivo *ἐβλάβη* commutari iussit; deinde proxima laborant tenoris pravitate. Nam ubi recordatus fueris, Aiacem sibimet ipsi

manus intulisse, e noto veterum praecepto, vid. ad Il. 15, 226. Hermann. in opusc. I. p. 322. sq. et Lehrs. quaestion. ep. p. 115. sqq. *οἵ αὐτῷ* efferendum fuisse perspicies. Neque in aliis, quibus vel idem convenit, vel duo aperte distinguuntur, res aliter erat instituenda, cf. I, 627. V, 273. X, 397. Itaque accentus temere evanuit apud Tychsenium et hoc in versu et I, 375., ubi de Troiano quodam Penthesileae fortitudine et successu intumescente et certam Achivorum perniciem animo praesagiente ac praedicente loquitur poeta:

νήπιος· οὐδ' ἄρ' ἐφράσσατ' ἐπεσσύμενον βαρὺ πῆμα
οἵ αὐτῷ καὶ Τρωσὶ καὶ αὐτῇ Πενθεσιλείῃ.

Eiusdem coloris sunt X, 392. 473. In quibus omnibus, si ab uno et eo medio discesseris exemplo Rhodomannus ac priores nobis assentiuntur. Nec diversa ratio est V, 533., ubi Tecmessa de Aiacis caede simillima pronuntiat:

ὤ μοι ἐγὼ δύστηνος, ἐπεὶ θάνες οὔτι δαϊχθεὶς
δυσμενέων παλάμῃσιν ἀνὰ μόθον, ἀλλά οἵ αὐτῷ.

Verum illic ne tertia quidem persona adeo placet, ut eam ab omni corruptela habeam immunem. Haud scio, an altera, quae rei longe aptior videtur, melius reducatur, accentu etiam imposito, *ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ*, vid. V, 273. XIV, 295., quorum ad normam iusuper exegerim X, 397. Secus iudicare possis de I, 127.

ὅππως μιν λεύσσουσα, κακὸν Τρώεσσι γένηται
οἵ τ' αὐτῇ, μεμαυῖα ποτὶ πτολέμοιο φάλαγγας.

Ea enim conspirant cum Il. 5, 63. sq.

ἀρχεκάκους, οἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο
οἷ τ' αὐτῷ· — — — —

de quorum et tenore et origine dubitarunt, vid. Schol. Ven. At ista nihil valent ad Quintum, qui, ut bene animadvertit Pauwius, haec de sola accepit Penthesilea, nec prisco ac vero *οἷ τ' αὐτῇ* obnituntur antiquiores. His cognatam habeo Nestoris orationem, qua Neoptolemum collaudat XII, 284.

οὕνεχ' ὑπέσχετο πρῶτος ἐς εὐρέα δύμεναι ἵππον
αὐτὸς, μὶν δὲ κέλευε γεραίτερον ἔκτοθι μίμνειν.

Insolentius enim alter horum pars a pronomine orditur enclitico. Quare commate inter utrumque versum interiecto legerim: *αὐτόν μιν δὲ κέλ.* Adversativa autem, quum priora duo in unum fere coeant, tertio adiecta loco nihil molestiae habet, vid. V, 12. VI, 492. 480.

ἀμφ' αὐτοῖσι δὲ Πᾶνες ὁμῶς Νυμφαί τ' ἐρατειναὶ,

et alia; neque ignorat similia nostris Homerus, cf. Il. 11, 117. Ut pronomen, ita interrogativa, quae versui insequenti praemittitur, sibi expetit circumflexum ea de caussa, qua inductus tenorem eum in Hom. Il. 1, 203.

ἦ ἵνα ὕβριν ἴδῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο;

non praeter aliorum assensum revocandum putavi. Denique v. 513. pronomen demonstrativum cum Achivis conflandum esse apparet, ac proinde Pauwius rectius Rhodomanno et Tychsenio, qui constringenda distraxerunt, *τοῖσδ' ἔτι* curavit edendum.

Tecmessa, Aiacis fortunam pariter lamentata, suis V, 558. hunc finem imponit:

καὶ δέ με δειλαίην τάχα δούλιον ἵξεται ἦμαρ,
οἰχομένου σέο πρόσθεν, ὅ μοι, θεὸς ὣς, ἐτέτευξο.

Nimiam vero litterarum redundantiam compesci iubet Homer. Il. 12, 164.

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ σὺ φιλοψευδὴς ἐτέτυξο —

add. 8, 163. 16, 622.

Calchas, ad Troiam expugnandam Neoptolemi adventu et auxilio opus esse Achivis vaticinaturus, eos VI, 59. pro more epicorum compellat:

κέκλυτε μεῦ φίλα τέκνα φιλοπτολέμων Ἀργείων· —

Cui quidem alloquio et accentus male adhaerescit, e pronomine in imperativum transferendus, et virgula, quae vocativum a prioribus secernat, negligenter detracta est. Plena exemplorum sunt quum Homeri carmina, tum referti Quinti libri, inspice modo Il. 3, 86. 304. 456. 7, 67. 348. 368. 8, 5. 19, 101. et posth. VI, 9. XIV, 235. VIII, 15. sq.

κέκλυτέ μευ θεράποντες, ἀρήϊον ἐν φρεσὶ θέντες
θυμὸν, ἵν' Ἀργείοισιν ἄκος πολέμου ἀλεγεινοῦ,
δυσμενέεσσι δὲ πῆμα γενώμεθα· — —

Iternm laborat horum distinctio. Virgula enim ante *θεράποντες* facta, reliqua una comprehensione devinciantur oportet. Quo instituto difficultas e participio suborta non tollitur quidem, at minuitur certe. Ea interpres latinus nihil motus graeca vertit: „*audite me clientes, Mavortio pectoribus animo indito.*“ In unum vero contracta melius interpretabere: *audite me, socii Martio animo pectoribus iniecto.* Nihilominus verbi finiti desiderium residet, idque Homeri sermone potest commendari, velut Il. 15, 561. 661. — *καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ* — et 13, 121.

— — ἀλλ' ἐν φρεσὶ θέσθε ἕκαστος
αἰδῶ καὶ νέμεσιν· — — —

Neque ab hac ratione Quintus abhorret, vid. inter alia IX, 85.

ὦ φίλοι, εἰ δ' ἄγε θυμὸν ἀρήϊον ἐν φρεσὶ θέσθε —.

Quibus nostra possis accommodare scribendo:

κέκλυτέ μευ, θεράποντες, ἀρήϊον ἐν φρεσὶ θέσθε
Θυμὸν — — — — —.

Sed de his, quod particula caussalis arctius copulari potest cum imperativo, iudicium ampliandum duxerim. Ista vero in mentem revocant alium locum, de quo Rhodomannus et Pauwius egerunt, nec tamen ab omni parte sanatum nobis transmiserunt. Legitur ille III, 298. sq.

κτεῖνε δὲ Πεισανδρόν τε θοὸν καὶ Ἀρήϊον υἷα
Μαινάλου, ὃς ναίεσκε περίκλυτον οὖδας Ἀβύδου.

Olim *κτεῖναι δὲ* et *Μέναλον* obtinuit, Rhodomannus, priore bene emendato, posteriori *Μαίναλον* substituit, et Pisandrum celerem ac Maenalum, fortem eius filium, ab Ulixe caesos putavit. Pauwius unum dumtaxat ab Ulixe interfectum esse recte intellexit e versu proximo:

τῷ δ' ἐπὶ δῖον ἔπεφνεν Ἀτύμνιον — —.

Qua impulsus caussa *Μαινάλου* correxit, Pisandrum eius filium esse ratus. Exin Tychsenius genitivum quidem recepit, sed *Ἀρήϊον* non mutavit; ita ut Pisandrum celerem et Arcium Maenali filium ab Ulixe, ut videtur, interemptos crederet. Sicut autem genitivum non modo libri reposcunt, verum etiam poetae ipsius sermo confirmat, vid. XI, 37., ita Pisandrum,

Maenali filium, celerem ac fortem, ab Ulixe solum caesum dici vel inde probari poterit, quod *ἀρήϊος* proprii munere nunquam fungitur. Penthesilea quidem, ut Marte nata, vel ipsa sic appellatur, vel eius generis esse fertur I, 545. 560., at longe crebrius nil nisi fortem Martique similem sive bellicosum indicat *ἀρήϊος*, vid. I, 27. 458. II, 100. 311. III, 287. V, 179. 232. VIII, 15. IX, 85. 459. XII, 34. Aptissime porro nostris compones I, 772.

Οἰνεὺς δ' υἱέα γείνατ' ἀρήϊον ἐν Δαναοῖσι
Τυδέα· — — — — —

add. III, 623. sq. VI, 83. Neque alterum caret testimonio, siquidem legimus de Neoptolemo III, 754.

— — — — ὄφρ' Ἀχιλῆος
ἔλθοι ἀπὸ Σκύροιο θοὸς πάϊς· — —

Maenali sive eiusdem sive alius filius Hippomedon eodem leto a Neoptolemo ictus perit XI, 37. sqq.

εἷλε δ' ἄρ' Ἰφιτίωνα καὶ Ἱππομέδοντα δάμασσε
Μαινάλου ὄβριμον υἷα, τὸν Ὠκυρόη τέκε Νύμφη
Σαγγαρίου ποταμοῖο παρὰ ῥόον· οὐδέ νυ τόνγε
δέξατο νοστήσαντα· — — —

Quorum novissima passim iterata ad Homeri similitudinem expressit Quintus, vid. Il. 18, 60. 238. 330. 440. Accentum a Tychsenio Maenali nomini perverse appictum omnes omnino emendant.

Diomede et Ulixe ad Neoptolemum arcessendum profectis, Troiani bellum apparant studiosius VI, 116. sq.

Τρῶες δ' ἄστεος ἐντὸς ἀταρβέες ἐντύοντο
ἐς πόλεμον μεμαῶτες, — — —.

At *ἐντύω* paenultimam semper corripit, numeris igitur adversatur nostrum, vid. libr. de pros. gr. §. 52, 5. b. Quare si brevi opus est syllaba, eo utuntur epici, ut Quint. ipse IV, 101. — *μόρον ἔντυε δαιμὼν*, sin longam requirit versus, omnes, quot equidem novi, consonam inserunt. Homerus plerumque *ἀοιδὴν* sive *δαῖτα ἐντύειν* et *ἐντύνεσθαι* dixit, nec crebrius eo quidquam invenitur apud illum, alii ad alia nomina traduxerunt verbum. Ac Quintus quidem cum poeta facit XII, 574.

XIII, 128., ad belli vel insidias vel apparatum idem adhibet XII, 234. XI, 360. et IX, 114.

ὥς φάτο, τοὶ δ' ἐς Ἄρηα μεμαότες ἐντύναντο
ἐσσυμένως, — — — —.

Cui ac praecedenti Wernickius ad Tryphiod. p. 350. imperfectum, et sententiarum nexu et aliis Quinti locis adiutum, repetit. Ut vero milites ad pugnam ineundam sese accingunt, sic naves ad iter faciendum armamentis instruuntur. Testis iam est Apollonius Arg. I, 235.

ὅσσαπερ ἐντύνονται ἐπαρτέες ἔνδοθι νῆες.

Idem commodum erit nautis iter ingredientibus, de quibus agit Quintus XIII, 29.

— — — — οἱ δ' ἐσιδόντες
ἐκ Τενέδου νήεσσιν ἐπὶ πλόον ἐντύνοντο.

XIV, 346.

ὥς φάτ' ἐελδομένοις· οἱ δ' ἐς πλόον ἐντύνοντο.

Vela autem navibus aptantur ib., 405.

ἄλλοτε δ' ἱστία νηυσί μεμαότες ἐντύνοντο
ἐσσυμένως· — — — —.

Apparet igitur haec respondere homericis *ἱστία* sive *ἱστὸν στῆσαι, ἐντιθέναι* aliisque similibus, e lexicis satis cognitis. Bene igitur, ut videtur, VII, 371.

εὗρον ἔπειτ' ἐλατῆρας ἐΰξόου ἔνδοθι νηὸς
ἱστία τ' ἐντείνοντας, ἐπειγομένους τ' ἀνὰ νῆα —

Rhodomannus correxit *ἐντύνοντας*, iniuste eam ob rem a Dausqueo vituperatus. Modestius iudicavit Pauwius, verum *ἐκτείνοντας*, quod ipsi placuit, et longe deterius est Rhodomanni invento, neque idonea est interpretatio, qua vulgatum reddunt: „*carbasa explicantes.*“ Id enim ab eius potestate abesse fugiet neminem.

De Eurypyli, Troianorum socii, genere Quint. VI, 135. sqq. exponit hisce:

τὸν γὰρ δὴ τέκε δῖα κασιγνήτη Πριάμοιο
Ἀστυόχη, κρατερῇσιν ὑπ' ἀγκοίνῃσι μιγεῖσα
Τηλέφου, — — — —.

Hic tametsi plerique nihil fraudis senserunt, Astyocha tamen

fortibus Telephi brachiis conserta, quemadmodum vulgo intelligunt graeca, non potest non displicere. Apte quidem *μιγῆναί τινι, μιγῆναι φιλότητι καὶ εὐνῇ* sive *ἐν φιλότητι, ἐν λεχέεσσι*, quorum plurima exstant documenta, ab Homero inde omnes omnino coniunxerunt epici, vid. Apoll. IV, 1115. 1164. 1495. 1737. Neque Quinto desunt, quibus ille usus comprobatur, vid. I, 293.

τὸν τέκε δῖα Νέαιρα περίφρονι Θειοδάμαντι
μιχθεῖσ' ἐν λεχέεσσιν ὑπαὶ Σιπύλῳ νιφόεντι,

add. III, 621. X, 287., ubi Paris optat, ut priusquam Helena esset potitus, in Oenonae amplexibus occubuisset:

— — ἄγον δέ με Κῆρες ἄφυκτοι
εἰς Ἑλένην, ἧς εἴθε πάρος λεχέεσσι μιγῆναι
σῇσιν ἐν ἀγκοίνῃσι θανὼν ἀπὸ θυμὸν ὄλεσσα.

At sunt homerica quaedam, quibus *ὑπ' ἀγκοινῇσι μιγῆναι* forsitan possis tueri. Etenim ille non modo *ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαύειν*, quo rei plus decoris afferret, in Il. 14, 213. Od. 11. 261. conflavit, verum etiam de Alcmena ib., 267. sq. scripsit:

ἥ ῥ' Ἡρακλῆα θρασυμέμνονα, θυμολέοντα
γείνατ' ἐν ἀγκοίνῃσι Διὸς μεγάλοιο μιγεῖσα· —

Sed ne isto quidem, de quo Eustath. p. 1683, 12. dixit, nostrum satis munitum crediderim, praepositione ad verbum parum congruente et apta. Emendandi autem viam poeta monstrat ipse V, 526., ubi de Tecmessa, Aiacis coniuge, similia simiter refert:

ἡ δέ οἱ ἀκαμάτῃσιν ὑπ' ἀγκοίνῃσι δαμεῖσα
Εὐρυσάκην τέκεθ' υἱόν, ἐοικότα πάντα τοκῆϊ.

Coniecturam ergo licet capere, ad nostrum locum idem esse transfundendum, praesertim quum *ὑπό τινι δαμῆναι* aliaque eius generis ad connubia saepissime adducta videamus. Quod et aliis cognitum est, et in Quinti libris aliquoties obvenit. Ab eo autem, de quo hic agitur, non multum absunt XIV, 13.

τὰς δ' ἄρ' ὑπ' αἰζηοῖσι νέον φιλότητι δαμείσας·

VIII, 98.

— — — ἵν' Ἀγχίσαο πέλονται
εὐναί, ὅπου Κυθέρειαν ἐν ἀγκοίνῃσι δάμασσεν.

Add. III, 613. VIII, 121. X, 337.

Herculis labores Eurypyli clypeo insculptos copiosius illustravit Quintus VI, 198. sqq. Laudabili autem virorum doctorum studio iam eo res pervenit, ut menda plurima, quae illis insident, vel sublata sint vel certe patefacta. Itaque paucis, quae nobis sunt relicta, breviter defungamur. Horum in numero pono ea, quae de cerva, aureis cornibus insigni, longos post errores ab Hercule capta v. 225. sqq. traduntur:

καὶ τὴν μὲν χρυσοῖο κεράατος ὄβριμος ἥρως
ἄμφεχεν, οὐλομένοιο πυρὸς πνείουσαν ἀϋτμήν.

Fabula satis nota: dicitur enim Taygeta, Atlantis filia, ut Iovis insidias effugeret, a Diana in cervam mutata, humana forma restituta, feram illam, auro et epigrammate inscripto decoram, deae consecrasse, Eurystheus vero istam, summa pedum velocitate excellentem, venari iussit Herculem. Tribus haec versibus complectitur Tzetza in Chiliad. hist. II, 265. sqq.

ἔλαφον τὴν χρυσόκερων τρίτον ποσὶ κατέσχεν,
ἣν ἱερὰν Ἀρτέμιδος ἀφῆκε Ταΰγέτη
χρυσῷ καὶ ἐπιγράμματι κοσμήσασα κεραίας.

Uberiora suppeditant quum alii tum Pindarus Olymp. III, 50. sqq., ad quem multa congesserunt interpretes veteres pariter ac recentiores. Eximiam vero cornuum amplitudinem, praeter naturam isti concessam, praedicant poetae; ita cerva *ὑψίκερως* audit in epigr. apud Tzetzam Chil. II, 494., pro quo *χρυσόκερως*, quemadmodum vulgo appellatur, in eodem legitur carmine, in anthol. Planud. IV, 92. obvio, cf. Iacobs. animadv. ad anthol. gr. X. p. 333. et ad anth. Pal. p. 849. Quemadmodum autem Hercules cervam cornu abstraxisse perhibetur a Quinto, similiter candem venandi artem heroi dat poeta incertus in epigrammate anthol. Plan. IV, 96., apud Iacobs. V, 653.

ὧν ὁ μὲν ἰξύϊ θηρὸς ἐπεμβεβαὼς γόνυ βρίθει,
εὐπτόρθων παλάμαις δραξάμενος κεράων·

vid. Iacobs. ad anthol. Pal. l. all. et animadv. ad anth. gr. XII. p. 38. Iam ex his discimus, Herculem cervae cornu manibus apprehendisse. Neque aliter Quinti verba intellexit latinus interpres, dum scribit: „*et hanc aureo cornu heros*

fortis tenebat." Sed nulla adiectivi vestigia apparent in graecis, nec discrepantiae quid video enotatum. Facillima tamen opera, quod exspectandum erat, reparabitur Quinto. Attulit enim horum integritati damnum vitium, e quotidiano sermone arreptum et vulgaribus Homeri libris tum scriptis tum editis sexcenties obtrusum. Oportet igitur legamus:

καὶ τὴν μὲν χ ρ υ σ έ ο ι ο κεράατος ὄβριμος ἥρως.

Qua synaloepha, in epicorum monumentis creberrima, ne Quintus quidem abstinuit, vid. I, 143.

κνημῖδας χρυσέας, οἵ οἱ ἔσαν εὖ ἀραρυῖαι·

V, 655.

— — — — *ὀστέα δ' αὐτοῦ*
χηλῷ ἔνι χρυσέῃ θῆκαν· — —

add. I, 151. IV, 139. XIV, 333.

Post cervam divino Herculis robore domitam aves Stymphalides sagittis partim stratae partim in fugam deiectae commemorantur VI, 227. sqq.

ἀμφὶ δ' ἄρα στυγεραὶ Στυμφαλίδες· αἱ μὲν ὀϊστοῖς
βλήμεναι ἐν κονίῃσιν ἀπέπνεον, αἱ δ' ἔτι φύζης
μνωόμεναι πολιοῖο δι' ἠέρος ἐσσεύοντο.

Horum exordio Pauwius *ἄγχι* in praepositionis sedem opinatur recipiendum. Id Rhodomanno debet, voculam istam v. 245. repetenti. Neque ignoro huic iudicio patrocinari alia, cf. v. 212. 240. Sed poeta alias alia orationis colligatione ad singulas imagines, in Eurypyli scuto impressas, sibi munit aditum. Elegit enim v. 236. *ἀπόπροθι*, v. 268. *ἀπόπροθεν*, porro v. 220. *ἑξείης*, v. 283. *Νέσσον δ' αὖθ' ἑτ.* adiunxit, nec semel *ἐν μὲν*, *ἐν δὲ*, quas et rei accommodatissimas et iam Homeri proprias scimus, iteravit, vid. 200. 208. 232. 249. 260. Eandem dicendi varietatem in iis simulacris, quae Achillis clypeo infixa narrantur, Quintus est sectatus. Nullam igitur corrigendi necessitatem nobis video impositam.

Deinde Rhodomannus nomen avium, multorum ore celebratum, quae olim numeris repugnantibus *Στυμφελίδες* appellabantur, communi adaptavit. Urbs Arcadiae *Στύμφηλος* sive *Στύμφαλος*, a qua illi ducunt originem, iam Homero fuit cognita,

vid. Il. 2, 608.

Στύμφηλόν τ' εἶχον καὶ Παῤῥασίην ἐνέμοντο.

Ad quem versum Eustath. p. 302, 8. sqq. sic disserit: *Στύμφηλος δὲ καὶ διὰ τοῦ α τὰ πλείω λέγεται Στύμφαλος· προάγεται δὲ καὶ ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς. ἔστι δὲ οὐ μόνον πόλις Ἀρκαδικὴ, ἀλλὰ καὶ πεδίον ὁμώνυμον καὶ πηγή· ὧν ἐθνικὸν Στυμφάλιος, ἐξ οὗ καὶ Στυμφαλία Ἄρτεμις καὶ λίμνη καὶ γυνή. ὅθεν Στράβων μέμνηται καὶ αὐτὸς λίμνης Στυμφαλίδος, λέγων καὶ ὅτι ἐνταῦθα τὰς ὄρνις μυθολογοῦσι, τὰς ὑπὸ Ἡρακλέους τοξεύμασι καὶ τυμπάνοις ἐξελαθείσας· ὅπερ τοῖς μεγάλοις ἄθλοις προσελογίσθη τοῦ ἥρωος.* Apud Strabonem autem lacus eius bis facta est mentio, VIII, 389. et 371. ex ed. Casaub. Horum priora respexit Eustathius, scribit enim geographus: *ἄλλος δὲ ποταμὸς Ἐρασῖνος ἐν τῇ Ἀργείᾳ ἐστίν· οὗτος δὲ τὰς ἀρχὰς ἐκ Στυμφάλου τῆς Ἀρκαδίας λαμβάνει, καὶ τῆς ἐκεῖ λίμνης καλουμένης Στυμφαλίδος, ἐν ᾗ τὰς ὄρνις μυθολογοῦσι τὰς ὑπὸ τοῦ Ἡρακλέους τοξεύμασι καὶ τυμπάνοις ἐξελαθείσας, καὶ αὐτὰς καλοῦσι Στυμφαλίδας.* Cum Eustathio consentit fere Steph. Byz. p. 682. *Στύμφηλος, πόλις Ἀρκαδίας καὶ πεδίον ὁμώνυμον καὶ πηγή· ἡ πόλις ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς. τὸ ἐθνικὸν Στυμφάλιος καὶ Στυμφαλία Ἄρτεμις καὶ λίμνη καὶ γυνή.* Accuratius et plenius utroque Stymphali monumenta collegit et recensuit Pausanias VIII, 22. Stymphalia vero *γυνὴ*, utrum commune mulierum, quae ibi natae fuerunt, sit cognomen, an heroinae cuidam certae tribuendum, minus liquet; nisi de Metopa Stymphalide sive Stymphalia, Pindaro in Olymp. VI, 144. laudata, aliquid suspicari libuerit, etsi Muellerus eum lacum fuisse censet de Dor. II. p. 439.; plura dant Pindari interpretes et veteres et recentiores. Sequitur ergo fontem ac lacum ab urbe *Στυμφαλίαν* sive *Στυμφηλίην* vocitari, cf. Herod. VI, 76. Eandem vero forma paullulum immutata, sicut Pindarus mulierem Stymphalida novit, nominari *Στυμφαλίδα* et per se credibile est, et Strabonis aliorumque assensu comprobatur, vid. Diodor. Sic. IV, 13., Apollod. II, 5, 6. et Schol. Flor. ad Apoll. Arg. II, 1054. sqq. Quorum disputationem Eustathii verbis aut interiectis aut adiunctis in sua retulerunt

horrea Eudocia violar. p. 378. sq. et Phavor. p. 674. c. Tum ab horum partibus stat Tzetza Chiliad. histor. II, 291. sq., qui de eodem Herculis labore haec habet:

ἕκτον κροτάλῳ τε χαλκῷ καὶ τόξοις ὄρνις κτείνει
τὰς τοξευούσας τοῖς πτεροῖς ἐν Στυμφαλίδι λίμνῃ.

Itaque Wellauerum ad Apoll. Arg. II, 1053. nimia acerbitate Brunckium, quod adiectivum illud ab avibus seiunctum, ionica insuper littera revocata, cum lacu contexuerit, duplicis erroris accusasse existimaverim. Nam quum in vulgaribus libris haec ita scriberentur:

οὐδὲ γὰρ Ἡρακλέης, ὁπότ' ἤλυθε Ἀρκαδίηνδε,
πλωΐδας ὄρνιθας Στυμφαλίδας ἔσθενε λίμνης
ὤσασθαι τόξοισι, — — —

editor Argentoratensis *πλωάδας* et *Στυμφηλίδος* adoptavit. Horum alterum ex Etym. M. p. 731, 40. erutum Ernestus ad Hom. epigr. IX. et Ruhnkenius in ep. crit. II. p. 211. verum habuerunt, alterum, Homero duce in dialecti gratiam receptum ab avibus ad lacum transtulit, ut utrique suum esset attributum, nec Beckius dissensit. At priori obiici poterit, aliam eius stirpis formam *πλωῒς* fuisse, sicuti *δμὼς δμωῒς*, vid. Lobeck. paralipom. p. 87., aliam *πλωὰς*, ab etymologis servatam, dum illi Apollonii et libri et interpretes adsint, quibuscum Eudocia et Phavorinus faciant. Unde *πλωΐδας* de communi tot testium sententia Apollonio relinquendas esse efficitur. Sed lacum *Στυμφαλίην* potius quam *Στυμφαλίδα* fuisse nominandum citius quam consideratius Wellauerus statuisse videbitur. Eam enim opinionem exempla, quae supra attuli, satis coarguunt, neque illorum pars latuit censorem, etsi nos perperam remittit ad Strabonem, qui, quemadmodum vidimus, tenet contrarium. Nec plus fructus capi potest e scholiis Apollonii Parisinis, quorum *λίμνη Στυμφήλη* sive *Σταμφήλη* ex mero prognata est errore. Iacet igitur, quocunque se verterit, adversarii sollertia, neque ambigendum erit, quin lacus et Stymphalia et Stymphalis tum appellari possit, tum revera appellata sit. Libris autem Apollonii obnitentibus, nomen illud a poeta avibus neque aquae impositum esse veri simillimum videbitur. Attamen cur illi littera ionica dero-

ganda sit, non assequor. Primum enim homericum *Στύμφηλος* nemini unquam fuit suspectum; id, ut consequens erat, quum Herodotus agnoscit, tum Pausanias non respuit, qui VI, 7, 3. *ἀνὴρ δὲ ἐκ Στυμφήλου, Δρομεὺς ὄνομα* et V, 10, 2. *καὶ ὄρνιθας τὰς ἐπὶ Στυμφήλου* scribit, eaque ne Weliauerus quidem vocat in dubium, idem porro VIII, 22. progreditur ab hisce: *ἐπανάγει δὲ ὁ λόγος με ἐπὶ Στυμφήλου*, etsi postea sibi constat in forma trita atque usitata *Στύμφαλος*, quae Polybii, Xenophontis et aliorum est. Nec vero prisci vestigia prorsus exoleverunt. Ita Aristides I, 5, 54. ex edit. Lips. de praeclaris Herenlis facinoribus disserens inter alia haec habet: *ὅς γε καὶ τὰς ὄρνις τὰς περὶ Στύμφηλον διαφθειρούσας τὰ πολλὰ τῆς Ἀρκαδίας εὗρεν, ὅπως ἐκβάλῃ κτέ.* Hesych. II. p. 1282. *Στύμφηλος*, inquit, *πόλις ἢ ὄρος Ἀρκαδίας.* Quodsi *Στύμφηλος* epicis et ionicis receptum, aliis passim dictum novimus, illis certe aves *Στυμφηλίδας* quam *Στυμφαλίδας* aptiores esse poterit coniici. At nullum unquam scriptorem eo usum esse Wellauerus contendit. Ei vero opponi possit Nonnus, cuius in Dionysiac. XXIX, 240. legimus:

οὐ τόσον Ἡρακλέης Στυμφηλίδας ἤλασε βόμβῳ
χαλκὸν ἔχων βαρύδουπον, — — —.

Ut vero sincere agamus, Graefium demum ita reposuisse fatendum erit, etenim in edit. pr. *Στυμφαλλίδας*, in altera, Falckenburgo suadente, *Στυμφαλίδας* ferebatur. Nec dissimulabo coepto eiusmodi adversari Tzetzam, qui et ipse *Στυμφαλίδας* scripsit, et idem Quinti Smyrnaei fuisse testatur, si quidem ad eum auctorem refert epigramma, quod Chiliad. historiis inseruit, et praeterea anthologia Planudea IV, 92. offert. In quo de isto Herculis certamine v. 5. scriptum est:

πέμπτον δ' ὄρνιθας Στυμφαλίδας ἐξεδίωξεν.

Quos Quinti versus esse affirmat Tzetza Chil. II, 488.

ὁ Κόϊντος δὲ γέγραφεν οἶμοι τοὺς ἄθλους τούτους
συντετμημένως ἔπεσι, Κόϊντος ὁ Σμυρναῖος.

His etsi liber Monac., Quinti nomen praefixum gerens, adstipulatur, res tamen incerta est et parum constat, unde haec

fama manaverit. Imo fuerunt, qui Tzetzam ex uberiore Quinti descriptione in posthomericis falsam coniecturam cepisse statuerent. Deinde in illo ipso versu *Στυμφηλίδες*, quod Wellauerus fictum commenticiumque arbitratur, editiones praebent principes, vid. Iacobs. ad anthol. Pal. p. 842. et in animadvers. ad anth. gr. X. p. 333. Denique librarios in illa voce haerere et peccare codices satis superque ostendunt. Ut enim apud Nonnum olim legebatur *Στυμφαλλίδας*, item Mediceus sive hoc sive *Στυφαλλίδας* dat Apollonio, Quinti libri vulgares *Στυφελίδες* tenent, Escurial. prim. *Στυφελλίδες*. Apparet ergo semper fere secundam, non ita raro primam etiam syllabam esse affectam. Quas turbas optime et explicare et componere potes, ubi *Στυμφηλίδας*, scribis minus cognitas, originem caussamque illis peperisse existimaveris. Utcunque autem hac de re statuere placuerit, equidem *Στυμφηλίδας* neque improbandas, neque epicis, Apollonio, Quinto, Nonno eripiendas censuerim, praesertim quum sciamus, librariorum socordia et inscitia *η* Iadis proprium in *α* quotidianum et atticum crebro abiisse, veluti permutantur *Ἰάσων* et *Ἰήσων*, *ἰατρὸς* et *ἰητρὸς*, *Ὑπεράσιος* et *Ὑπερήσιος* apud ipsum Apollonium I, 176., de quo ad Il. 2, 573. breviter admonui.

Quae sequuntur de Hercule, sagittas in aves intendente, v. 230. sq.

τῇσι δ' ἐφ' Ἡρακλέης κεχολωμένος ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
ἰὸν ἐπιπροΐαλλε μάλα σπεύδοντι ἐοικώς,

ea prius manca et imperfecta fuerunt, quod posterioris exordium *ἰὸν προΐαλλε* occupaverat. Rhodomannus decompositum advocando numerorum integritati prospectum voluit. Ei Pauwius, *ἐπὶ* ter repetitam aegre ferens, obloquitur, ac revera duplicem quidem praepositionem structurae illi poeta illigare solet, vid. I, 464. III, 360. VIII, 330. 409. XIII, 141., triplicem ingestam esse non memini. Plus etiam insolentiae verbo subesse crediderim,! quod perraro invenitur, vid. ad Il. 11, 628. Ex libris nihil proficimus, omnibus in defectu isto consentientibus, nisi quod Vindob. prim. e librarii, ut opinor, emendatione *ἰόν τε προΐαλλε* praebet. Nec vero inelegantem duxerim Pauwii coniecturam, qua scribendum cen-

set: ἰὸν ἄφαρ πρ., certe non multum ab eo abest Quint. XI, 476.

— — — ἄφαρ προέηκεν ὀϊστὸν
ἰθύνων ἐς φῶτα περίκλυτον, — —

add. IV, 413.

Machaone et Nireo interfectis, Teucer magna voce obtestatur Achivos, ne suos hostium ludibrio et contumeliae permittant VI, 447. sqq.

ἀλλ᾽ ἄγε δυσμενέεσσι μαχώμεθα πρόφρονι θυμῷ,
ὄφρα δαϊκταμένους εἰρύσομεν, ἤ ῥα καὶ αὐτοὶ
κείνοις ἀμφὶ θάνωμεν, ἐπεὶ θέμις ἀνδράσιν αὕτη.

Censet enim Teucer, si maiore animi alacritate pugnae operam dent, alterum utrum ex duobus eveniat necesse esse, ut aut amicos e belli tumultu extractos sepulcro mandent, aut si id minus successerit, ipsi circa illos honestam oppetant mortem, et ita officii sanctitati abunde satisfaciant. Cui dicentis consilio particula, in altero membro disiunctivae addita, vel nihil omnino prodest, vel obest etiam; ea enim intrusa sinistrum rei susceptae eventum animo quasi praesentire ac praedicere videbitur Teucer. Itaque Homerus in eiusmodi duorum distributione ab ista semper abstinet, et vel ἤ vel ἢ καὶ, qua posteriori parti maius accedit pondus, solet adsciscere. Illius generis est Il. 1, 515.

νημερτὲς μὲν δή μοι ὑπόσχεο καὶ κατάνευσον,
ἢ ἀπόειπ᾽ — — — —

add. 5, 227. 7, 236. 9, 633. 10, 443. 481. 12, 248. 14, 474. 15, 161. 177. 24, 356. Huius testimonium est in Il. 7, 196.

σιγῇ ἐφ᾽ ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται,
ἠὲ καὶ ἀμφαδίην, ἐπεὶ οὔτινα δείδιμεν ἔμπης.

Quocum plura conspirant alia, vid. Il. 10, 357. 16, 557. 19, 33. 20, 120. 23, 552. Od. 7, 263. 17, 177. 19, 69. Neque disiunctivae iteratae alia est ratio, quod, ut brevitati consulam, iis solum locis, in quibus negandi particula obstat, satis erit probasse, vid. Il. 2, 238. 300. 10, 445. Od. 4, 80. 632. 11, 493. Nonnulla horum exempla priori enuncia-

tioni particulam ῥα, cui plus inest veri similitudinis, non sine caussa adiungunt. Quare ab ista Homeri consuetudine deflexisse Quintum non crediderim, eique leni restituerim emendatione id, quod Teucri sententiae optime conveniet:

ὄφρα δαϊκταμένους εἰρύσσομεν, ἠὲ καὶ αὐτοὶ
κείνοις ἀμφὶ θάνωμεν, — — —.

Horum alterum numeri poscunt, quod vocalis natura brevis fulcro saepe neglecto indiget, verbum autem, eius rei proprium, noster ab Homero acceptum frequentat, vid. III, 385. VI, 494. VII, 125. VIII, 482., alterum idem sibi vindicabit, si cum Teucri adhortatione similia contuleris. Ita Nestor, Antilocho caeso, Thrasymedis filii animum accendit dictis in eandem sententiam II, 268. sqq.

ὄρσο μοι, ὦ Θρασύμηδες ἀγακλεὲς, ὄφρα φονῆα
σεῖο κασιγνήτοιο καὶ υἱέος ἡμετέροιο
νεκροῦ ἑκὰς σεύωμεν ἀεικέος, ἠὲ καὶ αὐτοὶ
ἀμφ᾽ αὐτῷ στονόεσσαν ἀναπλήσωμεν ὀϊζύν.

Nec legem istam rei naturae maxime accommodatam particula bis posita migrare videtur. Cui indicio sunt IX, 81. lecta:

καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ ἠὲ θεῶν τις ὑπὸ φρένας ἔμβαλε θάρσος
Δηϊφόβῳ, καὶ θῆκε μάλ᾽ ἄτρομον, ἠὲ καὶ αὐτὸν
θυμὸς ἐποτρύνεσκε κατὰ κλόνον, — —

vid. utrique finitima I, 608. II, 654. III, 27. IV, 79., quem versum ἠδὲ perperam invasisse dixi in excurs. ad Hom. Il. XXVI. p. 43. V, 311. XII, 369. XIII, 167. 273. 561. XIV, 160. Hinc etiam diffido Bonitii coniecturae ad l. IX, 330. in Zimmermanni horreo l. l. p. 1237. propositae. Etenim illic de Calchantis vatis praestantia et augurio recens ab eo edito dicuntur haec:

καὶ τὸ μὲν ἠγαθέοισιν ἐπέφρασεν οἰωνοῖσιν,
ἠὲ καὶ ἐν σπλάγχνοισιν ἐπέδρακεν· οὐ γὰρ ἄϊδρις
μαντοσύνης ἐτέτυκτο· θεὸς δ᾽ ὣς ᾔδεε πάντα.

Iam ille, quod ἠγάθεος solis terris, agrorum fertilitate insignibus, apponi soleat, primo in versu refingendum putat: ἤ ῥα θοαῖσιν ἐπεφράσατ᾽ οἰωνοῖσιν. Sed quum nulla parti-

culae esse possit vis, haud scio, an omnium simplicissimum sit:

καὶ τὸ μὲν ἢ ἀγαθοῖσιν ἐπεφράσατ' οἰωνοῖσιν.

Medium enim epico dicendi generi commodum ac paene necessarium duxerim.

Antrum in Nymphaei amnis vicinia situm ac nymphis consecratum Quintus nobis VI, 470. sqq. eleganter et ornate descripsit, Homeri artem imitatus, qua similem dearum recessum nobis adumbravit in Od. 13, 103. sqq. Sicut igitur poeta iam instituit, ita Quintus duplicem esse tradit antri introitum, alterum hominibus, alterum diis tritum ac patentem. Atque Homerus quidem ea de re exponit Od. 13, 109. sqq.

— — — δύω δέ τέ οἱ θύραι εἰσίν·
αἱ μὲν πρὸς Βορέαο, καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν,
αἱ δ' αὖ πρὸς Νότου εἰσὶ, θεώτεραι· οὐδέ τι κείνῃ
ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν.

Haec suo more dilatavit et amplificavit Quintus VI, 484. sqq.

τῷ ἔνι δοιαὶ ἔνεισι καταιβασίαι τ' ἄνοδοί τε,
ἡ μὲν πρὸς Βορέαο τεταγμένη ἠχήεντος
πνοιὰς, ἡ δὲ Νότοιο καταντίον ὑγρὸν ἀέντος·
τῇ θνητοὶ νίσσονται ὑπὸ σπέος εὐρὺ θεάων,
ἡ δ' ἑτέρη μακάρων πέλεται ὁδὸς, οὐδέ μιν ἄνδρες
ῥηϊδίως πατέουσιν, ἐπεὶ χάος εὐρὺ τέτυκται
μέχρις ἐπ' Ἀϊδονῆος ὑπερθύμοιο βέρεθρον·
ἀλλὰ τὰ μὲν μακάρεσσι πέλει θέμις εἰσοράασθαι.

Quorum cum exordio fere conveniunt, quae XIV, 225. de via e coelo in campos Elysios ducente narrantur. Deinde semita ad Boream spectans haud apte *πρὸς Βορέαο πνοιὰς τεταγμένη* dici videtur. Quare dubitare noli, quin, quod ei rei maxime conducat, *τετραμμένη* sit reducendum: id enim ab Homero propagatum omnium propemodum epicorum usu invaluit. Testis est Hom. Od. 5, 71. 12, 81.

μέσσῳ δ' ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδὲς
πρὸς ζόφον, εἰς Ἔρεβος τετραμμένον, — —

add. h. hom. in Ap. 283. Apoll. Arg. II, 363. Dionys. Perieg. 53. 299. 449. Quint. X, 488. XIII, 483.

ὁππότ' ἄρ' ἀντιπέρηθε δυσαέος Ἀρκτούροιο

βηλὸν ἐς ἀστερόεντα θυτήριον ἀντέλλῃσιν,
ἐς Νότον ἠερόεντα τετραμμένον, — —

quibus simul excusatur vocalis correptio satis frequens, vid. de vers. her. p. 94. Neque recto stat talo v. 490., Plutonis enim nomini *ω* tribuendum esse indicant et alia et III, 15.

— — — — ἢ γὰρ ἔμελλον
πολλοὶ ἀνοστήτοιο κατελθέμεν Αἰδωνῆος.

Quin redit idem plane versus, quem hic videmus XII, 179.

μέχρις ἐπ' Αἰδωνῆος ὑπερθύμοιο βερέθρων·

labeculae admixtae expers. Sed illic turbat casus secundus, qui Tychsenio demum auctore nostro e loco expulsus cessit quarto. Bene, ut opinor, quod *μέχρις* et *ἄχρις*, praepositione *ἐπὶ* aut *ἐς* superveniente, sive spatium sive tempus significant, illum respuunt, vid. posthom. I, 261. II, 120. 470. III, 25. 373. 577. VI, 111. 177. 191. VII, 235. VIII, 464. IX, 69. 376. X, 214. 259. 273. sq. XIII, 466. XIV, 197. 277. Apoll. Arg. IV, 1403. Nec quenquam offendet singularis iam Homero dictus Il. 8, 14., nec Quinto spretus, cf. VI, 264. IX, 318. XIII, 550.

Quemadmodum in Il. 11, 401. Ulixes solus inter Troum catervas relinquitur, ita apud Quint. VI, 527. sqq., aliis vel sauciatis vel in fugam inclinatis, Atridae soli hostium cohortibus undique invadentibus aegre resistunt. Hinc poeta illos bestiis circo inclusis, hos venatoribus sive ministris, regum iussu feris exitium parantibus confert, inde a versu 531.

— — — τοὶ δ' ἐν μέσσοισιν ἐόντες
στρωφῶντ', εὖτε σύες μέσῳ ἕρκεϊ ἠδὲ λέοντες,
ἤματι τῷ, ὅτ' ἄνακτες ἀολλίσωσ' ἀνθρώπους,
ἀργαλέως τ' εἰλῶσι, κακὸν τεύχοντες ὄλεθρον
θηρσὶν ὕπο κρατεροῖς· οἱ δ' ἕρκεος ἐντὸς ἐόντες
δμῶας δαρδάπτουσι, ὅ τις σφίσιν ἐγγὺς ἵκηται·
ὣς οἵγ' ἐν μέσσοισιν ἐπεσσυμένους ἐδάϊζον.

Ex his leviora duo v. 532. ac proximi menda iam olim abstersi: etenim *ἠὲ* et *ἀολλίσσωσ' ἀνθρ.* scribendum esse patebit inspicienti. Alterum vero forte fortuna irrepsisse auguror, quod editiones priores *ἀολλίσσουσ' ἀνθρ.*, cuius loco sub-

iunctivum requisivit Rhodomannus, omnes exhibent, vid. de vers. gr. her. p. 154. et mant. observ. ad Quint. p. 233. Illis iam tertium addo, non maioris quidem momenti, sed e notis dialecti regulis certe memoratu dignum, eae enim ionicum *εἰλέωσι* sibi expetunt. Cui iam Homerus fidem facit Il. 2, 293.

— — — — *ὅνπερ ἄελλαι*
χειμέριαι εἰλέωσιν ὀρινομένη τε θάλασσα.

Porro ambiguum est, num reges feris, an stipatae hominum turbae perniciem meditentur. Hoc autem minus quadrare ad ea, quae similitudine ista illustranda putaverit poeta, bene perspexit Pauwius. Atridae enim quum bestias, Troes servos a principibus convocandos aequiparare dicantur, mortem non tam his quam illis inferendam fuisse consequens erit. Cui etsi obiici possit, utrumque evenire et bestias pariter a venatoribus ac venatores a bestiis, sicut proxima luculenter prodant, occidi, hoc tamen non de regis voluntate consilioque accidere satis apparet. Isti vero plerumque quidem simplex suffecit dativus, vid. XIII, 374.

— — *δηΐοισιν ἀνηλέα τεῦχεν ὄλεθρον,*

add. IV, 528. X, 221. 352., attamen praepositio *ἐπὶ* aliorum haud ita dissimilium auctoritate se tuebitur, cf. II, 516. 519. IV, 298. VI, 434. Perniciem autem *κακὸν* sive malam aliquoties nuncupavit Quintus, ut I, 394. III, 379. et ei affinia sunt *ὄλεθρος αἰνὸς, ἀλεγεινὸς, ἀνηλὴς, ἀργαλέος, λυγρὸς* aliaque, specie ac nomine diversa, re ac facto paria. Sed incommodum, imo paene ineptum attributum habuerim, quod *ὀλέθρῳ* inditum reperitur V, 452.

καὶ τότε οἱ Τριτωνὶς ἀπὸ φρενὸς ἠδὲ καὶ ὄσσων
ἐσκέδασεν μανίην, βλοσυρὸν πνείουσαν ὄλεθρον.

Ubi enim memineris, *βλοσυρὸς* torvos oculos ac vultum trementem praecipue significare, id quomodo in *ὄλεθρον* seu perniciem cadere possit, vix assequere. At furentes *βλοσυρὸν βλέπειν* sive oculos truculentos in alios defigere nemo ignorat. Quo posito et concesso, quod rabiei proprie dandum erat, temere ad subsequens nomen relatum esse divinare possis. Itaque nec distinctionem neque interpretationem latinam: „*discussit rabiem saeva mortis vulnera spirantem,*“ veram commodamque existimaverim. Minimo autem negotio epitheton a posteriore ad prius, cui soli aptum est, traducemus scribentes: *ἐσκέδασεν μανίην βλοσυρὴν, πνείουσαν ὄλεθρον.* Imo *βλοσυρόν*, quod femineo generi non contradicit, retinere licet; sic iam scripsit Hesiod. scut. Herc. 250.

Κῆρες κυάνεαι, λευκοὺς ἀραβεῦσαι ὀδόντας,
δεινωποὶ βλοσυροί τε δαφοινοί τ᾽ ἄπλητοί τε.

Cui accedit Quint. XIV, 454.

ἐν γάρ οἱ πεπόνητο κάρη βλοσυροῖο Μεδούσης.

At noster, quum alibi non refugerit genus femineum, sicut X, 181.

ἄρκτοι ἔσαν βλοσυραὶ καὶ ἀναιδέες· — —

add. XIII, 426., nulla cogitari fingive potest caussa, cur eo semel abstinuerit. Ipsa vero illa, quam verbi propriam diximus, potestas crebrius offertur, vid. I, 5. III, 539. VII, 361. XI, 74. XII, 492. Ut autem pernicies a rei atrocitate plura invenit nomina, ita eadem a celeri et improviso adventu nonnunquam appellatur. Huc pertinent *ὄλεθρος ὠκὺς* et *αἰπὺς*, quorum alterum ex Homeri monumentis delibavit Quintus, vid. II, 259. VIII, 424. XIII, 452. Ad extremum, quod oculorum aufert sensum et omnia tenebris involvit, *ὄλεθρος μέλας* nostro satis cognitus est. Argumento sunt II, 486. XIII, 218. XIV, 588., quibus *πότμος μέλας* VI, 651. XI, 47. XIII, 172. congruit. Male igitur in triti usitatique sedem invasit *μέγας* XIII, 362.

— — *μέγας δέ σ᾽ ἐδέξατ᾽ ὄλεθρος,*

quod tot aliorum suffragiis convictum illo erit mutandum. Denique augmentum verbo detrahendum censet Hermann. ad Orph. p. 695.

Echemmona ex pugna sese recipientem Eurypylus assequitur VI, 583. sq.

— — *καὶ μιν στρεφθέντα φέρεσθαι*
εἰς ὀπίσω κατέμαρψε μέγα σθένος Εὐρυπύλοιο.

Praepositio autem, cur ab eo, quocum erat constringenda, divulsa sit, parum perspicitur, etsi haec scribendi ratio omnes

obsidet editiones. At rectius iungit utramque vocem poeta alibi, ut I, 243.

— — ὁ δ' ἄρα στενάχων ἀπόρουσεν
εἰςοπίσω, — — — —

add. V, 55. XIII, 424. Neque ab eo, quod ratio et usus praescribunt, epici solent recedere, velut Oppian. Cyneg. IV, 362.

εἰςοπίσω δ' εἴπερ τι νεώτερον ἀθρήσειαν
ἴχνος, ἐπειγόμενοι θόρον αὐτίκα καγχαλόωντες.

Eandem vero utriusque comprehensionem suadent alia huius generis adverbia, ut *εἰςόκεν* ab Homero inde longe lateque diffusum, *εἰςέτι* posterioribus admodum gratum, *ἐςέπειτα, ἐςύστερον* ac similia.

Acie Danaorum incisa, Troiani rerum gestarum magnitudine laetati et Eurypyli imperatoris oratione erecti profugos fortiter ac strenue insequuntur, idque poeta imagine a venatione petita copiose exornat VI, 610. sqq.

οἱ δὲ μέγα τρομέοντες ἀπ' ἀργαλέοιο κυδοιμοῦ
φεῦγον, τοὶ δ' ἐφέποντο κύνες ὣς ἀργιόδοντες
κεμμάσιν ἀγροτέρῃσιν ἐπ' ἄγκεα μακρὰ καὶ ὕλην.

Novissima horum latinus interpres vertit: „*in porrectis vallibus et nemore.*“ Sed ista graecis minus respondent, quod canes non per valles ac silvam insequi dicuntur, verum ad valles et nemus. Nec licet de Achaeorum navalibus cogitare, hostibus imperviis ac vallo fossaque munitis. Verum enim vero perpetuus et constans poetarum usus non tam interpretationem quam voculam *ἐπὶ* reddit suspectam. Achivis enim fuga effusa per Scamandri campum ruentibus cervi per anfractus longos et silvas a canum morsibus sese proripientes dicuntur similes. Quapropter *ἀνὰ*, ab Homero non ita raro sic usurpatam, nobis esse restituendam iure, ut opinor, affirmaverim. Huic certe adsunt Il. 10, 362., ubi Diomedes et Ulixes Dolonem Troianum effugere annitentem persequuntur:

ὡς δ' ὅτε καρχαρόδοντε δύω κύνε, εἰδότε θήρης,
ἢ κεμάδ' ἠὲ λαγωὸν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεὶ
χῶρον ἀν' ὑλήενθ', — — —

Nec minus leones capellam canibus insequentibus per virgulta

densa auferre dicuntur ib. 13, 199.

ὥστε δύ' αἶγα λέοντε κυνῶν ὕπο καρχαροδόντων
ἁρπάξαντε φέρητον ἀνὰ ῥωπήϊα πυκνά.

Possim plura eius generis commemorare, sed longus esse nolo, praesertim quum ea de re in dissertatione de vi et usu praepositionum *ἀνὰ* et *κατὰ* apud Homerum p. 18. et 28. iam dixerim; sufficiant ergo pauca Quinti exempla meae, ut spero, coniecturae maxime idonea, velut VII, 715.

ὡς δ' ὅτ' ἀνὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ἄγκεα ῥωπήεντα,
σμερδαλέοιο λέοντος, ὑπ' ἀγρευτῆρσι δαμέντος,
σκύμνος ἐς ἄντρον ἵκηται ἐΰσκιον, — —

porro III, 268., ubi *κατὰ*, nostrae maxime cognatam, reperimus:

ὣς εἰπὼν Τρώεσσιν ἐπεστρωφᾶτο λέων ὣς
ἐν κυσὶν ἀγρευτῇσι κατ' ἄγκεα μακρὰ καὶ ὕλην.

Neque aliena ab hisce leguntur in posthom. I, 625. II, 382. Ei vero, quod a comparatione ista seiungendum puto, magis etiam *ἐς* quam *ἐπὶ* congruere videtur. Hoc probant certe lignatores ab Atridis ad arbores caedendas in Idae convalles missi XIII, 123. sqq.

καὶ τότ' ἄρ' Ἀτρέος υἷες ἐς ἄγκεα τηλεθάοντα
Ἴδης ὑψικόμοιο θοοὺς προέηκαν ἱκέσθαι
ἀνέρας, — — — — —

et similia, quae utramque commodo et apto connectunt ligamento IX, 161.

ὡς δ' ὅτ' ἀν' οὔρεα μακρά, θορὼν ἐς ἄγκεα βήσσης,
δρυτόμος ἐγκονέων νεοθηλέα δάμναται ὕλην.

Haec igitur, si quid video, efficient, ut in illo versu, ad quem ea pertinent, corrigamus:

κεμμάσιν ἀγροτέρῃσιν ἀν' ἄγκεα μακρὰ καὶ ὕλην.

Postero mane Achivorum alii hostibus obviam eunt, alii Machaoni ac Nireo, pridie ab Eurypylo occisis, exsequias faciunt. Quod poeta, de Nirei forma atque imbecillitate pauca praefatus, VII, 13. sqq. tradit hisce:

ἀλλά ἑ ταρχύσαντο, καὶ ὠδύραντ' ἐπὶ τύμβῳ,
ὅσσα Μαχάονα δῖον, ὃν ἀθανάτοισι θεοῖσιν

ἶσον ἀεὶ τίεσκον, ἐπεὶ πυκνὰ μήδεα ᾔδει·
ἀλλὰ γὰρ ἀμφοτέροις ταυτὸν πέρι σῆμ' ἐβάλοντο.

Tertia verbi, quo v. 15. terminatur, persona largam disputandi materiam iam veteribus praebuit grammaticis. Aristarchum quidem bisyllabum ᾔδη, ut antiquius et e trisyllabo ᾔδεε conflatum, vulgari ᾔδει praetulisse interpres Ven. ad Il. 5, 64. memoriae prodidit. Alii vero, sicut scholiasta ad Choerobosci canones verbor. in Bekkeri anecd. III. p. 1288. et Etymologici magni scriptor, qui illo niti videtur, p. 419, 22. primam solam personam ᾔδη Atthidi antiquae concedunt, tertiam, ne cum illa commisceretur, ᾔδει fuisse perhibent, ᾔδη a recentioribus demum Atticis male invectum dicunt. Idem igitur prava Aristarchi sedulitate in Homeri carmina invasisse volunt. Eustath. ad Il. 1, 50, 38. sqq. ᾔδη excusat, ac de prima persona Heraclidae commentariis usus accuratius disserit ad Od. p. 1946, 20. sqq. Plerique ᾔδη atticum ac poeticum esse non negant, vid. praeter Etym. m. l. all. Schol. ad Dionys. art. gr. apud Bekker. an. gr. II. p. 797, 13. Etym. Gud. p. 236, 33., quocum fere consentiunt epimerism. κατὰ στοιχ. in Crameri an. gr. II. p. 374, 31. sqq. Ista graecorum magistrorum dissensio, ut fieri solet, ad nostrae aetatis technicos permanavit. E quibus, dum priores, veluti Fischer. ad Weller. III. p. 86. Pierso ad Moer. Attic. p. 173. Valckenar. ad Hom. Il. X, 280. Heyn. ad Il. 1, 70. aliique, aut nihil dirimebant, aut Aristarchi iudicium probabant, recentissimi quique iterum abierunt in partem contrariam. Horum agmen, nisi memoria fallit, Buttmannus ducit, vid. gramm. ampl. §. 97. ann. 16. et Freytag. ad Il. 1, 70. Iam ut Atticos, a nostro proposito alienos, nihil moremur, homericum ᾔδη Venetus certe et optimi quique agnoscunt, trisyllabum vero tum ᾔδεε tum ᾔδεεν, vocali subsequente, sonat, vid. Il. 2, 409. 832. 11, 330. 17, 402. 18, 404. Od. 23, 29. Hinc vulgare et tritum hymn. in Ven. 207. relictum esse demiror, praesertim quum ᾔδη simillima Homeri exempla, sicut Il. 2, 38. 13, 674. 20, 466. reposcant, etsi illis vel parum vel nihil tribuit Fr. Thierschius in gr. gr. §. 211, 32. Itaque de Homeri locis ne licebit quidem coniecturam facere. At Quintus sibi ipsi prospexit melius, et Aristarchi legem tenuit, triplici, quae Homeri esse solet, forma usus: ᾔδεεν, ᾔδεε et ᾔδη. Illorum quidem testimonia exstant I, 571. IX, 332., hoc legimus I, 96. IV, 160. et III, 250.

ὣς ἔφατ' ἀκράαντον ἱεὶς ἔπος· οὐδέ τι ᾔδη,
ὅσσον ἀμείνονος ἀνδρὸς ἐναντίον ἔγχος ἐνώμα.

Quo primum refutatur ᾔδει eodem in versu, qui recurrit VII, 522., perperam retentum:

ὣς ἔφατ' ἀκράαντον ἱεὶς ἔπος· οὐδέ τι ᾔδει,
ὅττι ῥά οἱ μέγα πῆμα κυλίνδετο βαιὸν ἄπωθεν.

Quis enim in iisdem verbis talem feret dissimilitudinem? Deinde ᾔδη priori etiam loco, quem supra posui, reddendum esse quum illa demonstrant, tum codex Venet., in poetico et homerico sibi constans, attestatur.

Nec proxima, quibus unum tumulum Machaoni et Nireo circumfusum esse narratur, ab omni vitii admixtione pura et integra iudico. Sicut enim nulla excogitari potest caussa, quae praepositionis tenorem in paenultimam remitti iubeat, ita pronominis compositi forma epicorum sermoni adversatur. Iam nihil erit dubii, quin περὶ verbo potius subiecto quam nomini praefixo sit copulanda, ubi inspexeris nostris affinia, velut I, 822. VII, 159. X, 161. 486. II, 589.

— *ὃ δὴ μετόπισθε μακρὸν περὶ σῆμ' ἐβάλοντο* —.

Quibus congruit III, 739., praepositione duplici instructus:

— — — — *ἀμφὶ δὲ τύμβον*
Ἀργεῖοι καὶ σῆμα πελώριον ἀμφεβάλοντο.

Vice versa accentus, in priorem reiiciendus, perperam substitit in ultima syllaba IV, 316.

— — — *πεσὼν δ' ἐκονίσατο νῶτα*
σῆμα παρὰ φθιμένου Ἀμαρυγκέος, — —.

Nestor enim quum ibi referat, se Ancaeum fortissimum lucta superatum ad Amaryncei tumulum prostravisse, praepositionem ad prius nomen adiungendam fuisse intelligitur; proinde paenultima accentu erigatur oportebit. Quo quidem modo παρὰ aliquoties ponitur, eodem nomine vel subsequente vel praecedente, ut VI, 145. X, 162.

πὰρ τέμενος καὶ σῆμα κραταιοῦ Βελλερόφοντος,

add. Hom. Il. 2, 604. Versu autem priore *ἐκονίσατο*, quod Tychsenius demum, Pauwio suasore, sibila duplici oneravit, ex antiquioribus restitui. Vocali enim productae Quintus adest IV, 204.

ποσσὶ κονιόμενοι, — — — —

add. II, 201.

— — *ὑπὸ δ' ἔγρετο ποσσὶ κονίῃ,*

etsi dativus singularis aeque ac pluralis solet corripere vocalem. E quibus augurari possumus, similem litterarum abundantiam eximendam esse IV, 518.

πουλὺς δ' αἰθέρ' ἵκανε κονίσσαλος ἐκ πεδίοιο,

vid. ad Il. 3, 13. et libell. de pros. gr. §. 52, 2. Postremo insolitum *ταυτὸν* iam eo venit in suspicionem, quod coronidis signum nusquam apparet; illa magis etiam confirmatur epicorum usu, ab eius generis crasi abhorrente. Primam ergo consonam ab eo, qui sermonis poetici parum erat gnarus, intrusam crediderim. Ista enim sublata sententiae sua ac propria manet vis, quod *αὐτὸς* eundem denotat, cf. Hermann. opusc. I. p. 332. sqq. et Schaefer. melet. crit. p. 65. Neque istam pronominis significationem ignoravit Quintus, qui, ut incerta atque ambigua omittamus, adverbium *αὐτοῦ* hic illic ita adhibuit, cf. VI, 186.

Εὐρύπυλος δ' αὐτοῦ κατελέξατο βαιὸν ἄπωθεν,

et relativo aliquo accedente VI, 586. IX, 306. Quare ista quidem medicina mihi videtur expeditissima, eam vero improbanti *μακρὸν* e l. II, 589. arcessere licet, quanquam a vulgari et longius abest, et communi obstat interpretationi.

Achivorum legati Ulixes et Diomedes, ad Scyrum appulsi, Neoptolemum, quem in belli societatem secum Troiam ducant, conveniunt. Graecorum precibus annuenti non modo patris arma Ulixes promittit, verum etiam Hermionem, Menelai filiam, in patriam reverso spondet uxorem VII, 213. sqq.

καί νύ σε καὶ Μενέλαος, ἐπὴν Πριάμοιο πόληα
πέρσαντες νήεσσιν ἐς Ἑλλάδα νοστήσωμεν,
αὐτίκα οἱ γαμβρὸν ποιήσεται, ἤν κ' ἐθέλησθα,
ἀμφ' εὐεργεσίης· — — — —

Inutili particularum copia, qua v. 215. obruitur, amota *ἤν ἐθέλησθα* restituendum esse dixi ad Hom. Il. 4, 353. Nec me huius poenitet decreti, quippe qui videam, nostro, si res in alius arbitrio versatur, priorem satisfacere, nihil igitur aliorum valet dissensus, de quo vid. Schrader. ad Musaeum 51. Ita Oenona, si voluerit, Parin a morte liberatura traditur X, 263.

— — — *ἐπεί ῥά οἱ αἴσιμον ἦεν*
Οἰνώνης ὑπὸ χερσὶ μόρον καὶ Κῆρας ἀλύξαι,
ἤν ἐθέλῃ, — — — —.

Cuius auxilium eadem lege implorat Paris vulneratus X, 294. *ἤν ἐθέλῃς*. Neque Apollo, Polymestoris auguris specie indutus, Eurymachum Aeneamque ad fortiter pugnandum dissimili adhortatur modo XI, 140.

Εὐρύμαχ' Αἰνεία τε, θεῶν γένος, οὔτι ἔοικεν
ὑμέας Ἀργείοισιν ὑπεικέμεν· οὐδὲ γὰρ αὐτὸς
ὔμμιν ὑπαντιάσας κεχαρήσεται ὄβριμος Ἄρης,
ἤν ἐθέλητε μάχεσθαι ἀνὰ κλόνον· —

Sed iota subscriptum, secundae coniunctivi personae necessarium, sola librariorum incuria supra excidit. Cuius etsi nullum usquam apparet vestigium, damnum tamen inde factum, Homero duce, reparavi. Alia fuit disceptatio, utrum *ἐθέλω* an *θέλω*, quorum neutrum Attici spreverunt, vid. Lobeck. ad Phryn. p. 7., Homero et epicis fuerit acceptius. Ac recte quidem illud plurimorum iudicio increbruisse statuerunt Brunckius ad Apoll. Rh. I, 706. Valckenar. ad Theocr. Adon. v. 41., idem a grammaticis, Aristarcho commendante, homericum esse habitum docuerunt Hermannus in ind. ad hymn. hom. v. *ἐθέλω*, Buttmann. in lexil. I. p. 26. sqq. et Gerard. in lect. Apollon. p. 90., add. Eustath. ad Il. p. 800, 28. Proinde Quintum trisyllabo delectari non est mirum, vid. II, 157. *ἐθέλεις*, IX, 422. XII, 300. *ἐθέλουσι*, II, 315. IV, 389. V, 332. X, 264. 286. XIII, 326. *ἐθέλων*, V, 193. VI, 267. VII, 93. *ἐθέλοντα*, II, 189. XIV, 156. *ἐθέλουσα*, II, 659. III, 613. V, 340. X, 353. *ἐθέλουσαν*, XII, 100. *ἐθέλοντε*, ib., 385. *ἐθέλοντες*. Horum ad multitudinem exiguus sane numerus est eorum, quibus insidet bisyllabum, veluti III, 654. *θέλησι,*

IV, 490. *θέλητε*, XIV, 221. *θέλωσι*. Hisce autem omnibus minimo negotio reddes vocalem perperam extritam, vid. Gerard. lect. Ap. p. 91. Itaque unus dumtaxat superest versus, cui *θέλον* numerorum necessitas intulit VIII, 320.

— — — — *οὕνεκα Μοῖραι*
ἀργαλέον βέλος ὦσαν, ὅπῃ θέλον. — —

Id quod ferendum potius quam dura et poetae parum idonea emendatione exstirpandum putaverim. Imperfectum cum praesente eo plerumque congruit, quod pleno instructum augmento procedit: nam praeter pluralem *ἔθελον* III, 746., incremento destitutum, constanter obtinent *ἤθελον* et *ἤθελε*, cf. IX, 495. VIII, 400. IX, 403. X, 220. XII, 93. Hoc ipsum quum paenultimam versus regionem soleat occupare, verba a Pauwio et Tychsenio perverse transponuntur VIII, 400. Deleverim potius cum Rhodomanno dativum pronomimis, quo optime carebimus, longiore verbi forma adscita:

— — *αἰεὶ γὰρ ἀμυνέμεν ἤθελε θυμὸς*
Τρωσὶν ἐϋπτολέμοισι, καὶ Ἕκτορος οἰχομένοιο.

Quo probato, ista et ad cognata propius accedunt, et X, 77. praesidio sustentantur.

Deidamiam matrem, Neoptolemi obitum iam deplorantem, meliora sperare iubet filius, etsi mortem honestam se minime refugere ingenue profitetur, VII, 288. sqq.

θάρσει, μῆτερ ἐμεῖο, κακὴν δ' ἀποπέμπεο φήμην·
οὐ γὰρ ὑπὲρ Κῆρας τις ὑπ' Ἄρεϊ δάμναται ἀνήρ·
εἰ δέ μοι αἴσιμόν ἐστι δαμήμεναι, οὕνεκ' Ἀχαιῶν
τεθναίην, ῥέξας τι καὶ ἄξιον Αἰακίδῃσιν.

Initio horum imperativus virgula, qua distinxi, separandus erat a reliquis, idque tum vocativus tum imperativus postea additus manifesto produnt, neque obnititur constans Homeri atque epicorum ratio. Eodem vero solatio Andromachae animum afflictum erigit Hector in Il. 6, 487., neque aliis argumentis Hecubae contumaciam Priamus Il. 24, 218. compescit, aut effusas Alcimedae matris querelas sistit Iason apud Apoll. Arg. I, 295. sqq. Quae coronidis loco subiicit Neoptolemus, ea, ut mihi videtur, neque apte coniunguntur, neque carent

mendis. Unum horum scite detexit Rhodomannus, quocum *εἵνεκ' Ἀχαιῶν* recipiendum fuisse in mant. observ. ad Quint. p. 237. sq. probare studui. Sed ea ipsa, si bene auguror, commodius referamus ad superiora:

εἰ δέ μοι αἴσιμόν ἐστι δαμήμεναι εἵνεκ' Ἀχαιῶν,
τεθναίην, — — — — —

i. e. *si mihi fatum est, Achivorum in gratiam occumbere, moriar.* Sensus quidem idem propemodum manet, at extrema primis vulgo adstringuntur, cf. II, 321. V, 481. VII, 49.; deinde *τεθναίην*, cui vel desiderium mortis inest, ab Homero inde vel apodosin vel integram enuntiationem solet ordiri, vid. Il. 18, 98. Quint. IX, 283. cll. Il. 3, 102. 6, 164. Plurimum denique difficultatis ultima afferunt, in quibus, quum e libris nihil proficiamus, ad coniecturas viri docti confugerunt. Olim enim adfuit:

— — *ῥέξας καὶ ἄξας Αἰακίδῃσιν.*

Rhodomannus ergo, quae Tychsenius edidit, suo proposuit Marte, Dausqueus peius etiam suasit: *ῥέξας καὶ ἄξια Αἰακίδῃσιν.* At ne Rhodomannus quidem, ut mea fert opinio, verum attigit: nam pronomen indefinitum, cuius nullum usquam cernitur vestigium, singulis obest magis quam prodest, tum *ἄξιος* novum et inauditum est Quinto. Bis vero admisit compositum *ἐπάξιος*, primum III, 115.

οὔθ' ὅτις ἀργαλέος καὶ ἐπάξιος ἄλγεα πάσχειν. —

deinde V, 342.

ὢ πόποι, ὡς ὅγε λυγρὸς ἐπάξια πήματ' ἀνέτλη.

Iam quum Venet. liber *ῥέξας καὶ εἴξας Αἰακ.* praebeat, idem illud hic latere crediderim. Itaque ne *ἀσύμβολος* hinc abeam, Quinti verba sic emendanda puto:

τεθναίην, ῥέξας καὶ ἐπάξιον Αἰακίδῃσιν.

Quod si verum habuerimus, nec pronomine opus erit importuno, nec quidquam ad plenam sententiae integritatem abesse videbitur; sin displicuerit, nihil iam est relictum, nisi ut a libris emendatioribus futurum loci affecti auxilium exspectemus.

Inter cursus maritimi otia Diomedes et Ulixes egregia Achillis facinora enarrando Neoptolemi animum et voluptate per-

fundunt et aemulandi amore incendunt VII, 382. sq.

τοῦ δ' ἰαίνετο θυμὸς ἐελδομένοιο καὶ αὐτοῦ
πατρὸς ἀταρβήτοιο μένος καὶ κῦδος ἀρέσθαι.

Rhodomannus, ut et singula arctius contineantur, et numeri plene atque eleganter profluant, *τοῦ δ' ἄρ' ἰαίν. θ.*, quod Dausqueo insulsum videtur, reponi iussit. Iam primam verbi *ἰαίνειν* ambigua esse mensura largior, producta vero vocalis partim augmento partim arsi debetur. Utrumque in longioribus potissimum formis sibi indulsit Quintus, augmenti igitur ope *ι* longum profertur VII, 340.

ᾧ ἔπι τυτθὸς ἐὼν μεγάλας φρένας ἰαίνεσκεν·

et XIII, 83.

— — — *μέγα δὲ φρεσὶν ἰαίνοντο.*

Sola arsis vi idem evenit IV, 402. praesenti

αὐτῆμαρ μορόεντος ὑπὲκ κακοῦ ἰαίνονται·

et aoristi primi optativo X, 327.

εἰσόκε σ' ἰήνειεν ἀνιηρῶν ὀδυνάων.

Neque alia aliorum desunt testimonia, vid. Hom. Od. 22, 59. Apoll. Arg. IV, 1096. Meleag. ep. V, 5. At multo crebrius Quintus pariter atque alii epici corripiunt vocalem, cuius rei, ut in nostro subsistamus carmine, exempla plurima licet colligere, vid. I, 317. 605. IV, 114. 142. 299. 578. VI, 127. VII, 63. 238. 684. 692. XI, 168. XIV, 408., quibus insuper annumerandus est passivi aoristus, cf. I, 75. 80. IV, 495. X, 334. XIV, 451. Ab iis nihilo distant duo alia, quibus Rhodomanni doctrina ab impotente Dausquei convicio egregie defenditur XI, 161.

— — — *Ἔρις δ' ἄρ' ἰαίνετο θυμῷ.*

et ib., 178.

ὣς ἄρ' ἰαίνετο Φοῖβος, ὅτ' ἔδρακεν ἐκ πολέμοιο
φεύγοντ' Ἀργείων πουλὺν στρατόν· — —

Ex his iam perspicimus, tum Rhodomannum vere iudicasse, tum idem remedium esse adhibendum ad XIII, 63., ubi Achivi, reditum in patriam auspicati, vento secundo ac tempestate serena laetantur:

— — — *Θέτις δ' ἴθυνε κέλευθα*
οὖρον ἐπιπροϊεῖσα· νόος δ' ἰαίνετ' Ἀχαιῶν.

Quibus ea, quae olim scripsi in mant. observ. p. 239., et augentur et confirmantur. Idem autem verbum, quod poetae nostro mirifice placuit, sagaciter restituit Lehrsius in quaest. epic. p. 312. libr. XIV, 299., dum emendat:

— — — — *ἦ γὰρ Ἀχιλλεὺς*
καὶ νέκυς ἡμετέρῳ ἔτ' ἰαίνεται αἵματι θυμόν.

Vulgare enim: *ἡμ. ἐνὶ μαίνεται αἵμ. θ.*, nemo poterit commode explicare.

Quod vero Neoptolemus se patris animum et gloriam adepturum esse sperat, id nemini nisi Pauwio excitavit suspicionem, observanti: ,,durius est *ἀρέσθαι μένος.*" Neque ipse intelligo, quomodo quis alius animum sibi possit colligere. At lenissima mutatione nomen Neoptolemi voto magis idoneum adsciscamus, dummodo scripseris *π. ἀταρβ. κλέος καὶ κῦδος ἀρέσθαι.* Quorum alterum, imagine a certaminibus petita, tritum est Homero, vid. animadversiones ad Il. 15, 461. post Koeppenii curas a me recognitas, neque id Quintus ignorat, ut XIV, 117., alterum idem suum fecit IX, 278.

νίκην ἱεμένους ἐρικυδέα χερσὶν ἀρέσθαι
καὶ κλέος ἐκ πολέμοιο δυσηχέος· — —

Si quis autem recepto et ubique propagato standum putaverit, ei figura, quae zeugma appellatur, in subsidium erit vocanda. Cui quidem opinioni videntur adesse ea, quibus gloria virtutis comes iudicatur, veluti VI, 46.

θάρσος γὰρ μερόπεσσι κλέος μέγα, φύζα δ' ὄνειδος.

Add. VII, 565. sq. XII, 265. Sed prius Neoptolemo divina patris virtute incalescenti accommodatius habuerim.

Navem, maris vada celeriter perarantem, scienter depingit poeta VII, 394. sqq.

νηῦς δ' ἔθεεν κατὰ πόντον, ἐπισπομένου ἀνέμοιο,
τυτθὸν ἐπιψαύουσα πολυῤῥοθίοιο θαλάσσης,
πορφύρεον δ' ἑκάτερθε περὶ τρόπιν ἔβραχε κῦμα.
αἶψα δὲ νηῦς μέγα λαῖτμα διήνυσε ποντοποροῦσα·
ἀμφὶ δέ οἱ πέσε νυκτὸς ἔπι κνέφας· ἡ δ' ὑπ' ἀήτῃ
πλῶε κυβερνήτῃ τε διαπρήσσουσα θαλάσσης
βένθεα. θεσπεσίη δὲ πρὸς οὐρανὸν ἤλυθεν ἠώς.

Hic quoque Homeri exemplar obversatum est Quinto, vid. Il. 1, 481. sqq. Od. 2, 427. Defectui autem quarti versus, in quo olim desiderabatur *νηῦς*, bene provisum est Rhodomanni sollertia, Dausqueo frustra iterum stomachante, cuius inventum: *αἶψα δέ τοι μ. λ.* admodum friget. Imo nomen bis positum isti numerorum inopiae, ut plerumque fit, dedit originem, neque eius generis repetitio ingrata et molesta fuit poetae. Qui, ut iam brevissime munere defungar, XIII, 312. sqq. ter *νηὸς*, III, 416. et 418. bis *παρὰ νηυσὶν* iteravit. In eiusdem clausula priscae editiones *προτοποροῦσα*, a Rhodomanno iure repudiatum, offerunt. Emendationem elegantem adiuvat Hom. Od. 11, 11.

τῆς δὲ πανημερίης τέταθ' ἱστία ποντοπορούσης.

Mallem fere ionicum Quinto redditum, quod ne Homero quidem invidendum putaverim: quandoquidem ille eius et infinitivum et participium agnoscit Od. 5, 276. sqq.

τὴν γάρ δή μιν ἄνωγε Καλυψὼ, δῖα θεάων,
π ο ν τ ο π ο ρ ε υ έ μ ε ν α ι ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἔχοντα.
ἑπτὰ δὲ καὶ δέκα μὲν πλέεν ἤματα π ο ν τ ο π ο ρ ε ύ ω ν,

quorum postrema totidem verbis redeunt 7, 267. Caeterum *διανύειν*, quod viam emetiri significat epicis inferioris aetatis est familiare, cf. Apoll. Arg. I, 935. Quint. VI, 113. XIV, 549. et similem nostrae abundantiam X, 446., nec multum ab utroque abest hymn. hom. in Ap. 108.

βῆ ῥα θέειν, ταχέως δὲ διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ.

Aurora oriente Neoptolemus et eius socii Troadis promontoria atque insulas adspiciunt, itinere propemodum exacto, VII, 401. sqq.

τοῖσι δ' ἄρ' Ἰδαίων ὀρέων φαίνοντο κολῶναι,
Χ ρ ύ σ α τε καὶ Σμίνθειον ἕδος, καὶ Σιγιὰς ἄκρη,
τύμβος τ' Αἰακίδαο δαΐφρονος· — —

Chrysae insulae priorem produci versus ostendit, eaque de caussa circumflexum illi imponamus oportet. Neque idem mendum tam diu ferendum erat XIV, 412., ubi Quintus de Argivis, reditum in patriam ingressis, canit haec:

— — *τοὶ δ' αἶψα παρ' ἀγχιάλοιο φέροντο*

ῥηγμῖνας Τενέδοιο· παρημείβοντο δὲ Χ ρ ῦ σ α ν,
καὶ Φοίβου Σμινθῆος ἕδος ζαθέοιό τε Κίλλης·
Λέσβος τ' ἠνεμόεσσ' ἀνεφαίνετο· — —

Similes nautarum cursus iisdem propemodum coloribus adumbrarunt alii, velut Apollonius Rhodius Argonautarum, cuius vestigiis, si recte iudico, Quintus institit, cf. I, 922. sqq. IV, 1228. sqq. ib., 1778.

Neoptolemus patris arma inhabili propemodum ad tractandum pondere ac magnitudine sine ulla molestia tollit et induit VII, 448. sqq.

— — — — *τῷ δ' ἅμα πάντα*
φαίνετο τεύχεα κοῦφα· κάρη δέ μιν οὔτε βάρυνε
π ή λ η ξ . . . ἀ λ λ ά ἑ χερσὶ, καὶ ἠλίβατόν περ ἐοῦσαν
ῥηϊδίως ἀνάειρεν ἔθ' αἵματος ἰσχανόωσαν.

Pauwius omnia, quae posterioribus comprehenduntur, de galea dicta esse ratus, imprudenter vituperat Quintum; nam Rhodomanni coniectura, *ἑ* vulgari *οἱ* substituentis, probata: ,,illud, inquit, *ἠλίβατον* de casside pessime tumet: nam quis ita loquitur sanus et sobrius?" Verum aestimatoris aequi erat, priusquam acerbius quid in poetam effunderet, rei momenta ponderare. Quod si fecisset, tumorem illum, de quo conqueritur, nullum esse profecto intellexisset. Ipsa enim verba, a casside maxime aliena, indicio sunt, mutilata et imperfecta nobis esse tradita. Itaque Tychsenius modestior et perspicacior Pauwio nomini *πήληξ* lacunae signum recte appinxisse videbitur, cf. commentat. de Quint. Sm. p. XCVI. Quantum vero iacturae fecerimus et e proximis et ex iis, quae de Achillis armis alibi legimus exposita, aestimare licebit. Homerus quidem, postquam clypei artem et imagines copiosius pertractavit, reliqua arma, Vulcani beneficio Pelidae fabricata, paucis complectitur Il. 18, 609. sqq.

αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε σάκος μέγα τε στιβαρόν τε,
τεῦξ' ἄρα οἱ θώρηκα, φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς·
τεῦξε δέ οἱ κόρυθα βριαρὴν, κροτάφοις ἀραρυῖαν,
καλὴν, δαιδαλέην· ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκεν·
τεῦξε δέ οἱ κνημῖδα ἑανοῦ κασσιτέροιο.

Quintus libr. V, 102. sqq., clypei praestantiam atque ornatum persecutus, galeam immensam, in qua Iovis et deorum pugna cum Titanibus commissa repraesentabatur, thoracem solidum, ocreas ingentes, gladium praelongum, balteo aureo, vagina argentea et capulo eburneo decorum, enumerat, iisque hastam a patre acceptam subiicit 118. sqq.

τοῖς δὲ παρεκτετάνυστο κατὰ χθονὸς ὄβριμον ἔγχος,
Πηλιὰς, ὑψικόμῃσιν ἐειδομένη ἐλάτῃσι
λύθρου ἔτι πνείουσα καὶ αἵματος Ἑκτορέοιο.

Eius mentio iterum fit infra, ubi Neoptolemus post longos labores hasta illa Eurypyli perfodit iugulum VIII, 199. sq.

— — — — *ὀψὲ δὲ μακρὴ*
Πηλιὰς Εὐρυπύλοιο διήλασεν ἀνθερεῶνος.

Transtulit autem hoc Quintus ab Homero, qui Achillis hastam, poetarum carminibus mirifice celebratam, ita solet appellare, caussa addita, unde illud nomen invenerit. Patroclus enim, amici armis in Troianorum terrorem instructus, hastam solam, nullius manibus tractabilem, relinquit, qua de re poeta Il. 16, 140. sqq. nos facit certiores:

ἔγχος δ᾽ οὐχ ἕλετ᾽ οἶον ἀμύμονος Αἰακίδαο
βριθὺ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ᾽ ἄλλος Ἀχαιῶν
πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἐπίσταται πῆλαι Ἀχιλλεύς·
Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.

Haec non modo iterantur, versu primo leviter immutato, Il. 19, 387. sqq., verum aliquanto saepius hastam Peliada commemoratam reperimus, uti 21, 162. 22, 133., nominativus denique, quo bis utitur Quintus, adest Il. 20, 277.

— — — — *ἣ δὲ διαπρὸ*
Πηλιὰς ἤϊξεν μελίη, λάκε δ᾽ ἀσπὶς ὑπ᾽ αὐτῆς.

Pervagata autem hastae Achilleae fama, *πήληξ*, quod ab iisdem exorditur litteris, postremo ultima Quinti verba, illi quidem aptissima, galeae nullo pacto congrua nomen eius hic excidisse, et lacunam, qua offendimur, peperisse nobis indicant; ad quod divinandum ne perfecti quidem opus est auguris. Primum enim librariorum socordiam, ab uno vocabulo

ad alterum sive idem sive simillimum aberrantem, hiatus et lacunas nostri posthomericis non ita raro intulisse experientia docti scimus, deinde hastam nota poetarum licentia sanguinis caedisque avidam dici nemo ignorat, poetarum graecorum lectione exercitatus. Pervulgata sunt homerica eius generis exempla, ut Il. 15, 542.

αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα,

aut 11, 574.

ἐν γαίῃ δ᾽ ἵσταντο, λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι. —

add. 5, 661. 15, 317. Quintus porro eadem fere, quae nunc tribuit hastae, iam supra V, 120. de ea praedicavit. Itaque versum integrum deesse crediderim, proximi autem initium haud dubie fuit *Πηλιὰς*, quacum reliqua sua sponte coeunt, nec quidquam coacti et expressi superest. Hastam enim, quam, Homero auctore, nemo alius vibrare poterat, etsi immanis erat oneris, facile sustulit Neoptolemus, etiam tum caedis appetentem. Nihil igitur pravi et inepti residet, nisi quod pronomen, sive *οἱ* sive *ἑ* cum Rhodomanno praetuleris, sententiae parum quadrat. Eius loco requisiverim idem, quo supra p. 119. V, 354. sanandum esse ostendi, *ὅγε* cum Neoptolemo coniungendum. Quae praeterea desiderantur, ea non tam galeam, de qua paullo ante Quintus exposuit, quam hastam spectasse arbitror. Arma vero alia, quod omnia ac singula Neoptolemo commoda fuisse bis affirmatur, silentio praeteriisse poetam non est mirum. Totum igitur locum ita fere constituendum putaverim:

— — — *κάρη δέ μιν οὔ τι βάρυνε*
πήληξ, οὔτ᾽ ἔγχος στιβαρὸν κατελείπετ᾽ ὀπίσσω,
Πηλιὰς, ἀλλ᾽ ὅγε χερσὶ, καὶ ἠλίβατόν περ ἐοῦσαν,
ῥηϊδίως ἀνάειρεν ἔθ᾽ αἵματος ἰσχανόωσαν.

Ac priora quidem poetam aliter quum scribere potuisse tum revera scripsisse minime negaverim, sed extrema vere reique convenienter mihi videor emendasse. Nam generis enallagen et Quinto, vid. V, 118. sq., et aliis usitatam nemo, opinor, mihi exprobrabit.

Achillis filius, patri et specie et fortitudine par, Danais multiplici clade afflictis optatum fert auxilium, cuius vim et

effectum duplici comparatione illustravit poeta VII, 455. sqq. Una harum Graecos, Eurypyli robore et Troum incursionibus pressos et circumventos, similes dicit nautis, quibus ventorum tempestatibus perculsis et insula deserta inclusis secundus adstrepit ventus, animosque fractos nova implet spe, altera ipsum Neoptolemum componit leoni in venatores, catulos e spelunca abducturos, horribili rugitu desuper irruenti. Qua ad finem perducta VII, 474. sqq. pergit hisce:

οἴμησεν δ' ἄρα πρῶτον, ὅπῃ μάλα δῆρις ὀρώρει
ἄμ πεδίον· τῇ γὰρ μὲν ἐπέπλετο τεῖχος Ἀχαιῶν
ῥηΐτερον δηΐοισι μετὰ κλόνον ἐσσυμένοισιν,
οὕνεκ' ἀκιδνοτέρῃσιν ἐπάλξεσιν ἠρήρειστο.

Versu secundo prius ferebatur: *τῇ γάρ σφιν ἐπ. τ. Ἀ.* Pauwius *μὲν* vel *τοι* suasit, e quibus illud adoptavit Tychsenius, Hermannus contra ad Orphic. p. 798. pronomen bisyllabum *τῇ γὰρ σφίσιν ἔπλετο τεῖχος Ἀχ.* melius censet. Non assentior: quod complementum eiusmodi et numerorum obest volubilitati, et Quinti sermonem parum recinit, si quidem ille nomine pronomini isti adiecto semper abstinet. Quare *σφίσιν* pariter ac *σφὶν* cum *δηΐοισι* conflari vetat atque interdicit. Imo ei ne praecedens quidem nomen aut pronomen congruum habetur. Unde Rhodomannus sapienter correxit II, 163.

— — *τάχα δέ σφιν ἐπήλυθε νήδυμος ὕπνος,*

in quo olim *τοῖς δέ σφ.* regnabat. Cuius emendationis veritatem exempla plura et ea certa demonstrant, ut III, 514.

καί σφιν ὀδυρομένοισι τάχ' ἤλυθε κυανέη νύξ

XII, 575.

— — *μάλα γάρ σφιν ἐπήϊεν ὑστατίη νύξ.*

Add. I, 161. 463. II, 220. 344. 578. V, 557. XI, 153. XIV, 522. Atque haec quidem particula vel adverbio distincta aut simplicem proferunt dativum, aut illum participio interposito, quemadmodum III, 514. evenit, accuratius definiunt. Cuius usum longe lateque per omnes Quinti libros diffusum licet reperire, verbi caussa II, 525.

τοὔνεκ' ἄρα σφίσι δῆριν ἴσην ἐτάνυσσεν Ἐνυὼ
πολλὸν ἐρειδομένοισιν ἐπὶ χρόνον ἐν δαῒ κείνῃ. —

cf. I, 50. 334. III, 588. 755. V, 492. IX, 116. XI, 18. 257. 500. XII, 7. 174. XIV, 360. 397. Nonnunquam participium nomine aliquo suspensum in genitivum abit ac pronominis praemissi dativo liberius solutiusque adhaeret. Quod bis invenitur, nomine *θυμὸς* intercedente, vid. XII, 163.

— — — *δίχα δέ σφισι θυμὸς*
ἔπλετ' ὀρινομένων· — — —

et XIV, 334. sq.

— — — — *γήθεε δέ σφι*
θυμὸς ἐελδομένων σφετέρην ἐπὶ γαῖαν ἱκέσθαι.

Eodem alia quaedam referamus necesse est, velut I, 546. sq.

— — *περὶ δὲ σφίσι χαλκὸς αὔτει*
κινυμένων· — — — —

pro quo XII, 175. dativus et metro et structurae convenientior legitur. Hac quidem observatione loco paene conclamato salutem et medicinam paratam crediderim. Exstant enim de Menelao atque Helena, dulci pristini amoris recordatione lacrymarum imbre genas irrigantibus, XIV, 171. sq. haec:

— — — — *καί σφιν ἄρ' ἀμφοῖν*
δάκρυ κατὰ βλεφάρων ἠλείβετο ἡδὺ γοώντων.

Iam genitivus, unde pendeat, manifestum erit; at nec particula consecutiva neque augmentum insolitum placet. Geminum autem vitium sine ullo propemodum negotio expellamus, duali advocato, scribentes:

— — — — *καί σφιν ἅμ' ἀμφοῖν*
δάκρυ κατὰ βλεφάροιιν ἐλείβετο ἡδὺ γοώντων.

Numerus autem coniugum amborum superciliis non minus quam unius cuiusdam consentiens est habendus. Rem vero conficit XIII, 535. sq.

— — — *περὶ δὲ σφίσι δάκρυ*
ἡδὺ κατὰ βλεφάροιιν ἐχεύατο μυρομένοισιν.

Ubi de Thesei filiis et Aethra, patris matre, illis cognata traduntur. Vocalis autem ante adiectivum *ἡδὺ* collocata nihil offensae habet, vid. de vers. Gr. her. p. 128. Sed ut ad id, a quo degressa est oratio, revertamur, *σφίσιν* aut *σφὶν* corruptum esse iam patebit. Neque tamen, libris tacentibus,

dirimere ausim, utrum Pauwii *μὲν* ad veritatem accedat, an *που*, quod mihi quidem magis arridet, illo lateat absconditum. Caeterum Quintum ad Homeri verba, quibus Andromacha Hectori marito suggerit consilium, respexisse neminem fugiet. Ait enim illa Il. 6, 433. sq.

λαὸν δὲ στῆσον παρ' ἐρινεὸν, ἔνθα μάλιστα
ἄμβατός ἐστι πόλις, καὶ ἐπίδρομον ἔπλετο τεῖχος.

Quo maiori autem dubitationi ista sunt obnoxia, eo certiorem versui proximo applicabimus medelam. Praepositio enim, qua murus Achaeorum hostibus in pugnam proficiscentibus, nec vero proelio instantibus et signa conferentibus, ad adscendendum facilior et minus impervius dicitur, affini *κατὰ*, qua quod opus est declaretur, nobis erit commutanda. Ac de ista vocularum *ἀνὰ* et *κατὰ* significatione in universum disputavi in dissertat. de harum vi et usu apud Homerum p. 29. et 31. Nec legem poetae auctoritate sancitam Quintus migravit. Sufficiat autem pauca eorum, quae nostra proxima attingunt cognatione, hic attulisse, velut III, 274.

ὣς Τρῶες φοβέοντο βίην Τελαμωνιάδαο
αἰὲν ἐπεσσυμένοιο κατὰ κλόνον. — —

VIII, 249.

— — — *μέγα δ' ἴαχε Τρωσὶ κελεύων,*
ἀντιάαν δηΐοισι κατὰ κλόνον. — —

vid. eadem VIII, 260. 367. IX, 92. 196. 300. XI, 262. XII, 291. Hom. Il. 16, 713. 789. *Ἀνὰ κλόνον*, quod plane idem est, crebrius etiam animadvertimus, cf. Quint. I, 558. II, 16. 39. 654. III, 263. VI, 389. 571. IX, 148. 252. XI, 140. 253. 437. XII, 88. Fidem augent synonyma, quorum unum alterumve saltem hisce adiungam. Ita *κατὰ μόθον* isti, quod hanc commentandi necessitatem nobis imposuit, simillimum superioribus propemodum convenit II, 323.

— — — *ἀνηλέα παιδοφονῆα*
νεκροῦ ἑκὰς σεύοντα κατὰ μόθον. — —

Ab his nihil differunt II, 517. V, 296. VI, 418. VII, 123. 270. VIII, 108. XI, 227. XIII, 156. 365., eique vicissim obstat *ἀνὰ μόθον* I, 133. 340. 539. III, 95. V, 204. 273.

533. VIII, 271. 276. XI, 292. 350. XIII, 168. XIV, 134. Verbo nec re discrepant IX, 544.

ἄλλος δ' ἄλλον ἔρειδε κατὰ στίχας· — —

et XIII, 51., ubi *κατὰ στίχας* *ordine* sive *deinceps* notat:

νισσόμενοι κλίμαξι κατὰ στίχας· — —

Sed dissimile totum VI, 294.

φαίνετο δ' ἶσος Ἄρηϊ μετὰ στίχας ἀΐσσοντι.

Etenim Mars nondum in pugna versari, sed bellum et aciem petere dicitur, eique Eurypylus, ordinum Troianorum ductor, confertur. Luculenter igitur apparet discrimen, quod inter utramque praepositionem interest, add. Homer. Il. 13, 298. sqq.

In minis, quibus Eurypylus terrorem iniicit Achaeis VII, 520. sq.

— — — — *ἀλλ' ἅμα πάντες*
κείσεσθ' ἐν κονίῃσιν ἐμοῦ ὕπο δῃωθέντες —

dialecti norma respuit vulgare *ἐμοῦ*, quod noster semper et ubique tenet ionicum; argumento sunt III, 346. V, 561. VIII, 439. VI, 24.

εἵνεκ' ἐμεῦ Ἑλένης τε κυνώπιδος, — —

Nec littera consonans mutat regulam, vid. V, 480. 551.

μέμβλετ' ἐμεῦ καὶ παιδός — — —.

Quid quod monosyllabum, si recte memini, nunquam aliter effertur a Quinto, vid. I, 560. III, 69. 77. 258. 475. VII, 268. VIII, 434. IX, 10. XIII, 275. 516.

Troes, subito Neoptolemi adspectu confusi et obstupefacti, retardantur viatorum instar, qui torrentem, e montibus vicinis aestu et fremitu proruentem, conspicati medio in itinere subsistunt VII, 545. sqq.

ὡς δ' ὅτε παιπαλόεσσαν ὁδὸν κατὰ ποσσὶν ἰόντες
ἀνέρες ἀθρήσωσιν ἀπ' οὔρεος ἀΐσσοντα
χείμαῤῥον, καναχῇ δὲ περιβρομέει περὶ πέτρῃ,
οὐδέ τι οἱ μεμάασιν ἀνὰ ῥόον ἠχήεντα
βήμεναι ἐγκονέοντες, ἐπεὶ παρὰ ποσσὶν ὄλεθρον
δερκόμενοι τρομέουσι, καὶ οὐκ ἀλέγουσι κελεύθου·
ὣς ἄρα Τρῶες ἔμιμνον, ἐελδόμενοί περ ἀΰτῆς,
τεῖχος ὑπ' Ἀργείων. — — — —

Qua in comparatione plura turbata esse iam priores animadverterunt editores. Nam primo versu praepositio *κατὰ*, tenore in paenultimam reiecto, aptius referetur ad nomina antecedentia, qua de re dixi in mant. observ. ad Quint. p. 229., add. dissertat. de vi et usu praepositionum *ἀνὰ* et *κατὰ* apud Homerum p. 12. et 33., idemque, quod de memoria exciderat, Hermann. occupavit ad Orphic. p. 806. Postea vir doctus scribi iussit v. 547.

— *καναχῇ δὲ περιβρομέει πέρι πέτρῃ.*

At hoc triplici de caussa vulgari posthabendum censeo. Primum enim *πέρι*, si non vitiose, certe insolenter est dictum; tum fateor quidem, utrumque cogitari posse: et *rupes circumcirca strepit sonitu*, et *sonitus circumstrepit circa rupem.* Neque illud incognitum est Quinto, qui nomen verbo composito ita iunxit aliquoties, veluti de Scyro insula tradit VII, 240.

— *τὴν μακρὰ περιβρομέουσι θαλάσσης*
κύματα, — — — —

de saltibus flammis ventorum afflatu adauctis stridentibus XIII, 490.

— *δολιχαὶ δὲ περιβρομέουσι κολῶναι,*

add. VII, 259., in quibus *ἀμφὶ* et *περὶ* ingeminantur, XI, 383. et affinem Apollonii Rhodii locum Arg. I, 879. Verum alterum ei non minus probari argumento est, quod arma circa pectora Martis in bellum tendentis resonare dicuntur IX, 221.

οἷος δ' ἐς πόλεμον φθισίμβροτον ἔρχεται Ἄρης
ἐμβεβαὼς ἵπποισι, περιτρομέει δ' ἄρα γαῖα
ἐσσυμένου, καὶ θεῖα περὶ στέρνοισι θεοῖο
τεύχε' ἐπιβρομέουσιν, ἶσον πυρὶ μαρμαίροντα.

Denique dativum *καναχῇ* minus probum habeo, neque ei veniam et accessum parabunt scopuli, taurorum mugitu reboantes, IV, 240. sq.

— — *περὶ δὲ βρομέουσι κολῶναι*
βρυχμῇ ὑπ' ἀμφοτέρων· — —

quod illic nomen praepositione constrictum tenetur, et *καναχῇ*, si bene memini, adverbii provinciam in se vix recipit. Quo factum est, ut nominis huius et primus et quartus casus,

verbis *εἶναι, πέλειν, ἔχειν* similibusque assumptis, rem, quae brevi poterat comprehendi, latius ostendat. Eo dicendi genere, ab Homero profecto, vid. ann. ad Il. 16, 794., Quintus praecipue delectatur, ut IX, 111.

— *καναχὴ δὲ κατὰ πτόλιν ἔπλετο πάντῃ,*

IX, 377.

— — — *καναχὴ δ' ὑπὸ ποσσὶ*
νισσομένων ἐτέτυκτο· — — —

add. II, 220. cll. Hom. Od. 20, 353. Il. 2, 93. 12, 35. Haec et alia non dissimilia quum saepissime obtineant, dativum male huc advocari mihi quidem certum est. Praeterea *περὶ* cum rupe sociandam alia similitudo, nostrae paene consentiens, magis etiam vindicat. Est illa de Philocteta insatiabili bellandi cupidine inflammato X, 170. sqq.

θῦνε γὰρ ἐν δηΐοισιν ἀτειρέϊ ἶσος Ἄρηϊ
ἢ ποταμῷ κελάδοντι, ὅς ἕρκεα μακρὰ δαΐζει
πλημμύρων, ὅτε λάβρον ὀρινόμενος περὶ πέτρης,
ἐξ ὀρέων ἀλεγεινὰ μεμιγμένος ἔρχεται ὄμβρῳ,
ἀέναός περ ἐὼν καὶ ἀγάῤῥοος, οὐδέ νυ τόνγε
εἴργουσιν προβλῆτες ἀάσπετα παφλάζοντα.

Priorem horum partem Homero acceptam refert Quintus, iis, quae in Il. 5, 87. sqq. de Tydidae alacritate praedicantur, in suam utilitatem conversis. Deinde versui 172. olim subtracta erat praepositio, ad quem defectum resarciendum Rhodomannus *ὀριν. κατὰ πέτρης* invectum voluit. Ei Pauwius, proximis *ἐξ ὀρέων* admonitus, recte adversatur, unum idemque bis inculcari absonum ratus; ipse vero maiora ausus nihil, quod poetae prodesset, extudit. Optime reduxit Tychsenius *περὶ*, quam Vindob. prim. et Venet. offerebant, sed genitivi loco dativum adoptatum mallem, et illo, de quo nunc agimus, testimonio et Matritens. duorum, eum manifesto exhibentium, suffragiis confirmatum. Eo quoque ducit numerus pluralis, qui singulari aptior eundem plerumque praebet casum, vid. XIV, 362. 475. 624. 626., sed loco communi utiliorem esse numerum simplicem docet eiusdem accusativus VII, 596. oblatus:

— — *ἀλλ', ὡς νιφάδες περὶ πέτρην*
πολλάκις ἠΰτησαν ἐτώσια· — —

Sed satis erit dictum de hoc versu; proximis duobus saluten reparavit Hermannus, qui corrigit:

οὐδέ τί οἱ μεμάασιν ἀνὰ ῥόον ἠχήεντα
δύμεναι ἐγκονέοντες, — —

Etenim frustra reposcebant Pauwius et Rhodomannus ἔτι, dum οἱ ad viatores torrentis vada reformidantes putabant adiungendum. Quapropter uni placuit: *οὐδ' ἔτι οἱ μεμάασιν ἀ. ῥ. ἠ.*, alteri *οὐδ' ἔτι οἵγε μέμασαν ἀ. ῥ.* Neutro opus est, quod *οἱ* torrentem respicit; ait igitur poeta: *neque omnino invadere volunt eius fluctus obstrepentes.* Atque de hoc quidem bene praecepit Hermannus, exordium vero sanum atque integrum esse alia ostendunt, velut X, 448.

οὐδέ τί οἱ κάμε γούνατ'· ἐλαφρότεροι δ' ἐφέροντο
ἐσσυμένως πόδες αἰέν· — — —

add. I, 330. 734. X, 450. XII, 544. XIV, 344.

Principio insequentis olim aderat *θύμεναι*, cui Rhodomannus *βήμεναι*, a Tychsenio instauratum, suffecit. At tantum abest, ut Vindobon. utriusque et Escurial. primi *θήμεναι* vitium tollatur, ut etiam augeatur. Quodsi quis recordatus fuerit, poetam de fluvio traiiciendo, nec vero de terrestri loqui itinere, cui *βήμεναι* expedit I, 438. 653., sponte incidet in praeclaram Hermanni emendationem, cui omnes veritatis notae impressae sunt. Sive enim prius vulgatum consideraveris, sive ad librorum varietatem attenderis, medicinam promptam et expeditam naevo inveterato admoveri senties. Novimus autem, *δύειν* et composita solis ac siderum mare subeuntium esse propria; neque opus erit ad homerica exempla, nemini ignota, provocare: nam ad id, de quo disputamus, probandum idonea Quinti adsunt, vid. I, 119. V, 368., ad deos sive homines, pontum et fluctus aut intrantes aut iis immersos, traducta sunt III, 787. V, 335. XIV, 542. 597. Infinitivo autem, qui hic legitur, subsidio sunt V, 225. XII, 283. XIII, 287. Adiectum denique participium, etsi verbi structura varia et multiplex est, cum alio infinitivo non ita raro contexitur, vid. I, 157. IV, 549. Aliquanto crebrius tempori finito est aptum, cf. IV, 412. 512. VII, 559. IX, 430.

436., in quibus conflanda prava interpunctione plerumque divelluntur. Pessime habiti sunt IX, 162. sq., quos supra restitui in melius p. 141.

Acacidae filius, Vulcaniis armis tectus, et ipse fidenti gressu circa murum spatiatur, et socios in pugnam propellit VII, 599. sqq.

τοῖς ἐπικαγχαλόων, κρατερὸς πάϊς Αἰακίδαο
φοίτα μακρὰ βοῶν περὶ τείχεϊ, πολλὰ κελεύων
ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα· οὕνεκα πάντων
πολλὸν ἔην ὄχ' ἄριστος, — — —.

Singula participiorum multitudine non minus implicantur, quam vitio, in tertio versu haerente, laborant. Nec vox et adhortatio Neoptolemi iterum iterumque audita valde placet. Incommodo, de quo primum admonui, interpungendo studui occurrere; deinde scribendum esse coniicias: *φοίτα μακρὰ βιβὰς π. τ.*, quo tum ingratam removeamus tautologiam, tum genus dicendi homericum lucremur. Etenim ille de Aiace Il. 15, 686.

ὣς Αἴας ἐπὶ πολλὰ θοάων ἴκρια νηῶν
φοίτα μακρὰ βιβάς, — — —

add. 7, 213. 15, 307. Od. 9, 450. et hisce affinia Il. 3, 22. Od. 11, 539., de scriptura autem ne inter veteres quidem arbitros convenisse ad Il. 7, 213. exposui. Sed nihil eiusmodi invenitur apud Quintum; Zenodotum porro interdum praetulisse *βοῶν* Homeri interpretes narrant, denique nostra vel Thersites homericus tutatur Il. 2, 224.

αὐτὰρ ὃ μακρὰ βοῶν Ἀγαμέμνονα νείκεε μύθῳ·

add. Quinti posthom. VII, 256. VIII, 259. IX, 147. XIII, 266. XIV, 260. Omnis igitur concidet suspicio, nec quidquam mutare licebit, etsi poetae loquacitas alias etiam molesta parum arridet.

Plus impedimenti obiicere proxima iam significavi. Atque in priscis quidem editionibus insidebant haec:

ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα θύναι, οὕνεκα πάντων —.

Quae quum numeros excederent, Rhodomannus *θύναι*, sive ex interpretatione, quae erat *δῦναι* aut *δύμεναι*, sive ex prava scribarum sedulitate natum, prudenter eiecit. Verum

enim vero Pauwius eam medelam et audaciorem et ineptam censet, quod pugnam maxime formidabilem appellaverit *ἀταρβέα*. Proinde corrigit ipse:

— — — — πολλὰ κελεύων
ἐς μόθον Ἀργείοισιν θάρσει ἰέν᾽, οὕνεκα πάντων—.

Haec vero tam absurde temereque sunt excogitata, ut nihil sit supra. Si quid autem vidit Batavus, in eo erit quaerendum, quod epitheton pugnae praesenti revera contradicit. Structuram tanquam novam et insolentem Quinto notare non debebat. Saepius enim, quam opinere, *ὀτρύνειν*, *ἐποτρύνειν* atque alia huius coloris verba praepositioni simplici, nomine belli adiuncto, apponuntur. Argumento sunt II, 362.

ἐγγύθεν ἱσταμένη, καὶ ἐπὶ μόθον ὀτρύνουσα.

VIII, 147.

τίπτε μ᾽ ἐπισπεύδοντα ποτὶ κλόνον αἱματόεντα,

XIII, 37.

— — — — οἱ δ᾽ ἐπίθοντο
ἐς μόθον ὀτρύνοντι, — — —

add. VII, 519. 553. VIII, 183. IX, 82. XII, 62. Quorum postrema XI, 445. sq. aliter distinguenda esse commonefaciunt. Virgula enim e superioris clausula sublata, uno omnia verborum ambitu comprehendantur oportet:

οἱ δὲ περιπτώσσοντες ἀμύμονος ἀνέρος ἀλκὴν
ἐς μόθον οὐκ ἔτ᾽ ἔμιμνον, — — —

neque interpres latinus poetae mentem est assecutus. Sed ut ad propositum redeamus, verbum a Rhodomanno proscriptum, quod insuper aspernantur libri tres, Tychsenius pariter atque Hermannus missum fecerunt. Ad hiatum, qui residebat, amovendum, ipse olim ultima praegressis arctius copulando lenem admodum adhibendam putavi medicinam:

ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα, τοὕνεκα πάντων
πολλὸν ἔην ὄχ᾽ ἄριστος, — — —

vid. mant. observ. ad Quint. p. 238. At vero id, re iterum deliberata, duplicem ob caussam sinistrum ac pravum videtur. Harum alteram, quae in nominibus durius nexis cernitur, supra indicavi, altera spectat Neoptolemum, cuius laudi et

decori parum erit honorificum, si solis Vulcani armis confisus omnibus virtute praestat. Insita enim animi generositas ac patris divini memoria potissimum effecerunt, ut tanta, quanta nemini alii fuit, excelleret fortitudine. Cui quidem opinioni favent proxima, quibus inexplebili pugnandi cupiditate et summo patris caedem ulciscendi studio eum incensum fuisse poeta affirmat. Haec quum ita sint, ut curis secundis, loco nostro navatis, prosper successus respondeat, vehementer opto. Crediderim enim eum perpurgatum fore, ubi refinxeris:

— — — — πολλὰ κελεύων
ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέσιν· οὕνεκα πάντων κτἑ.

i. e. *multis impellens in pugnam Argivos intrepidos.* Hoc igitur recepto, et hiatus et durities illa, de qua Pauwius conquestus est, evanescunt, neque formam, quam repeto, ignorat Quintus; scribit enim de Achillis et Memnonis commilitonibus II, 527.

αὐτοῖς ἠδ᾽ ἑτάροισιν ἀταρβέσιν, οἳ μετ᾽ ἀνάκτων
νωλεμέως πονέοντο μεμαότες, — —.

Eodem nomine, quo illorum socios insignivit, poeta dignatur Graecorum principes IV, 274.

— — τὰς δ᾽ αὐτοὶ ἐθηήσαντο ἰδόντες
ἥρωες κρατεροὶ καὶ ἀταρβέες, οὕνεκα πασέων
ληϊάδων προφέρεσκον ἐϋφροσύνῃ τε καὶ ἔργοις.

Quae quam congruenter nostris sint dicta, sua sponte apparet. Porro Troiani aliquoties vocantur intrepidi, vid. VI, 116. XII, 32. 64., tum tauri inter se decertantes IV, 238., denique Pavor ac Terror, Marte geniti, X, 57.

τὴν δὲ Φόβος καὶ Δεῖμος ἀταρβέες ἀμφεπένοντο,
πατροκασιγνήτην κρατερόφρονα κυδαίνοντες.

Ex singulis vero heroibus nomen, ut exspectare par erat, maxime conveniet Pelidae, cf. I, 101. III, 513. 522. 743. VII, 472. 727. IX, 46. XII, 74., semel Eurypylo VII, 622. datur, neque crebrius Palladi XIV, 450. Praeterea nulli alii nomini nisi *θυμῷ* adiunctum conspicitur, vid. II, 408. V, 215. VIII, 6. IX, 352. XIV, 115., nam quod uno loco *νόος ἀταρβὴς* legitur, id, priore accedente, aut parum aut nihil

obloquitur VI, 203.

— — — — καί οἱ ἀταρβὴς
ἔσκε νόος καὶ θυμὸς, ἐπεὶ Διὶ κάρτος ἐῴκει —.

Iam haec satis ostendere possint, pugnam ἀταρβέα neque aptam esse, neque unquam dictam Quinto. Achivis vero idem, quod Troianis, eorum inimicis et adversariis, tribuitur, recte dari eo minus negabimus, quo celerius ac facilius omnes molestias isto auxilio depulsas sentimus.

Ut Hectore Iovis benevolentia victore nox grata supervenit Achivis apud Homerum Il. 8, 487., et iidem 18, 241. sq. solis occasu a diurno respirant certamine, similiter exercitus uterque, aeri et longinquo belli labore exacto, apud Quintum a pugna abstinent et corpora curant VII, 623. sqq.

— — — οἱ δ' ἀγχόθι πύργων
βαιὸν ἀνέπνευσαν· καὶ δ' αὐτοὶ Τρώϊοι υἷες
ἀμπαύοντο μόθοιο δυςαλγέος, οὕνεκ' ἐτύχθη
φύλοπις ἀργαλέη περὶ τείχεϊ· — —

Haec persanata credidit Tychsenius, Pauwii coniectura versui 625. reddita, in quo antiquitus fuit:

ἀμπαύοντο μόθοιο δυςαλκέος, — —.

Dausqueus infeliciter, ut solet, δυςαέος suasit, Sophoclis memor, qui chorum Somnum hisce invocantem in Philocteta 816. sq. induxit:

Ὕπν' ὀδύνας ἀδαὴς, Ὕπνε δ' ἀλγέων,
εὐαὴς ἡμῖν ἔλθοις.

Verum ne illic quidem id satisfecit omnibus, etsi Hermannus et Ellendtus in lex. Sophocl. I. p. 698. idoneis argumentis contradicunt. Epicis autem ab Homero inde δυςαὴς proprio dicitur sensu, cadit ergo potissimum in ventos ac tempestatem, vid. Il. 5, 865. 23, 200. Od. 5, 295. 12, 289. 13, 99. Omitto alios, quod Quintum ab Homeri usu nihil recedere ostendisse satis erit. Ille igitur bis affert, primum XIII, 482.

ὁππότ' ἄρ' ἀντιπέρηθε δυςαέος Ἀρκτούροιο
βηλὸν ἐς ἀστερόεντα θυτήριον ἀντέλλησιν. —

deinde ib., 134.

καύματος ἐσσυμένοιο δυςαέος ἤματι μέσσῳ.

Quorum alterum ex Il. 5, 865., ubi singula fortasse noster iunxit inconsideratius, ducit originem. Proinde Pauwius iure meritoque respuit Dausquei inventum; at parum scienter receptum eo defendendum putat, quod ἀλκὴ idem aliquando sit atque ἄλκαρ, ἀλέξησις. Nam adiectivo neque ulla est fides, neque eo, quod vult, poterit significari. Alterum autem, quod Tychsenii tulit plausum, bonum commodumque videri potest in animum revocanti posthom. XIV, 68.

ὣς Δαναοὶ περὶ πάντες ἐγήθεον· οὐ γὰρ ἔτ' αὐτοῖς
μνῆστις ἔην καμάτοιο δυςαλγέος, οὐδὲ κυδοιμοῦ.

Sed ista differunt aliquantum. Illic enim diuturnae aerumnae operaeque finis indicatur, hic ab unius diei proelio, quo, si non maiore, certe pari et prospero eventu conflixerant Troiani, requiescere dicuntur. Itaque poetam ipsum melius Pauwio suae prospexisse sanitati existimaverim. Ille enim δυςηχὴς, quo Homerus aut mortem aut bellum solet appellare, vid. Il. 16, 442. 18, 464. 22, 180. cll. 2, 686. 7, 376. 395. 11, 524. 590. 13, 535. 18, 307., non iis concessit solis, veluti VII, 520. X, 295.

— — — — εἴτε σαῶσαι
μήδεαι ἐκ θανάτοιο δυςήχεος, εἴτε καὶ οὐκί·

ubi genitivus perperam fertur προπαροξυτόνως, et VI, 31. IX, 278. XI, 186. 387. XII, 225. XIII, 322. XIV, 123., verum aliis etiam similibus, ut imbri II, 351. XII, 504., ventis X, 70. XIV, 482., mari XII, 381., sagittae X, 235., luctui III, 519., nulli tamen saepius quam variis belli nominibus. Inde legimus VII, 125.

Πηνέλεων ἐρύσαντο δυςηχέος ἐξ ὁμάδοιο —

cf. XIII, 231., porro V, 36.

ὑσμῖναι ἐνέκειντο δυςηχέες· — —

XII, 206.

ἴσχεσθ' ἰωχμοῖο δυςηχέος· — —

Saepissime denique si ab eo, quod supra commemoravi, secesseris, adiectum reperitur vocabulo μόθῳ, cuius caussa haec disputamus, sicut I, 376.

οὐ γάρ πώ τι μόθοιο δυςηχέος ἀμφὶ πέπυστο —,

add. II, 166. III, 321. VII, 313. Ea quidem poetae consuetudo idem nostro loco reposcit. At δυςαλγὴς Quinto fuit cognitum. Quasi vero nesciam, quam multum eo sit usus, dum illud et creberrime adhibet, et Homeri accedit auctoritas, qua eadem fere committuntur Il. 7, 376. 395. Nihil igitur supererit dubii, quin emendemus:

ἀμπαύοντο μόθοιο δυςηχέος, — —.

Sicut pater filium, longo intervallo interiecto multisque laboribus exantlatis domum reversum, amplexu fovet, ita Phoenix Neoptolemo, Achilli vel forma ac specie admodum simili, circumfusus caput eius et pectus exosculatur VII, 640. sq.

ὣς ὁ Νεοπτολέμοιο κάρη καὶ στήθεα κῦσεν
ἀμφιχυθείς· καὶ τοῖον ἀγαζόμενος φάτο μῦθον·

Numeros geminam sibilam et acutum verbo requirere in mant. observ. ad Quint. p. 241. annotavi. Communi enim legi nostrum parere intelligimus ex multis, vid. IV, 271. 380. V, 399.

ἡ δέ ἑ κύσσεν ἑλοῦσ᾽, ἐπεί οἱ πέλε γάμβρος ἀμύμων,

sed alias prior corripitur, velut III, 606.

μήτηρ δ᾽ ἀμφιχυθεῖσα κύσε στόμα Πηλείωνος,

add. VII, 312, IX, 47. Quodsi metro una hic deerat mora, idem paullo post integra syllaba redundabat olim. Ante Tychsenium enim inerat in proximo *ἀγαπαζόμενος*, cuius tertiam recidi iussit Rhodomannus. Neutrum mihi probatur: alterum enim, etsi sententia commendari possit, numeri explodunt. Unde nihil proficimus Homeri versu, nostro fere congruo, Od. 17, 35.

καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

Cuius activum semel tantummodo admisit Quint. VII, 207.

— ἐγὼ δὲ μάλιστα φίλα φρονέων ἀγάπαζον.

Alterum, quod Rhodomannus reductum voluit, neque Homeri nec Quinti fide nititur; imo a plerisque inferiori demum aetati adscribitur. Quo factum est, ut praesens in Od. 10, 249. olim superstes, vid. Schol. Buttm. ad h. l., dudum abierit in aoristum primum, epicis perquam usitatum. Idem Quinto est tritus, veluti participium eius obtinet I, 783. XII, 102., et verbo dicendi adiuncto II, 156.

— τὸν δ᾽ ὁ γεραιὸς ἀγασσάμενος προσέειπεν.

Hinc verisimile erit, *ἀγαπαζόμενος* ex eodem male lecto atque intellecto esse exortum; praesertim quum Phoenix Neoptolemo adspecto, quippe qui patris os habitumque referat, non modo amore ac desiderio moveatur, verum etiam stupore defigatur. Iis enim, quibus in admirationem rapimur, illud adhibetur praecipue. Plenus exemplorum est Homerus, nec desunt Quinti, velut I, 353.

καί τις ἐνὶ Τρώεσσιν ἀγάσσατο μακρὰ γεγηθώς,

ac de Sinone praeter omnium spem atque opinionem animi audacia excellente XII, 246.

— τῷ καί μιν ἐΰφρονέοντ᾽ ἀνὰ θυμὸν
ἠῢς ἀγάσσατο λαός· — — —

Denique idem, quod Phoenix patitur, Achillis evenit ancillis Neoptolemi conspectu obstupefactis. Tanta enim eius et patris fuit similitudo, ut ipsa Briseis, gaudio et dolore confusa, Achillem ab inferis excitatum sibique redditum opinaretur. Atque de illis quidem verbum repetiit poeta VII, 722.

— — δμωαὶ δέ μιν ἀμφ᾽ ἀγάσαντο·

Rhodomannus ibi *ἀμφαγάσαντο* coniungendum statuit, Pauwio frustra dissentiente. Nam si poeta *ἀμφὶ* a verbo secretum maluisset, haud dubie *ἀμφὶ δέ μιν δμωαὶ ἀγάσαντο* vel simile quidpiam fuisset scripturus. Quemadmodum igitur *ἀμφαγαπάζω*, *ἀμφαγείρω τινὰ* in usu sunt, ita *ἀμφαγάσαντο* habebit, quo sese tueatur. Licebit igitur compositum, quae eo carent, lexicis adiicere. Si cui autem *ἀγασσάμενος* loco priori minus conveniens fuerit visum, is, per me licet, eligat *ἀγαιόμενος*, quod in Apoll. Argon. I, 899. offertur:

τὴν δ᾽ αὖτ᾽ Αἴσονος υἱὸς ἀγαιόμενος προσέειπεν.

Orationis disertae et paene eloquentis, qua Phoenix Neoptolemum compellat, naevos quosdam deterserunt alii, ut v. 653., ubi Amyntoris filius se Achillem reviviscentem sibi videri conspicere fatetur:

— — — ἐγὼ δ᾽ ἄρ κεῖνον ὀΐω
ζωὸν ἔτ᾽ Ἀργείοισι μετέμμεναι· — —

Wernick. ad Tryphiod. p. 173. scite instauravit bisyllabum: *ἄρα κεῖνον ὀΐω*, quod manifesto probat v. 695., cuius fecit

mentionem. Non ita multo post Phoenix se nunquam Achillis esse obliturum affirmat VII, 659.

ἀλλὰ, τέκος, κείνου μὲν ἐ γ ὼ ο ὐ λήσομαι ἦτορ
ἀχνύμενος· — — — —

Quibus pariter detracta est littera, qua erat opus. Hiatus enim, ut plenam adsciscamus formam: *ἐ γ ὼ ν οὐ λήσ.*, postulat. Hoc iterum pro praeclara, qua excellebat, epici sermonis scientia perspexit Rhodomannus, a quo casu magis quam consilio aberravit Tychsenius. Nec quisquam dissidebit, inspectis iis, quae illud extra omnem ingenii aleam ponunt, veluti V, 307.

Αἶαν, ἐ γ ὼ ν ο ὐ σεῖο κακώτερος ἔλπομαι εἶναι.

XIV, 156.

οὐ γὰρ ἐ γ ὼ ν ἐθέλουσα λίπον σέο δῶμα καὶ εὐνήν,

add. IX, 518. VII, 187. 190. Contrarium vitium eximendum est ex Aiacis dictis, se diis invisum esse acerbe querentis V, 465.

ὢ μοι ἐ γ ὼ ν, τί νυ τόσσον ἀπέχθομαι ἀθανάτοισιν.

In quibus et *ν* supervacaneum delendum et accentum, exclamandi particulae inditum, mutandum esse iam Ulixes homericus ostendit Od. 5, 299.

ὤ μ ο ι ἐ γ ὼ δειλός· τί νύ μοι μήκιστα γένηται;

add. ib., 356. 409. 465. et Quint. III, 560.

ὤ μ ο ι ἐ γ ὼ πάντων περιώσιον αἰνὰ παθοῦσα.

Sed recurrit tenoris pravitas posthom. V, 532. Pronomen autem consona instante littera finali recte carere pluribus demonstrare nihil attinet, vid. tamen Quintum ea in re sibi constantem II, 610. III, 611. IV, 308. V, 185. 215. 260. 271. 295. VII, 207. 277. 692. VIII, 470. IX, 55.

Postea Argivi et lautis epulis et donis magnificis excipiunt Neoptolemum, dum ipse Agamemno rex, de eius adventu laetatus, recens advectum benigne compellat VII, 687. sq.

— — — — τῷ δ᾽ Ἀγαμέμνων,
πόλλ᾽ ἐπικαγχαλόων, τοῖον ποτὶ μῦθον ἔειπεν·

Laborare haec ex interpunctionis perversitate nemo non videt; neque id memoratu esset dignum, nisi in errore perstaret interpretatio latina, dum graeca reddit: „*quem Agamemnon*

magna voluptate perfusus his verbis compellat." Verum dativus participio erat obstringendus, atque omnia una verborum complexione devinciantur necesse est. Ait enim poeta: *de quo Agamemno multum laetatus hisce exorsus est,* cf. I, 161. 643. VIII, 409.

Sub finem Neoptolemus patris tentorium ingressus comparatur leonis catulo, qui, parente a venatoribus domito, in antrum revertitur. De quo poeta VII, 715. sqq. sic tradit:

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ἄγκεα ῥ ω π ή ε ν τ α
σμερδαλέοιο λέοντος ὑπ᾽ ἀγρευτῆρσι δαμέντος
σκύμνος ἐς ἄντρον ἵκηται ἐΰσκιον, ἀμφὶ δὲ πάντη
ταρφέα παπταίνει κ ε ν ε ὸ ν σπέος, ἀθρόα δ᾽ αὖτε
ὀστέα δερκόμενος κταμένων πάρος, οὐκ ὀλίγων περ,
ἵππων ἠδὲ βοῶν, μεγάλ᾽ ἄχνυται ἀμφὶ τοκῆος·
ὣς ἄρα θαρσαλέοιο πάϊς τότε Πηλείωνος
θυμὸν ἐπαχνώθη. — — —

Omnia propemodum a Rhodomanno, quem Tychsenius est secutus, bene constituta esse videntur. At nihilominus haereo in epitheto *ῥωπήεντα*, pro quo priscum erat *ῥιπήεντα*. Illud quidem ridiculum admodum est, quod leonem non inter arbusta delitescere, et in aperto campo, ubi pluribus venatoribus vires explicandi sit locus, peti et domari dixit Dausqueus. Unde *ἄγκεα ῥιπήεντα* miro sane modo valles vento perflabiles explicat. At vero nulla omnino huic rationi est fides, nec valles et saltus spectant leonem interfectum, sed eius catulum per silvas et anfractus in antrum opacum venientem, quod Dausqueo recte opposuit Pauwius. Optandum autem erat, ut vel ipse vel Rhodomannus adiectivum *ῥωπήεις* nobis comprobassent, quod, ab homerico *ῥωπήϊα* ductum, etymo parum consentiens iudicaverim, tametsi recentissimos quosque lexicographos, ut Schneiderum, Passovium, editores Steph. thesauri Britannos, nostro exemplo contentos esse scio. Neque vero aliud eius in Quinti carminibus apparet vestigium, nisi quod I, 7. *ῥωπήϊα πυκνὰ* de Homeri more scripsit. Quare dubii aliquid mihi residere nemo mirabitur. Iam si Quinti solius iudicio stabimus, nec Dausquei *ποιήεντα*, neque aliud eius generis, quorum plurima expromere liceat, huc arcessendum

erit. Ille enim praeterquam quod *ἄγκεα μακρὰ* crebrius iunxit, vid. I, 283. 626. 687. II, 382. III, 268. VI, 268. 612., semel habet X, 416. *ἄγκεα πολλὰ*, nec saepius *ἄγκος δάσκιον* XII, 490., unum dumtaxat numeris accommodatum praebet XII, 122. *ἄγκεα τηλεθάοντα Ἴδης ὑψικόμοιο*. Sed id a vulgari longius abest, ideoque vix impetrabit aditum. Nescio, an et corrupto et sententiae apta sint habenda *ἄγκεα ὑλήεντα*. Hiatum certe, qui eo inferatur, non magnopere extimescendum esse Quintus ipse docet, cf. III, 325.

εὖτ' ἄνεμοι θοὰ φύλλα κατὰ χθονὸς ἀμφιχέωνται
λάβρον ἐπιβρίσαντες ἐπ' ἄλσεα ὑλήεντα,

add. XIII, 395. Verum in re incerta admodum et ancipiti nihil decernam. Sicut autem de ista Rhodomanni emendatione iure disceptabimus, ita idem verissime correxit v. 718. *κενεὸν σπέος*. Quod enim antiquiores occupabat *κεῖνο σπέος*, id sine idonea caussa servandum duxerunt Pauwius et Dausqueus. Hunc magis etiam fefellit *κοινὸν*, Quinto inauditum, novit enim huius loco solum *ξυνὸς*, vid. I, 417. VII, 63. Sed omnium optimum *κενεὸν* erit habendum: primum quod *κεῖνο* notum et celebre significat antrum, cuius rei nullum prorsus est indicium, deinde antrum domino vacuum aliis refertum esse potest, ideoque *κενεῷ* ossa animalium coacervata eleganter opponuntur, denique id ipsum, quod praeferendum existimamus, aliis iisque idoneis ac tutis exemplis potest stabiliri. Ita mulieres Achaeorum cum parvulis pueris vacuis in lectis, quibus Dausqueus non offenditur, desiderio tabescere dicuntur III, 406.

αἵ που ὀδυρόμεναι μίνυθον κενεοῖς λεχέεσσιν
νηπιάχοις σὺν παισὶ — — —

add. XII, 494. *δόμον κενεὸν*, ib., 489. *ἐρημαίην καλιὴν*, VII, 333. *χήρην καλιὴν*, quae iam supra p. 88. attigi.

Die exorto Neoptolemus milites cohortatus patris arma induit, et in pugnam procedit soli ex Oceano surgenti fulgore similis VIII, 28. sqq.

οἷος δ' ἐκ περάτων ἀμφαίνεται ὠκεανοῖο
ἠέλιος θνητὸν ἐπὶ χθόνα πῦρ ἀμαρύσσων,
πῦρ, ὅτε οἱ πώλοισι καὶ ἅρματι συμφέρετ' ἀστὴρ

Σείριος, ὅςτε βροτοῖσι φέρει πολυκηδέα νοῦσον·
τοῖος ἐπὶ Τρώων στρατὸν ἤϊεν ὄβριμος ἥρως,
υἱὸς Ἀχιλλῆος· — — — —

Tota comparatio petita est ex Homeri Iliade, quae Achillem Vulcani donis splendentem et Troianis perniciem minitantem cum Sirii igni, hominibus miseris inimico, confert libr. 22, 25. sqq. Eiusdem stellae ortum nautis esse timendum supra indicavit Quintus VII, 303. sqq., pari propemodum genere dicendi usus. At illorum exordio verbum male coaluit in trisyllabum. Cuius, si ad epicorum attendimus sermonem, in ea versus regione nihil esse potest loci; quod ista ad numerorum et elegantiam et celeritatem una cum proxima plenam requirit praepositionem. Atque praesentis quidem et imperfecti exempla noster praebet XII, 55.

σήματα δ' οὐκ ἀτέλεστ' ἀναφαίνεται ἄλλοθεν ἄλλα.

XIV, 414.

Λέσβος δ' ἠνεμόεσσ' ἀνεφαίνετο· — —

V, 65.

χερσὶν ἀμοιβαδίης· ἀνεφαίνετο δ' ἄσπετον ἔργον·

Neque aliter res se habet in quinto pede XII, 127.

— — — νάπη δ' ἀνεφαίνετο πᾶσα
θήρεσιν οὐκέτι τόσσον ἐπήρατος, — —

XIII, 218.

— πάντη δὲ μέλας ἀνεφαίνετ' ὄλεθρος.

Tenuit autem poeta legem ab Homero latam, quandoquidem ille stellae eius lucem Il. 11, 62. describit hisce:

οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστήρ.

Ab altero Quinti exemplo non ita multum absunt Il. 11, 174. et 17, 244.

Ἕκτωρ, ἡμῖν δ' αὖτ' ἀναφαίνεται αἰπὺς ὄλεθρος.

Cum iis aliorum consentit ratio, velut Dionysii Periegetae, qui verbo isto, carminis argumento valde idoneo, delectatur, vid. v. 295.

τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην ἀναφαίνεται Ἄλπιος ἀρχὴ,

cll. 488. 536., Nonni in Dionysiac. IV, 355.

ἁβρὸς ἀεξομένης ἀνεφαίνετο καρπὸς ἀρούρης. —

Pauli Silentiarii in Amb. 201.

λάεσι πυργωθεὶς ἀναφαίνεται ὄρθιος ἄμβων.'

Oppianus integrum suisque numeris absolutum quintae potissimum versus regioni inserit, ut Halieut. II, 572.

— — *πόνος δ' ἀναφαίνεται ἀλκῆς.*

Cf. ib., 609. IV, 432. His igitur si fides habenda est, superiori Quinti versui reponemus:

οἷος δ' ἐκ περάτων ἀναφαίνεται ὠκεανοῖο. '

Forma autem syncopa decurtata eiusmodi dumtaxat congruet locis, qualis est Theocriti in Id. XXIV, 12.

ἆμος δὲ στρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύσιν ἄρκτον
Ὠρίωνα κατ' αὐτὸν, ὁ δ' ἀμφαίνει μέγαν ὦμον.

Neque eius syncopam clausula spondaica, cui *ἀμπνείεσκον* V, 109., *ἀμπνεύσωμεν* I, 197. VI, 306. aliaque eiusmodi apta habentur, unquam recepit apud Quintum. Praeterea iniuste exprobat poetae inopiam Pauwius, dum ait: „*ἐκ περάτων ἀμφαίνεται.* Quam indignum hoc, ubi paullo ante similiter dixerat *ἐκ περάτων ἀνιόντος*?“ Nam primum ad id ipsum, a quo deflexit, cum vi quadam et gravitate redit oratio, deinde idem epicis satis est frequens, uti noster de Aurorae ortu IX, 1. et in similitudine ei, quae hic legitur, paene congrua II, 208.

οἷος δ' ἐκ περάτων γαιηόχου ὠκεανοῖο
ἔρχεται ἠέλιος φαεσίμβροτος οὐρανὸν εἴσω, —.

Priori autem et Manetho III, 176. et Apollonius, cui Quintus obsecutus esse videtur, Argon. II, 165. adsunt:

ἦμος δ' ἠέλιος δροσερὰς ἐπέλαμψε κολώνας
ἐκ περάτων ἀνιὼν, ἤγειρε δὲ μηλοβοτῆρας.

Quo loco Wellaueri editio ex typothetarum, ut puto, negligentia vitiose resecuit adversativam, exhibens: *ἦμος ἠελ.*, vid. II, 720. IV, 885. 1629. et Quint. I, 826. II, 183. VII, 1. VIII, 1. IX, 38.

Achivis hostem invadentibus Neptunus Troianos plures, quibuscum forte contulit gradum, obtruncat; inter hos Polynus et Hippomedon enumerantur VIII, 86.

τῷ δ' ἄρ' ὁμῶς Πολυνόν τε καὶ Ἱππομέδοντα κατέκτα,
τὸν μὲν ὑπὸ κραδίην, τὸν δὲ κληῗδα τυχήσας.

Sed illius nomen, a qua stirpe sit ortum, parum perspicio. Nam si ab adiectivo *πολὺς* profectum statueris, nihil eius simile unquam reperies; sin autem ex illo et *νόος* conflatum volueris, aut *Πολύνουν* aut *Πολύνοον*, sicut *Ἀλκίνοον*, *Ἀντίνοον*, *Εὐθύνοον* novimus, exspectandum fuisse apparet. Nec forma in *ῑνος* desinens, quam *Ἀρχῖνος*, *Καλλῖνος* aliaque prae se ferunt, etsi de eius origine dubitant, vid. Goettling. de acc. p. 201., ullo modo ad nostrum poterit transferri. Iam quum Hippomedon sive ab equestri arte, sive ab eo, quod equis alendis dederit operam, nomen invenerit, in altero etiam, quod cognatione quadam illi sit iunctum, quaerendum esse coniicias. Quanta vero epicis copia sit nominum, quae ab illo ducantur etymo, solius Quinti testimonio iam demonstrabo. Ab eo igitur praeter Hippasum Thessalum XI, 87. et tres alios patre eiusdem nominis natos I, 279. VI, 562. IX, 150., Aeolum denique Hippotaden XIV, 477., iam ex Homeri Odyssea cognitum, afferuntur Hippalmus, a Penthesilea interfectus, I, 229., Hippolochus, Glauci pater, III, 237. 278. IV, 1., Hippomenes, Teucri socius, ab Agenore caesus, VIII, 311., Hipponous Tros, Achillis hasta perfossus, III, 155., praeterea Hippomedontes duo XI, 36. 99. Ad viros accedunt feminae, velut Hippodamia utraque, altera Antimacho, altera Oenomao nata I, 404. IV, 529., Hippothoe, Penthesileae comes, I, 44., Hippolytae duae, altera eiusdem reginae soror, altera princeps Amazonum, ab Hercule victa, I, 24. VI, 242. Neque tamen semper et ubique priorem compositi partem facit *ἵππος*, sed non ita raro alii cuidam subiicitur; indicio sunt apud Quintum III, 230. Aganippus, II, 365. Alexippus, I, 229. Elasippus. Omitto alios vel eadem vel simili de caussa appellatos, ut Homeri *Ἐχεπώλους* Il. 4, 458. 23, 296. Quibus aperte declaratur, iis non semper artis militaris scientiam, verum etiam principum opulentiam et studium significari. Neque ita multum ab hisce distant nomina ab aliis animalibus repetita: sic Eumelum, Admeti filium, ab eximiis gregibus, Apollinis cura adauctis, nomen tulisse probabiliter statuamus, cf. Il. 2, 764. Od. 4, 798. Quint. IV, 503. 522. XII, 324., nec Polymele, Phylantis

filia et Eudori mater, cuius Homerus Il. 16, 180. meminit, aliunde erit vocata. Cognata illis sunt ea, quae boum praestantiam multitudinemve respiciunt. Horum plurima feminarum esse solent, quod epitheton earum *ἀλφεσίβοιαι*, vid. Il. 18, 593., iam prodit. Quo ex numero sunt Eeriboea, Eriboea, Euboea, Meliboea, Sthenoboea, Polyboea, Periboea, quam scite restituerunt Quinto VII, 610., cf. Dausqueum et Homeri Il. 21, 142. Od. 7, 57. Sed nec principum et heroum sunt ignota et rara, quemadmodum Butes et Butadae Athenienses neminem fugiunt, neque Eribotes Argonauta. At haec generatim sunt dicta, propiores vero et magis proprii sunt Bucoliones, quorum unum, Laomedonte genitum, Homerus recenset Il. 6, 22., alterum Argivum Quint. VI, 615., tum maxime Polybi, quorum memoria late patet: solus enim Homerus quinque cognomines enumerat. Unum Troianum, Antenoris filium, Il. 11, 59., duos Ithacenses, alterum Eurymachi, qui principatum inter Penelopae procos cum Antinoo tenebat, patrem, vid. Od. 1, 399. 15, 518. 16, 345. 434. 18, 349. 20, 359. 21, 320., alterum et ipsum procorum unum, ab Eumaeo postea necatum, Od. 22, 243. 284., tertium Aegypti regem, Alcandrae maritum, Od. 4, 126., quartum denique artificem Phaeacem, qui sphaeram pulchritudine insignem fecerat, 8, 373. Is vero non a bubus, sed a coriis bovinis, quibus operatus est, nomen accepit. Omnium porro celeberrimus est Polybus, Corinthi rex, ad quem Oedipus puer delatus esse traditur. Cui non minus, quam Periboeae uxori, quam Sophocles in Oed. Tyr. 775. Meropen vocavit, nomen a gregum multitudine erat impositum. Jam quum haec eiusmodi sint, ut nomina inde deprompta trita usitataque fuisse manifesto comprobent, *Πολυνὸν*, et forma et accentu suspectum, illo commutandum esse non sine magna veri specie affirmaverim. Itaque legam apud Quintum:

τῷ δ' ἄρ' ὁμῶς Πόλυβόν τε καὶ Ἱππομέδοντα κατέκτα.

Singulis a singulis occisis Eurypylus, corporis robore ac viribus praevalidus, multos deiicit Achivos et alios et Harpalum, Ulixis comitem. Eius mortem, rege absente, Antiphus ulturus hastam vibrat in Eurypylum, quae ab illo aberrans

percutit Milanionem, de cuius parentibus Quintus exponit VIII, 119. sqq.

— οὕνεκά οἱ κρατερὸν δόρυ τυτθὸν ἄπωθεν
ἔμπεσε Μειλανίωνι δαΐφρονι, τόν ποτε μήτηρ
γείνατο πὰρ προχοῇσιν ἐϋῤῥείταο Καΐκου,
Κλειτὴ καλλιπάρῃος, ὑποδμηθεῖσ' Ἐρυλάῳ.

Patris nomen, quod metro repugnante *Εὐρυάλῳ* erat, vario admodum modo emaculandum putarunt. Sed coniuncta Rhodomanni, Brodaei et Dausquei opera nihil, quod satisfaceret, protulit. Itaque Pauwius, vanos illorum conatus indignatus, nemini Eryalum ex Homero inter Troianos notum in mentem venisse miratur, et poetae subsidio fretus *ὑποδμηθεῖσ' Ἐρυάλῳ* scribi iubet. Sed animo nimis credulo vulgo propagatum concepit, nec dispexit. Eo tamen aut nihil aut parum fructus ad nostrum redundat. Haeret enim mensurae vitium, eoque permoti ipsum Homeri locum sub iudicium vocarunt doctiores. Agit ille de Patroclo Troum principes obtruncante Il. 16, 411.

αὐτὰρ ἔπειτ' Ἐρύαλον ἐπεσσύμενον βάλε πέτρῳ
μέσσην κὰκ κεφαλήν· — — — —

Iam libri illic quoque *Εὐρύαλον* aut *Ἐρύαλον*, quod plerique tulerunt patientius, suppeditant. Verum quum neutrum horum numeris conciliari possit, Heynius ex Harlei., quocum Mosq. sec. conspirat, *Ἐρύλαον* recepit. Neque id ab heroicae aetatis indole atque usu alienum censet Buttmannus in lexil. I. p. 148. not., neque eius potestati Homerus ipse contradicit, qui de Hectore, cuius robore solo Troiana stetit res, Il. 6, 403.

— οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ.

Unde isti emendationi, qua numerorum integritati provisum est, et Bothius patrocinatur, et ipse locum concessi. Idem in Quintum traduxit Tychsenius, librorum ope non prorsus destitutus. Vindobon. enim primus *Εὐρυλάῳ*, cui in margine *Ἐρυλάῳ* adscribitur, praebet. Omnis autem ambigendi caussa esset praecisa, si vere traderet Schowius ita commentatus: „si recte memini, eadem genealogia apud Tzetzen in Lycophrone, cuius igitur auctoritate stabiliri possit codicis veritas.“

At fallitur; nam nihil eiusmodi, quantum indagare licuit, neque a Tzetza neque ab alio quoquam allatum video, ac de Milanione isto altum est silentium. Nihilominus et origo et forma numeris respondet, eaque de caussa Tychsenium provincia recte functum crediderim, nec matris appellationi nomen paternum inimicum erit habendum. Bene enim uxorem principis, qui populi sui columen est et praesidium, *Claram* sive *Clitam* vocabimus. At id ipsum, si non falsum et perversum, lubricum certe et ambiguum videtur. Nulla enim de eius tenore inter grammaticos veteres pariter ac recentiores conveniens et coniuncta est constantia.

Lex quidem technicorum pervulgata, ut propria ab attributis accentus nota discernantur, flagitat. Quae si valet, *Κλεῖτον* et *Κλείτην* tenorem in priorem remittere consequens est, nec dissentit Lehrsius de stud. Aristarch. hom. p. 291. At ei adversatur Goettlingius de accent. p. 223. sub finem, qui pleraque quidem bisyllaba, quae propria sunt, barytona censet, *Κλειτὸν* vero tenorem in ultima servare dicit. Confirmare id scribit interpretem Iliadis homericae Venetum ad libr. 15, 445., qui praecipiat haec: *Κλειτὸς ὄνομα κύριον, ὀξυντέον δὲ ὁμοίως τῷ ἐπιθέτῳ, ἐπειδὴ κόσμου ἐστὶ τὸ ἐπίθετον.* Atque huic decreto assentitur Arcadius de acc. p. 78, 6. *Τὰ εἰς τος δισύλλαβα παραληγόμενα τῇ ου ἢ οι ἢ αι διφθόγγῳ, μὴ τῇ ει, ἀρσενικὰ ὄντα, μὴ ἐπιθετικά, βαρύνεται, εἰ μὴ μέρος σώματος σημαίνει, πλοῦτος, οἶτος, προῖτος, γοῖτος ὁ ῥύπος, λαῖτος, βροῦτος. τὸ δὲ* κ λ ε ι τ ὸ ς *ἔχει τὴν ει· καὶ τὸ γλουτὸς σώματος μέλος δηλοῖ· καὶ τὸ βουτὸς θηλυκόν, κώμη Αἰγύπτου καὶ τὸ παιτὸς ἐθνικόν.* Sed ut ordine procedamus, quid alii de tenore et proprii et adiectivi statuerint, primum complectamur, deinde scriptorum usum inspiciamus. Illius ergo meminit Choeroboscus de orthograph. in anecd. Cramer. II. p. 231, 7. *Κλειτοφὼν* (imo *Κλειτοφῶν*)· *ει δίφθογγος παρὰ τὸ κλείω, ὃ σημαίνει τὸ δοξάζω, γέγονε κλειτός, καὶ ἐκεῖθεν Κλειτοφῶν· κλειτὸς γὰρ ὁ ἔνδοξος.* Haec olim pleniora fuisse scriptor Etymol. M. p. 517, 48., qui, ut saepe solet facere, Choerobosci librum consuluit, aliqua ex parte docet: *Κλειτός· ἐκ τοῦ κλέος γίνεται κλέω· καὶ πλεονασμῷ*

τοῦ ι κλείω· σημαίνει τὸ δοξάζω. ἐκ τούτου γίνεται κλειτὸς καὶ Κλειτοφῶν καὶ Κλειταγόρας. Sed ista, quae apud Choeroboscum distracta et inter singula eius generis nomina distributa sunt, diphthongum potius quam accentum spectant, neque hunc attigit aut Hesychius II. p. 274. aut Suidas II. p. 328. aut Zonaras 1216. v. *κλειτός*. Phavorinus autem non tam proprium quam appellativum p. 432, 6. oxytonis annumerat hisce: *κλειτός· ἔνδοξος καὶ κλυτὸς ὀνομαστός· οὐκ ἀντιστρέφει δὲ* (add. *τὸν τόνον*)· *οὐ γὰρ εἴ τις κλυτὸς ὁ* (leg. *καὶ*) *ὀνομαστός, οὗτος καὶ κλειτὸς ἤγουν ἔνδοξος. πολλοὶ γὰρ ἐπὶ κακίᾳ ὀνομαστοί.* His igitur accentus immobilitatem ex eo repetit, quod nulla sit potestatis immutatio. Sed quum ad proprium laudis ac gloriae notio haud dubie accedat, id, si quando obvenit, barytonum sive properispomenum esse iure possimus colligere. Quod ita planum est et perspicuum, ut alii veterum, si fieri poterat, proprio reiecto illud potius existiment, alii utrumque tenore discernendum esse minime negent. Prius amplectitur scholiasta Leidens. ad Il. l. l., dum ait: *ἀμφίβολόν ἐστι πότερον τὸ* κ λ ε ι τ ό ν *ἐστιν ὄνομα ἢ τὸ* ἀ γ λ α ό ν. *καί τινες μὲν τὸ* Κ λ ε ι τ ό ν *φασι παράλογον· Κλεῖτον γὰρ ἔδει εἶναι πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ κλειτόν, ὃ σημαίνει τὸν ἔνδοξον. ἄμεινον οὖν τὸ μὲν* κ λ ε ι τ ὸ ν *ἀντὶ τοῦ ἔνδοξον, τὸ δὲ* Ἄ γ λ α ὸ ν *ἀντὶ κυρίου ὀνόματος ἐκλαμβάνειν.* Quibus dubitandi et caussa et ratio, ex qua res dirimenda sit, patefacta erit. Itaque Eustathius ad Il. p. 1025, 4. proprium, ut barytonum, tutatur hisce: Κ λ ε ῖ τ ο ς *δὲ ἦν ὁ τοιοῦτος ἀντιτονούμενος τῷ* κ λ ε ι τ ῷ *ἤτοι ἐνδόξῳ.* Neque eum inscite iudicasse Clitus, Mantii filius, cuius memoria exstat in Od. 15, 249. sqq., prodit:

Μάντιος αὖ τέκετο Πολυφείδεά τε Κ λ ε ῖ τ ό ν *τε·*
ἀλλ' ἤτοι Κ λ ε ῖ τ ο ν *χρυσόθρονος ἥρπασεν Ἠὼς*
κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.

Quo, ut suae sententiae fidem augeat, idem utitur Eustath. ad Od. p. 1781, 7. *Ὅρα δὲ καὶ τὴν* β α ρ υ τ ό ν η σ ι ν *τοῦ Πολυφείδεος καὶ* Κ λ ε ί τ ο υ, *τὰ γὰρ ἐπίθετα ὀξυτονοῦνται. ἤγουν ὁ πολυφειδὴς ὁμοίως τῷ ἀφειδής, καὶ ὁ κλειτὸς ἐπὶ ἐνδόξου. τῷ δὲ τοιούτῳ* Κ λ ε ί τ ῳ *ὁμώνυμος καὶ ὕστερον ὁ*

τῷ μακεδόνι Ἀλεξάνδρῳ φίλος. Iam si librorum monumenta evolvimus, nimiam istam grammaticorum quorundam subtilitatem neglectam plerumque et spretam cognoscemus. Ut enim *Κλειτὸς* non omni caret auctoritate, ita *Κλεῖτος* communi propemodum consensu receptus est. Atque Clitum quidem, Aurorae amicum, praeter Homerum inter alios, quibus similis obtigit fortuna, recenset Athenaeus XIII, 566. d. *αἵ θεαὶ δὲ τίνας ἁρπάζουσιν; οὐ τοὺς καλλίστους; οἷς καὶ σύνεισιν· Ἠὼς μὲν Κεφάλῳ καὶ Κλείτῳ καὶ Τιθωνῷ, Δημήτηρ Ἰασίωνι, Ἀφροδίτη Ἀγχίσῃ καὶ Ἀδώνιδι*, in quibus Palat. solus *Κλειτῷ* scribit *περισπώμενον.* Deinde *Clitum*, Pallenae Sithone Odomantum rege natae amatorem et maritum, tenore in paenultimam remisso instruxit Parthenius Erotic. VI., etsi ex errore vulgari in Cononis narration. X., quae et alia multa habet corrupta, *Κλίτος* vocatur. Alium Clitum, si bene correxerunt viri docti, Agamestoris filium a Podalirio interemptum ipse Quintus novit VI, 465.

εἷλε δ' ἄρ' ἐσσυμένως Ἀγαμήστορος υἱέα δῖον
Κλεῖτον, ὃν ἠΰκομος Νύμφη τέκεν ἀμφὶ ῥέεθρα
Παρθενίου, — — — —.

Ubi ab heroico aevo ad tempora, quae scriptorum opera studioque melius innotuerunt, progressus fueris, barytonum a nemine fere in dubium vocatum esse disces. Ita Clitum, Xenophantis filium, cuius luxuriam et improbitatem notavit Aristophanes in Nub. 347. sqq., et eius interpres et Suidas II. p. 328. *Κλεῖτον* appellant. Eundem in numerum duo Alexandri amici et praefecti, qui pro more inter homines nondum obsoleto cognomine *nigri* et *albi* (*μέλανος καὶ λευκοῦ*) vulgo secernebantur, sunt referendi. Uterque autem ab iis, qui res ab Alexandro gestas litteris mandarunt, persaepe laudatur, etsi prior, cuius Eustathius non oblitus est, aliquanto crebrius commemoratur. Pauca horum exempli caussa adscribere satis erit, velut Athenaei verba XII, 539. c. *Κλεῖτος δὲ ὁ Λευκὸς καλούμενος, ὅτε χρηματίζειν μέλλοι, ἐπὶ πορφυρῶν ἱματίων διαπεριπατῶν τοῖς ἐντυγχάνουσι διελέγετο.* De *Clito* altero agit Plutarchus in vit. Alex. m. XVI, 22. *ἑτέραν δὲ τὸν Σπιθριδάτην πάλιν ἐπαιρόμενον ἔφθασε Κλεῖτος ὁ*

μέλας ξυστῷ διελάσας μέσον. Add. L, 21. sqq. et de adulat. et amic. discr. VI, 292. Diodorum Sicul. XVII, 57. XVIII, 15. 39. 72. Ne inferiore quidem tempore et apud Romanos diversi quiddam animadvertitur, ut Bruti minister ostendit, de quo Plutarchus in illius vit. LII, 15. *προϊούσης δὲ τῆς νυκτὸς ἀποκλίνας, ὡς ἔτυχε καθεζόμενος, πρὸς οἰκέτην ἑαυτοῦ Κλεῖτον ἐλάλει κτέ.* Horum igitur ad multitudinem, si pauca, quae in contrarium aut abeunt aut abire videntur, exegeris, quemadmodum Apollodori II, 1, 5. *ἀκληρωτὶ δὲ ἔλαχον δι' ὁμωνυμίαν τὰς Μέμφιδος οἱ ἐκ Τυρίας Κλειτὸς Κλειτὴν, Σθένελος Στενέλην, Χρύσιππος Χρυσίππην*, quibus nullam adspersam video discrepantiam, leve sane et infirmum oxytono esse praesidium confitebere.

Sed quod viri nobis et suadeant et permittant, id feminae recusent et deprecentur. Quarum arbitrio quum non modo domesticarum, verum etiam publicarum rerum imperium plerique putent tradendum, paene verendum erit, ne, si eas illorum potestati subiiciendas dixerimus, tantis nostrae aetatis luminibus offecisse videamur. Iam magistri quidam prisci, inter quos Orum fuisse scimus, nominis feminei *ὀξυτόνησιν*, etsi barytonum prorsus repudiare non sunt ausi, plurium suffragio certam ratamque habuerunt. Cuius praecepti notitiam nobiscum communicarunt etymologus uterque, quorum dicta, quod alter alterum tum auget tum perpurgat, e regione posita hic expromam.

Etym. Magn. p. 517, 54. sqq.	Etym. Gud. p. 325, 35. sqq.
Κλειτή· μία τῶν Ἀμαζόνων, ἥτις ἐλθοῦσα εἰς Ἰταλίαν ᾤκησε καὶ πόλιν ἔκτισεν, ἣν ἀπ' αὐτῆς Κλειτὴν ὠνόμασαν· καὶ ἐβασίλευσε τοῦ τόπου· καὶ αἱ ἀπ' αὐτῆς δεχόμεναι τὴν βασιλείαν Κλειταὶ ὠνομάσθησαν· εὗρον δὲ ἐν Ἀπολλωνίῳ καὶ σχόλιον, ὅτι Κυζίκου γαμετὴ ἦν Μέροπος θυγάτηρ Περκώπη,	*Κλειτή· μία τῶν Ἀμαζόνων, ἥτις ἐλθοῦσα εἰς Ἰταλίαν ᾤκησε καὶ πόλιν ἔκτισεν, ἣν ὑπ' αὐτῆς Κλειτὴν ὠνόμασε· καὶ ἐβασίλευσε τοῦ τόπου· καὶ ἀπ' αὐτῆς οἱ δεχόμεναι τὴν βασιλείαν Κλειταὶ ὠνομάσθησαν, οὕτως Ὦρος. ὁ δὲ Ἀπολλώνιος καὶ στίχον ἐπιφέρει, οἷον· Κλειτὴ ἐϋπλόκαμος, τὴν μὲν νέον*

τὸ γένος μάντεως· διχῶς δὲ ὁ τόνος· οἱ δὲ πλείους ὀξύνουσι, καὶ σημαίνει τὴν ἔνδοξον.

ἔξεστι πατρός· εὗρον δὲ ἄχος ἐν αὐτῷ, Κυζίκου γαμετὴ ἦν Μέροπος θυγάτηρ, Περκώτις, τὸ γένος μάντεως· διχῶς δὲ ὁ τόνος· οἱ δὲ πλείους ὀξυτονοῦσι· σημαίνει δὲ καὶ τὴν ἔνδοξον, παρὰ τὸ κλειτόν.

Etymologo magno, qui dicitur, nonnulla ab altero libro adiecta deesse iam patebit. Quod utrum scriptoris an librariorum negligentia acciderit, vix dirimere licebit. Ori nomen insuper exstare in cod. Parisin. 2638. retulit Bekkerus in ann. ad Etymol. m. post Gudianum a Sturzio editis p. 921., ad quas respexit Ritschel. in comment. de Oro et Orion. p. 53. Vitia grammaticorum quaedam alii sustulerunt, ut Schleusnerus in Et. m. ἣν ἀφ' αὑτῆς Κλειτὴν ὠνόμασε corrigendum putavit, quorum posterius Gudian. praebet, prioris loco ὑπ' αὐτῆς exhibet. Neutrum verum crediderim, si quid autem mutandum est, ἐφ' αὑτῆς, eius rei proprium, elegerim. Versum deinde Apollonii sanitati restituit anonymus ex ipsis poetae Argonauticis I, 976.

Κλείτη ἐϋπλόκαμος, τὴν μὲν νέον ἐξέτι πατρὸς —.
Gudiani ἄχος Etym. m. removet, germanumque Sturzii exemplari subscriptum est. In proximis nec Περκώπη nec Περκώτις, pro quo Περκωτὶς certe exspectandum erat, salvum atque integrum haberi potest. Urbem quidem et Περκώτην et Περκώπην antiquitus scribi constat, tametsi illud Homero aliisque recte vindicant interpretes, vid. ad Il. 2, 835. 11, 229. et ad Herodot. V, 117. At minus opus est femineo: perspicitur enim prava singulorum distinctione totum laborare locum, quod τὸ γένος μάντεως male assuitur. Haec vero cum Apollonii scholiastis, quorum ex penu sua hausisse etymologi narrant, ita sunt constituenda: ὅτι Κυζίκου γαμετὴ ἦν, Μέροπος θυγάτηρ, Περκωσίου τὸ γένος, μάντεως. Nam quod Parisin. nomini gentili articulum praemittit, et τοῦ Περκωσίου scribit, id parum vel nihil refert. Sed redeo ad *Clitam* Amazona, cuius memoriam raram et paene inauditam

praeter etymologos servarunt Suidas II. p. 327. Κλειτή· ἔνδοξος· σημαίνει καὶ ὄνομα γυναικός, μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων ac totidem verbis Phavorin. p. 432, 6. Apud Hesychium vero, quod interpretes minus persentiscunt, II. p. 274. v. κλείτει, duobus in unum commixtis, glossae pars, quae nostrum nomen amplexa est, videtur excidisse. Nihil igitur, quod emolumento sit, iam superest. Caeterum *Clita* illa aeque atque urbs ab ea condita omnes alios latet. Quare nihil, quod adiiciam, habeo, nisi oxytonum quidem plerumque tenere grammaticos, sed de eo nominis accentu mature dubitatum esse ex ipsorum verbis cognosci. Accedimus ad *Clitam*, Meropis Percosii filiam et Cyzici regis coniugem, quam Apollonius in Argon. I, 976. et bis postea v. 1063. 1069. nominavit. Iam ut primum de tenore quaeramus, eum non minus quam in Amazone cognomine ambiguum fuisse etymologorum observatio indicat. Editores, quantum scio, omnes barytonum adoptarunt, id igitur codicum assensu comprobari admodum erit verisimile. Antiqua autem varietas permanavit ad interpretes graecos, e quibus Paris. ad I, 976. semel certe agnoscit oxytonum. Alios scriptores, quorum multi vel istius terrae fabulas collegerunt, vel Argonautarum iter pertractarunt, ab Apollonio hic illic dissidere scholiasta uterque testantur. Qui quum non re, sed verbis inter se discrepent, Florent. solius dicta, ut totum fabulae argumentum cognoscere et quasi intueri possimus, praemittenda censeo. Ille ergo ad Apoll. Argon. I, 1063. sqq. sic disserit: Ὁ μὲν Ἀπολλώνιος νεόγαμον τὸν Κύζικον καὶ ἄπαιδα ἱστορεῖ, Εὐφορίων δὲ ἐν Ἀπολλοδώρῳ μελλόγαμον. Τὴν δέ Κλείτην οὐ Μέροπος λέγει θυγατέρα, Θρῆσσαν δὲ τὴν Πιάσου· οὐδὲ παθεῖν τι ἐπὶ τῷ τοῦ ἀνδρὸς θανάτῳ, ἀπαχθῆναι δὲ οἴκαδε ὑπὸ τοῦ πατρός. Εὐάνθης δὲ ἐν τοῖς Μυθικοῖς συμφωνεῖ τῷ Ἀπολλωνίῳ. Περὶ δὲ τῆς Κλείτης φησὶ Δηΐλοχος ὑπὸ λύπης τελευτῆσαι. Ἱστορεῖ δὲ Ἀπολλώνιος ἄτεκνον τὸν Κύζικον ἀρηρῆσθαι. Εὐάνθης δὲ, ἐσχηκέναι φησὶ παῖδα ὁμώνυμον ἑαυτῷ. Εὐάνθης δὲ καὶ Δηΐλοχος ἱστοροῦσιν, ὅτι ἀπήγξατο ἡ Κλείτη, καὶ ὅτι ἡ ταύτης κρήνη ἐν Κυζίκῳ. Parisinus scholiasta nihilo differt, nisi quod Διΐοχον, quae

eius est consuetudo, scribit, et in singulis singula quaedam aliter eloquitur. Commune autem utrique mendum quum Wellaueri tum Schaeferi diligentiam effugisse miror. *Clita* enim ab Euphorione in Apollodoro non *Thressa*, sed *Larissa*, Piaso nata, est dicta, de quo Parthenius in Erot. XXVIII. nos facit certiores, exorsus ab hisce: *Διάφορος δὲ ἱστορεῖται περὶ Κυζίκου τοῦ Αἰνέου· οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἔφασαν ἁρμοσάμενον Λάρισσαν τὴν Πιάσου κτέ.* Unde Apollonii scholiis medicinam esse petendam Meinckius de Euphorion. p. 60. nuper admonuit, et dudum ante eum in idem inciderat Galeus ad Parthenii fabulam all. Nec Suidas modo, quem sponsorem Meinekius et Passovius in ann. crit. ad Parthen. p. 72. excitant, in nomine consentit, sed Strabo etiam idem litteris consignavit XIII, 3. §. 4. p. 621. apud Casaubon. Eius verba, quod, quo mortis genere raro et exquisito Piasus fuerit sublatus, accurate explanant, integra apponam: *Ἐν δὲ τῇ Φρικωνίδι Λαρίσσῃ τετιμῆσθαι λέγεται Πίασος, ὅν φασιν, ἄρχοντα Πελασγῶν, ἐρασθῆναι τῆς θυγατρὸς Λαρίσσης· βιασάμενον δ' αὐτὴν τίσαι τῆς ὕβρεως δίκην. Κύψαντα γὰρ εἰς πίθον οἴνου καταμαθοῦσαν, τῶν σκελῶν ἐξᾶραι, καὶ καθεῖναι αὐτὸν εἰς πίθον.* Piasi fabulam ad agri fertilitatem pertinere censet Mueller. de Orchomen. p. 126. Parthenius, qui variorum narrationes complexus est, nomen effert barytonum, Conon narrat. XLI., Apollonium secutus, idem acuit. Atque haec quidem de *Clita*, Meropis filia et Cyzici uxore, ex veterum fide congerere licuit. In quibus etsi accentum fluctuare videmus, plerisque tamen barytonum satisfecit. Unde auctoritas eorum, qui secus statuunt, si non evertitur, certe infringitur. Apollodorus enim, cuius verba supra protuli, regulae tenui fundamento impositae parum prodest. Magis etiam nostram et communem caussam adiuvat Theocriti epigramma XVIII, 2.

Ὁ μικκὸς τόδ' ἔτευξε τᾷ Θρεΐσσᾳ
Μήδειος τὸ μνᾶμ' ἐπὶ τᾷ ὁδῷ κἠπέγραψε Κλείτας.

Ad quae nihil usquam discrepantiae enotatum reperio, quanquam versus in anthol. Palat. VII, nr. 663. Leonidae dantur, vid. Iacobs. ad anth. Pal. III. p. 387. Accentus autem pravitas, grammaticorum magis arbitrio debita, quam scriptorum usu confirmata, ex Apollodori bibliotheca et Cononis opusculo in vulgares mythographorum nostrorum libros transiit, ut in Klopferi lexic. mytholog. I. p. 529. Errorem vero, si quis est, ortum suspicere e nomine cognato *Κλειτὼ*, quod ut alia huius terminationis, exempli caussa *Ἐρατὼ, Κλωθὼ, Λητὼ*, necessario acuitur, cf. Arcad. de acc. p. 116, 1. Illud apud ipsum Quintum reperitur in posthom. XI, 69.

Εὐρύπυλος δὲ μενεπτόλεμος βάλε φαίδιμον Ἕλλον,
τόν ῥα παρὰ λίμνῃ Γυγαίῃ γείνατο μήτηρ
Κλειτὼ καλλιπάρηος· — — —

Utcunque vero de illorum accentu iudicare libuerit: nam eius anastropham lex et consuetudo postulant, eam vero admitti vetuerunt singuli quidam arbitri, certe adiectiva multa etymi tenorem sibi recte servare non sine idoneis caussis demonstrare studui in excurs. XI. ad Homeri Il. p. 19. sqq. neque istis fidem derogant vel Goettling. in doctr. acc. p. 314. sq. vel Lobeckius in paralipom. p. 456. sq. Male ergo relictum est Quinto infra VIII, 291.

ἔνθα Νεοπτόλεμος τηλέκλειτον Περιμήδεα
δάμναθ', ὅς οἰκί' ἔναιε παρὰ Σμινθήϊον ἄλσος.

Sicut enim Quintus semper acuit *ἀγακλειτὸς* et *περικλειτὸς*, quorum exempla quaedam et illic dedi, et omnia atque singula hic comprehendam, si quidem prius conspicitur I, 35. VI, 181. 188. 527. VII, 232. 677. X, 213. XI, 87., posterius III, 231. 305. VI, 508. VII, 694., neque aliter profert *ἀγακλυτὸς* IV, 457. et *περικλυτὸς* II, 378. III, 299. V, 368. VI, 390. VII, 210. VIII, 478. IX, 186. 226. X, 125. XII, 310. XIII, 210. XIV, 107., ita *τηλεκλειτὸν* horum ad normam oxytonum habendum esse certum puto. Atque hic iterum admirabilis est Rhodomanni doctrina, qui, quum metro labante *τηλέκλυτον* adesset, vero congruenter proponebat *τηλεκλειτόν*. Eum vero alii illius errore, quem subesse opinabantur, suae sapientiae posthabito cum poetae damno temere deseruerunt.

Multa Achaeorum strage facta Neoptolemus tandem adversus Eurypylum tendit. Hic sibi obvium affatus eo de pugna

studet deterrere, quod omnium adversariorum evaserit victor VIII, 140. sqq.

οὐ γάρ τίς μ' ὑπάλυξεν ἐν ἀργαλέῃ ὑσμίνῃ·
ἀλλά μοι ὅσσοι ἔναντα λιλαιόμενοι μαχέσασθαι
δεῦρο κίον, πάντεσσι φόνον στονόεντ' ἐφέηκα
ἀργαλέως· πάντων δὲ παρὰ Ξάνθοιο ῥέεθρα
ὀστέα τε σάρκας τε κύνες διὰ πάντ' ἐδάσαντο.

Colloquium Eurypylum inter et Neoptolemum habitum haud dissimile est iis, quae Homerus principibus ad pugnandum congressis tribuere solet, velut Diomedi et Glauco Il. 6, 122. sqq., Achilli et Aeneae 20, 177. sqq. Horum plura in suam utilitatem convertit Quintus. Sed primo versui accentum pronomini male detractum adieci. Quod deinde Eurypylus gloriatur se omnibus, qui cum eo manus conserere ausi fuerint, caedem lugubrem immisisse, id saepius legitur in posthomeric., vid. V, 185. XIII, 359. Extremis putidam impendit diligentiam Pauwius, dum *ὀστέατε*, ut *τε σάρ* spondeum efficiant, vel coniungendum arbitratur, vel *ὀστέα μὲν* aut *ὀστ. δὴ* est emendaturus. Fallitur egregie: ex altero enim, quod epico sermoni adversatur, nihil percipimus fructus, alteri particularum obstat concinnitas et quasi coagmentatio. Neque a syllaba producta periculi quidquam metuendum est; versum enim recte beneque procedere Homeri docent exempla, quae noster ante oculos habuit, vid. Od. 9, 293.

ἔγκατά τε σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.

Ib. 11, 219.

οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν. —

add. Hermann. ad Orph. p. 714. Haud meliore successu *πᾶς*, quia ter repetitur, molestum habet et scholasticum appellat idem. Urgere etsi nolim novissima verba ex manifesta Homeri imitatione ducta esse a nostro, vid. Il. 18, 511.

ἠὲ διαπραθέειν ἢ ἄνδιχα πάντα δάσασθαι,

22, 120. cll. 23, 21. Od. 18, 87. 22, 476., ipsa tamen illa nominis repetitio immane Eurypyli robur, cui nemo poterat resistere, admodum auget. Eadem vi *πᾶς* alibi instructum eaque de caussa semel atque iterum repetitum videmus, cf. I, 33. sq.

III, 638. sq. V, 147. X, 398. sq. Neque ignorat eum usum Homerus, apud quem de nimia Achillis superbia et arrogantia in Iliad. 1, 287. sqq. Agamemno stomachabundus conqueritur hisce:

ἀλλ' ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων,
πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν,
πᾶσι δὲ σημαίνειν, ἅ τιν' οὐ πείσεσθαι ὀΐω.

Neoptolemus ad Eurypyli quaestiones respondens et sui ipsius stirpem et equorum genus edit. Atque horum quidem velocitatem praedicat VIII, 156. sq.

οἵ τε καὶ ἀτρύγετον πέλαγος διὰ ποσσὶ θέουσιν
ἀκρονύχων ψαύοντες, ἶσον δ' ἀνέμοισι φέρονται.

Homerici quiddam redolent ultima, apud quem Rhesi equi Il. 10, 437. *θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι* dicuntur. Quae paullo ante leguntur, ea Tychsenius demum cum Escurial. primo in unum conflavit; priores habent *ἄκρ' ὀνύχων ψαύοντες.* Quae quum latinus interpres reddat: „*extremas vix ungulas tingentes*,“ sua nobis venditat, nec graeca satis accurate respicit. Merito igitur Pauwius haeret, verbisque illis subiicit: „Quid hoc? An elliptice scriptum pro *κατ' ἄκρα ὀνύχων ψαύοντες*, id est, *summis* vel *extremis modo ungulis tangentes maris superficiem?* Dubito, an id Graeca ferant; interpres autem dicit, quod ferre sine dubio non possunt: quare locus est suspectus. Pro *ψαύοντες* scribendum videtur vel *δεύοντες*, vel *βάπτοντες*, vel aliquid simile, quod *tingendi* notionem habet.“ Nec Tychsenii compositum tollit difficultatem. Intelligitur enim equos non extremas attigisse ungulas, sed ungulis extremis maris superficiem. Quocunque igitur te vertas, nihil, quod expediat, ex ista verbi compositione poterit elici. Pauwii autem iudicio fidem addunt alia, quae de praestabili vel equorum vel hominum celeritate referuntur. Argumento sunt Erichthonii pulli, Borea geniti, quorum praeco Homerus exstitit in Il. 20, 225. sqq.

αἳ δ' ὑποκυσάμεναι ἔτεκον δυοκαίδεκα πώλους.
αἳ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων·

ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον.

Nec minore pernicitate Euphemus, Neptuni et Europae filius, qui inter Iasonis erat socios, inclaruit, vid. Apollon. Arg. I, 182. sqq.

κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Eum ducem sectatur Maximus περὶ καταρχ. v. 412. sqq.

— — — ἐπεὶ μετὰ ποσσὶ διώκων
οὐκ ἐκίχης, οὐδ' εἰ μὲν ἔχοις πόδας Εὐφήμοιο
Εὐρωπηϊάδαο, τὸν ἐν πολυηχέϊ πόντῳ
ὦκα θέειν ἐνέπουσιν ὁδῷ πεφορημένον ὑγρῇ.

Nolo plura cumulare; ista enim Pauwium prudenter iudicasse satis ostendant. Sed vix assequor, quomodo apti quiddam et idonei facili opera possit restitui. Nam quod Struvius in lexici graeci a Schneidero conditi supplemento p. 10. proposuit:

ἄκρον ὕδωρ ψαύοντες — — —,

ei et structura incongruens, de qua iure dubitat vir doctus in Stephani thes. ling. gr. VI. p. 6793. b., et nimia licentia obstant. Vocalis autem correpta non Struvio soli, verum aliis pluribus movit suspicionem, quod veteres grammatici ἀκρονυχίαν et ἀκρωνυχίαν, ἀκρόνυχος et ἀκρώνυχος ut origine, ita scriptura differre censent; prioribus enim nomen νύξ, posterioribus ὄνυξ subesse volunt, vid. Sturzii lexic. Xenophont. I. p. 117. Schaefer. ad Apollon. Schol. p. 233. Lobeck. ad Phrynich. p. 708. Itaque non miramur fuisse, qui bellum indicerent brevi vocali, si quando longae sedem temere occupasse videretur, id quod ante Struvium et Schneiderum, qui amico adstipulatur, plures alii fecerunt. Ac profecto pedestris orationis scriptoribus ἀκρώνυχος et ἀκρῶνυξ semper erunt concedenda. Vere enim praecipit Lobeckius ad Phrynich. p. 703. sq. haecce: „Sed quoniam semel ex hoc genere specimen compositionis captum est, non praetereundum videtur ne illud quidem, falso nonnullis in ὑψαγόρας alpha natura longum poetarum licentia breviatum videri. Qui error fortasse ex eo natus est, quod in ἀκρωνυχὶ, χαλκήλατος et similibus productio nonnunquam cessat. Verum hoc poetarum arbitriis tribuendum est, neque in oratione soluta admittitur, nisi consuetudine et inscitia prave loquentium.“ Itaque cum aliis Plutarchus adiectivo, quod Quinto reddiderunt, semper ω tribuendum putavit, velut in libell. de fortuna Romanor. VII, 260. τῆς δὲ τύχης ὀξὺ τὸ κίνημα καὶ θρασὺ τὸ φρόνημα καὶ μεγάλαυχον ἡ ἐλπίς· φθάνουσα δὲ τὴν ἀρετὴν ἐγγύς ἐστιν, οὐ πτεροῖς ἐλαφρίζουσα κούφοις ἑαυτὴν οὐδὲ ἀκρωνύχου ὑπὲρ σφαίρας τινὸς ἴχνος καθεῖσα περισφαλὴς καὶ ἀμφίβολος πρόσεισιν, εἶτ' ἄπεισιν ἀηδής· add. ib. 271, 3. et Eumen. vit. XI, 7., ubi de equis loris ab Eumene suspensis agit: ὥστε τοῖς μὲν ὀπισθίοις σκέλεσιν ἐπὶ τῆς γῆς ἐρείδεσθαι, τοῖς δ' ἐμπροσθίοις ποσὶν ἀκρωνύχους ἐπιψαύειν, quae cum Quinti dictis propemodum conspirare sua sponte patet. At repugnat vocalis correpta. Eam vero censor, quem Steuberum esse puto, — benignius enim quam verius Iacobsius ad Philostr. imag. 78, 15. illam doctrinam mihi impertivit — in diar. litterar. Ienens. ann. 1822. III, p. 269. sq. studuit vindicare. Congessit ibi vir diligens praeter Quinti versum et brevem Etymolog. magn. observationem, quae p. 173, 57. legitur: Αὐτονυχεί· ἐπίῤῥημα· σημαίνει δὲ τὸ ἐν αὐτῇ τῇ νυκτί· ἄλλοι αὐτοῖς ὄνυξι, tria anthologiae epigrammata, primum Philippi, secundum Meleagri, postremum poetae incerti, cf. anth. Pal. VI, 103. XII, 126. et Planudeam IV, 258., quorum duo ἀκρονύχῳ et ἀκρονυχῇ habent, tertium composito haud dispari Pana vocat αἰγόνυχα. Probare deinde vult syllabam compositionis brevem iis, quorum stirps fuerit ὀδούς, cuius generis sint ἀγκυλόδους et ἀργιόδους, nam ἀγριόδους perperam obtrusit typotheta. Sed illa, quae numerorum commoditas peperit, parum vel nihil valebunt, praesertim quum nulla iis inhaereat ambiguitas, cui ἀκρόνυχος est obnoxium. Verum praetermitto ista, quod Lobeckii ubertas et copia illius penuriae et ieiunitati plurimum attulit subsidii. Quae ad Quinti versum explicandum ipse annotavit, nobis tum commemoranda

tum diiudicanda sunt. Nomen igitur, quod alii desiderabant, plane supervacaneum habetur: etenim quum Suidas aliique *ἀκρωνυχίαν ἀκρώρειαν* sive *montium cacumen* significare dicant, et idem bis apud Xenophontem in Anab. Cyri III, 4, 37. sq. et Hellenic. VII, 2, 10. reperiatur, et notio, quae *ὄνυχι* adsit, prorsus evanuerit, *τὰ ἀκρώνυχα* poetae nihil nisi *τὰ ἄκρα* indicare opinatur, proinde *ἀκρονύχων ψαύοντες* equos *maris superficiem* sive imagine, quae a montium vertice sit petita, adiuncta *terga pelagi attingentes* denotare. At his nemo unquam fidem aut habebit aut habere poterit. Ut enim taceam in altero Xenophontis loco *τὰς ἀκρωρείας* offerri, et Hellen. IV, 6, 4., ubi prius adest, fuisse nominandum, *ἀκρωνυχίαν montis fastigium* esse ex eo demum intelligitur, quod additur *ἀκρ. τοῦ ὄρους*, minime igitur evanuit propria nominis eius vis ac potestas. Deinde quod nomini vel maxime conveniat, neque in adiectivum neque in maris undas continuo est transferendum. Monti enim apices et summa sua sunt, mare iis caret, neque unquam quisquam ponto dabit unguiculos ab illo prorsus abhorrentes. Denique notissima equorum epitheta, uti *ἵπποι μώνυχες, κρατερώνυχες* istam interpretationem, qua nihil infelicius et absurdius fingi potest, explodunt. Nec poeta noster *ὄνυχας* novo aliisque inaudito modo adhibet, vid. I, 199. XIV, 391. 577. Quare nihil erit dubii, quin *ἀκρόνυχοι* equi potius quam maris undae appellentur; brevi autem vocali liberior poetae sermo, quemadmodum Lobeckius statuit, veniam parabit. Atque etymologi *αὐτονυχεὶ* i. e. *αὐτοῖς ὄνυξι* pariter ex poeta aliquo depromptum videbitur. Sed non quadrat genitivus ad id, quod Quintus erat dicturus; reducamus igitur vel primum casum vel adverbium ab etymologo servatum: *ἀκρόνυχοι ψαύοντες* sive *ἀκρονυχὶ ψαύοντες*, nec quidquam aut ad integritatem aut ad elegantiam deesse apparebit. Prius autem praeferri iubent Plutarchi verba, quorum supra feci mentionem. Pauca, quae illis subiungit Neoptolemus, proxime accedunt ad Homeri exemplar, vid. Il. 20, 257. sq. 1, 302. 235.

Dum Neoptolemus et Eurypylus acerrime pugnant, dii alii

Achivo, alii Troiano favent VIII, 194. sqq.

ἄμφω γὰρ μακάρων ἔσαν αἵματος· οἱ δ᾽ ἀπ᾽ Ὀλύμπου...
οἱ μὲν γὰρ κύδαινον Ἀχιλλέος ὄβριμον υἷα,
οἱ δ᾽ αὖτ᾽ Εὐρύπυλον θεοειδέα· τοὶ δ᾽ ἑκάτερθεν
μάρναντ᾽, — — — — —.

Manca et imperfecta haec nobis relicta esse, quum, quid Olympii faciant, non adiiciatur, acute perspexit Rhodomannus. Unde primo versum adiungendum putat eius fere argumenti:

ἀθάνατοι θηεῦντο διχόφρονα θυμὸν ἔχοντες.

Neque illius rationem Brodaei refellit acumen, quo *οἱ δ᾽ ἀπ᾽ Ὀλύμπου* idem esse dicit atque *τῶν δ᾽ ἀπ᾽ Ὀλύμπου οἱ μὲν — οἱ δέ*. Cui quidem sollertiae nec verborum compages nec particula, quae subsequitur, opem ferunt: quin illa eiusmodi sententiam, qualem Rhodomannus requirit, librariorum desidia et negligentia resectam esse aperte ostendit. Melius igitur et scitius priori assensum praebuerunt Pauwius et Tychsenius in commentat. de Quint. Smyrn. p. XCVI. Ad rem magis stabiliendam apte provocabimus ad Iliadem homericam, quae deos res humanas ab Olympo inspicientes saepe inducit, quemadmodum, ut unum certe afferam exemplum, Hectorem et Achillem, citato gressu ter circa Troiae muros currentes, dii omnes stupore quasi defixi intuentur Il. 22, 166.

ὣς τὼ τρὶς Πριάμοιο πόλιν πέρι δινηθήτην
καρπαλίμοισι πόδεσσι· θεοὶ δέ τε πάντες ὁρῶντο.

Quare Rhodomannum acu propemodum tetigisse verum minime negaverim. Exordium vero confirmat et Quinti mos, cuius plures versus ab ipsis immortalibus capiunt initium, vid. I, 649. II, 165. 512. III, 134. IV, 12. 54. 201. V, 76. 267. VI, 63. XI, 98. XII, 543. XIV, 93. et verbum, quo res magnitudine admirabiles continentur. Inde munimentis, quae navibus opposuerant Achivi, dii homerici obstupescunt Il. 7, 444.

οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἀστεροπητῇ
θηεῦντο μέγα ἔργον Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

Quod autem clausulae inseruerit *θυμὸν διχόφρονα*, id minus acceperim: caret enim voce, si recte memini, Quinti

carmen, illaque atticis magis quam epicis erit commoda. Haud scio, an multum aberraverim a scopo, si proposuero:

ἀθάνατοι θηεῦντο δίχα φρεσὶν ὁρμαίνοντες.

Cui aliqua ex parte praesidio erit Hom. Il. 16, 435.

διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι.

Neque ita raro idem in versus exitu reperies, cf. Il. 10, 4. 28. Od. 3, 151. 169. 4, 146. 732. 843., denique Quintus eam formam agnoscit VIII, 43.

— *πάντες δὲ περὶ στένος ὁρμαίνοντες.* —

add. imperfectum I, 437. IX, 238. Caeterum in re lubrica et ancipiti nihil pro certo atque explorato affirmare ausim. Sententiam autem, quam cum Rhodomanno omissam credo, apte cadere ad id, quod diis agendum erat, nemo non videbit. Caussa, quae scribas in istum impulerit errorem, in eo erit quaerenda, quod particula *γὰρ* eodem et primi et tertii versus loco iterata effecit, ut medius et inter utrumque interiectus socordius negligeretur.

Eurypylus Achillis hasta a Neoptolemo tandem prostratus cum arbore evulsa comparatur VIII, 204. sqq.

ἤριπε δ' ἐν τεύχεσσι κατὰ χθονὸς ἠΰτε βλωθρὴ
ἢ πίτυς ἢ ἐλάτη κρυεροῦ Βορέαο βίηφι
ἐκ ῥιζῶν ἐριποῦσα· τόσην ἐπὶ κάππεσε γαῖαν
Εὐρυπύλοιο δέμας· — — —

Imago paucis mutatis ab Homero est deprompta. Apud eum enim praeter alia, quae huc revocari possunt, et Asius ab Idomeneo victus et Sarpedon Patrocli fortitudine caesus sicuti arbores a fabris excisae in agro Troiano procubuisse dicuntur Il. 13, 389. sqq. 16, 482. sqq.

ἤριπε δ', ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωῒς
ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήντ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι νήϊον εἶναι·
ὣς ὃ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρου κεῖτο τανυσθεὶς,
βεβρυχὼς, κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης.

Hemistichium deinde v. 206. ac verbum convenit Il. 21, 243., vocalem autem perperam extritam epica dialectus sibi reposcit: *ἐκ ῥιζέων ἐριπ.*, vid. ann. ad Il l. l., ubi casu, nescio quo, huius loci parum memor fui. Neque, ut opinor, verbum instans in duo recte distrahitur, melius una devincietur comprehensione:

— — — *τόσην ἐπικάππεσε γαῖαν,*

tanto terrae spatio Eurypyli corpus superiniectum est. Certe in simili Achillis ingentis casu decompositum nemo editorum spernendum duxit III, 399.

τοῖος ἄρ' Αἰακίδης δηΐων ἐπικάππεσε γαίῃ,

a quo non multum abest verbum tum potestate tum coagmentatione illi propinquum XIV, 583.

εὖτε πάρος μεγάλοιο κατ' Ἐγκελάδοιο δαΐφρων
Παλλὰς ἀειραμένη Σικελὴν ἐπικάββαλε νῆσον.

Quarto autem casui et numeri adsunt, et multiplex structura, quam *κάππεσε* sequitur, eum commendat. Ut enim Homerus cum praepositionibus *ἐν* vel *ἐνὶ* dativum committere solet, vid. Il. 1, 593. 4, 523. 12, 23. 13, 549. 15, 528. 16, 290. 469. cll. 16, 414. 662. 23, 731., ita quartum casum praepositioni *εἰς* vel *ἐπὶ* annexum haud repudiavit Quintus, cf. XIII, 173.

κάππεσε δ' εἰς μέλαν αἷμα καὶ ἄλλων ἔθνεα νεκρῶν·

quorum priora totidem verbis iam leguntur II, 545., porro XIV, 521.

— — — *αὐτοῖς ἅμα δούρασι λυγροὶ*
κάππεσον εἰς μέγα βένθος· — —

add. III, 279. sq. VII, 591. sq. XI, 194.

— — — — *αἶψα δ' ἄρ' αὐτὸς*
κάππεσεν ἀμφὶ νέκυς· — — —

Quo de loco interpretes vulgares falsa praecipere crediderim: iis enim *νέκυς* singularis esse videtur, unde latinus interpres: „*ille vero statim mortuus iuxta procubuit.*“ Pauwius istam dicendi insolentiam miratus disserit ita: „*circumcirca mortuus*: plane mortuus: nota phrasin. Sed an forte legendum: *αἶψα δ' ἄρ' αὐτὸς Κάππεσεν ἄγχι νέκυς?*“ At illud Batavi inventum suo arbitratu pronuntiatum iam alibi notavi. Iam si memineris Achivum quendam media in fuga equum revertentem ab Agenore Troiano tam gravi percuti ictu, ut manus

recisa freno involuta adhaerescat, ipse in terram defluat, quartum numeri pluralis casum esse longe probabilius erit. Ait enim Quintus: ,,*ipse quidem in caesorum cumulum decidit, manum vero freno implicatam reliquit.* Qua de explicatione eo minus erit dubitandum, quo saepius bello interfecti aliis mortuis incidisse traduntur. Exempla iam allata sunt; interpretes autem elusit quartus casus dativo ei rei aptiori substitutus. Illum numeris addicentibus posuit Quintus de Achille III, 177.

ἤριπεν ἀμφὶ νέκυσσιν, ἀλίγκιος οὔρεϊ μακρῷ·

idque repetitum habes IX, 151. Ne quis autem mihi Thierschii praeceptum obtendat, quo *νέκυας* unquam apud Homerum in bisyllabum coalescere negavit in gr. gr. §. 191, 26., inspiciendus erit Od. 24, 417.

ἐκ δὲ νέκυς οἴκων φόρεον, καὶ θάπτον ἕκαστοι.

At restat insuper in posth. VII, 78.

— — — *καὶ ἀνέρι πολλάκις ἐσθλῷ*
ἀμφεχύθη μέγα πῆμα, λυγρῷ δ' ἐπὶ κάππεσεν ὄλβος —

quae quin pariter in unum conflentur, nihil impedit. Duo autem versus, quos supra adduxi, recte desinunt in plenam nominis formam, quippe quae, vel dativo tertiae declinationis praeeunte vel verbi persona eiusdem generis antea dicta, sit legitima. Atque illius documento sunt II, 225. V, 655. VII, 558. XII, 189. — *ἐπὶ πείρασι γαίης*, hac crebrius etiam offeruntur, velut V, 537. 649. VI, 335. X, 72. VIII, 466. XII, 176., nostrisque congrua III, 159. VI, 374.

— — *ὁ δ' ἐς πέδον ἤριπε γαίης.*

Quapropter idem merito potius videtur Lehrsio in quaestion. ep. p. 261. VIII, 305., ubi nunc fertur:

— *ἀλλ' οὔτι φίλην πάλιν ἔδρακεν αἶαν.*

Neque aliter iudicaverim de libr. XIV, 580.

καί νύ κεν ἐξήλυξε κακὸν μόρον, εἰ μὴ ἄρ' αὐτῷ
ῥήξας αἶαν ἔνερθεν ἐπιπροέηκε κολώνην.

Nulla enim necessitas *γαῖαν*, cuius primam litteram ς praefixum absorpsisse videtur, ab aditu intercludit, neque illo ca-

rent vel XIV, 646.

— — *αὐτὸς δ' ἄρα γαῖαν ἔνερθεν*
ῥῆξε Ποσειδάων, ἀνὰ δ' ἔβλυσεν ἄσπετον ὕδωρ.

vel XIII, 397.

εἰ μὴ Τριτογένεια κοτεσσαμένη περὶ θυμῷ
αὐτῷ καὶ Τρώεσσι καὶ ἄστεϊ γαῖαν ἔνερθεν
θεσπεσίη ἐλέλιξεν ὑπαὶ ποσὶ Λαοκόωντος.

Poetica vero forma *αἶα* triplici potissimum de caussa assumi solet. Primum si syllaba brevis in consonam terminata praemissa legitur, ut I, 346. VII, 68. II, 651.

ἠέ που ἐν μακάρεσσι κατ' Ἠλύσιον πέδον αἴης.

Quo locus leviter corruptus in integrum restituendus est IV, 6.

δῶκε θοοῖς Ἀνέμοισι φέρειν Λυκίης σχεδὸν αἴης.

Corpus enim Glauci *in Lyciam* deferendum fuisse et sua sponte patet, et Somnus ac Mors Homeri docent, vid. Il. 16, 681. sqq. Genus autem dicendi, ut vidimus, plura alia comprobant. Itaque primus, nisi fallor, Gruebenavius, qui medicinam eam per litteras mihi significavit, bene de hoc versu meritus est. Deinde nomen a vocali orditur diphthongo, quae antecedit, correpta, vid. I, 330.

— *οὐδέ τι τύμβος ἐφ' ὑμέας ἵξεται αἴης.*

II, 562.

ὅς τε καὶ αἱματόεις τραφερὴν ἐπινίσσεται αἶαν.

Add. VIII, 1. IX, 416. XIV, 528. Ad extremum vocali apostropho inserto extrita idem sequi consentaneum est, cf. VIII, 88.

δάμνατο δ' ἄλλοθεν ἄλλον· ἐπέστενε δ' αἶα νέκυσσιν —

XIV, 534.

ἐσκέδασεν διὰ τυτθά· περίαχε δ' αἶα καὶ αἰθήρ.

Cuius ad normam revocandus erit VI, 166.

καὶ τότε νὺξ ἐπόρουσε, μελαίνετό τ' αἶα καὶ αἰθήρ·

μελαίνετο δ' αἶα καὶ αἰθήρ, add. VIII, 246. IX, 74. XI, 121. XIII, 244. His quidem limitibus utriusque usum apud Quintum inclusum reperies. Aliis quid placuerit, nescio; Apollonium autem, nisi *Αἶα* de Colchorum terra proprie dicitur, communem cum Quinto observare legem apparebit inspicienti.

Homeri de more, apud quem singuli heroes sua victoria insolentes gloriantur, Quintus Neoptolemum Eurypyli caede exsultantem in medium producit VIII, 211. sqq.

Εὐρύπυλ᾽, ἦ π ο υ ἔφης Δαναῶν νέας ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
δηώσειν, καὶ πάντας ὀϊζυρῶς ἀπολέσσειν
ἡ μ έ α ς· ἀλλά σοι οὔτι θεοὶ τελέεσκον ἐέλδωρ,
ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἐμοί σ᾽ ἐδάμασσε, καὶ ἀκάματόν περ ἐόντα,
πατρὸς ἐ μ ο ῖ ο μέγ᾽ ἔγχος, ὅπερ βροτὸς οὔτις ἄλυξεν
ἡμῖν ἄντα μολών, οὐδ᾽ εἰ παγχάλκεος ἦεν.

Horum primus ei est simillimus, quo Hector Patroclum moribundum irridet Il. 16, 830.

Πάτροκλ᾽, ἦ π ο υ ἔφησθα πόλιν κεραϊζέμεν ἀμήν,

add. 3, 43. 15, 245. Ex quibus intelligimus, particulas male concretas a se invicem esse separandas. Postea qui sequitur versus exitus, is Quinto admodum frequens est; quemadmodum Telephus, Herculis et Astyochae filius, quod illius prolem indigne perire fuerit nefas, anxia cervae sollicitudine servatus altusque dicitur VI, 142.

— — — — *οὐ γὰρ ἐῴκει*
ἔκγονον Ἡρακλῆος ὀ ϊ ζ υ ρ ῶ ς ἀ π ο λ έ σ θ α ι.

cf. ib. 299. IX, 21. X, 44. XIV, 159. 613. Ut autem Neoptolemus Eurypylum se et naves et omnes Achivos superaturum sperasse narrat, similiter funestam suis perniciem ab Aiace timet Menelaus V, 417.

ὅς τάχα νῆας ἐνιπρήσει, κτανέει δὲ καὶ ἡ μ ᾶ ς
πάντας ἐνὶ κλισίῃσι κοτεσσάμενος περὶ τευχέων. —

ubi pronominis vocalis perperam extrita ex epici sermonis lege revocanda est, vid. I, 580. V, 148. VI, 23. VII, 68. XII, 209. Si quis autem bisyllabo minorem statuere velit fidem, ei Homeri carmina demonstrabunt contrarium, vid. Il. 8, 211. 13, 114. 20, 135. Od. 4, 178. 452. 652. 6, 297. 9, 43. 251. 545. et 2, 330. nostro fere congrua:

— — — *καὶ ἡμέας πάντας ὀλέσσῃ.*

Eandem labeculam genitivo adspersam videmus I, 411.

δυσμένεσιν μάρνασθαι ὑπὲρ τεκέων τε καὶ ἡ μ ῶ ν,

quam poeta ipse deterget, iadis proprii tenacissimus, vid. I, 576. III, 117. IV, 26. VIII, 17. IX, 537. Apoll. Arg. II, 152.

Ea vero animi pietate, qua principes aetatis heroicae et sua et hostium consilia ad deorum numen ac potestatem referunt, Neoptolemus Eurypyli coeptis deos obstitisse testatur. Nec minus Troes coniuncta fortissimi cuiusque opera a navium munimentis repulsi deorum voluntate spe excidisse dicuntur VII, 482.

— *τοῖς δ᾽ οὔτι θ ε ο ὶ τ ε λ έ ε σ κ ο ν ἐ έ λ δ ω ρ.*

Sed Calchas, Ulixem augurium a diis oblatum callide perspexisse ratus, deos Achaeorum desiderium iam ad finem esse perducturos affirmat XII, 54.

ἤδη γὰρ Δαναοῖσι θ ε ο ὶ τ ε λ έ ο υ σ ι ν ἐ έ λ δ ω ρ.

Add. XIII, 527.

Eurypylum, etsi ingenti fuerit robore, hasta tamen paterna a se domitum oppressumque esse vere praedicat Neoptolemus, clausula usus, quam in versus principio de Tityo, velocibus Apollinis sagittis interempto, legimus III, 394.

οἷος ὑπερφίαλος Τιτυὸς πέσεν, ὁππότε Λητὼ
ἐ ρ χ ο μ έ ν η ν Π υ θ ῶ δ ε βιάζετο, καί ἑ χολωθεὶς,
ἀ κ ά μ α τ ό ν π ε ρ ἐ ό ν τ α, θοῶς ὑπεδάμνατ᾽ Ἀπόλλων
λαιψηροῖς βελέεσσιν, — — —.

Quibus manifesta interlucet Homeri imitatio, expressa ex Od. 11, 580. sq.

Λητὼ γὰρ ἥλκησε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν,
Π υ θ ώ δ᾽ ἐ ρ χ ο μ έ ν η ν διὰ καλλιχόρου Πανοπῆος.

Duplex autem adverbii accentus, de quo breviter disputat Goettlingius doctr. acc. p. 357. iam ex veterum sententia excusatur, neque homericum in Quintum transfundere opus erit, vid. Eustath. p. 1700, 18. *τὸ δὲ πυθώδε ἀντὶ τοῦ εἰς πυθώ. ἢ διφορεῖται. πυθών τε λεγομένη καὶ κλινομένη πυθῶνος καὶ πυθὼ, ὡς ἡ σαπφώ.* Deinde, num pronominis genitivus possessivo sit melior, dubitare licet:

πατρὸς ἐ μ ε ῖ ο μέγ᾽ ἔγχος, — — —

velut Zenodotus aliique scribere maluerunt in Hom. Il. 18, 335.

τεύχεα καὶ κεφαλὴν μεγαθύμου σ ε ῖ ο φονῆος·

eiecto altero σοῖο φ., atque in similibus egerunt similiter, vid. ad Il. 24, 486. Neque alio modo Neoptolemus Deidamiae matris luctum mitigare studet apud Quintum posthom. VII, 288.

θάρσει, μῆτερ ἐμεῖο, κακὴν δ' ἀποπέμπεο φήμην.

Verum enim vero quod illic et numeri poscunt, et gravitas quaedam compellantis suadet, id tum a prioribus Homeri locis sobrio Aristarchi aliorumque intelligentium iudicio abhorret, tum nostris infestum incommodumque est habendum, praesertim quum genitivi plures non possint non displicere, et Quintus ista simpliciter pronuntiare soleat. Argumento erunt VIII, 154.

ἵπποι θ', οἳ φορέουσιν, ἐμοῦ πατρὸς ἀντιθέοιο,

III, 208. VII, 225. Extremum denique hemistichium iterum ex homericis manavit fontibus; Aeneam enim de Achille item existimantem facit Il. 20, 102.

— — — — οὔ με μάλα ῥέα
νικήσει, οὐδ' εἰ παγχάλκεος εὔχεται εἶναι.

Illi autem tres alios adiunctos e Vindob. libris Schowius profert:

εἰ παγχάλκεος ἦεν καὶ εἰ στήθεσσιν ἦτορ
ἔσκε σιδήρεον, ἀλλ' οὐδ' ὣς ἀπέφευγεν πότμον
χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃς καὶ αἰχμῆς κῆρα μέλαιναν. —

dum annotat: „ex margine hos versus homericos in textum venisse arbitror.“ At lacinias quidem et pannos Homeri in istis inesse apparet, integros poetae versus repraesentari nego. Quapropter etsi facili negotio metro iusto et aequabili adstringi possent, ab inutili tamen labore abstinere satius duxerim. Adiecti enim sunt, ut opinor, a versificatore aliquo imperito, qui, nostri loquacitate parum contentus, quum Quinto tum Homero indigna sua ex officina procuderit.

Menalca a Neoptolemo caeso Medontis patris opes bonaque alienos inter se divisisse heredes scriptum reliquit Quintus VIII, 295. sqq.

ὃν τέκετ' Ἰφιάνασσα παρὰ ζάθεον πόδα Κίλλης
τεχνήεντι Μέδοντι, δαήμονι τεκτοσυνάων·

ἀλλ' ὁ μὲν οἴκοι ἔμιμνε φίλῃ ἐνὶ πατρίδι γαίῃ·
παιδὸς δ' οὐκ ἀπόνητο· πόνον δέ οἱ ἔργα τε πάντα
χηρωσταὶ μετόπισθεν ἀποφθιμένοιο δάσαντο.

Medontem ab artis peritia nomen tulisse alii testificantur: ita faber Troianus, qui Paridi in Graeciam traiecturo naves construxerat, Il. 5, 60. *Harmonides* appellatur, scutorum artifex, cui ingentem clypeum Aiax maior debebat, Il. 7, 220. *Tychius*, Pyliorum aurifex Od. 3, 425. *Laerces*, sphaerae eximiae fabricator Phaeacius, quem iam supra attuli, Od. 8, 373. *Polybus*. Illius igitur Medontis, filio orbati, bona ad heredes genere quidem propinquos, nec vero suae stirpis pervenerunt. Durum ac triste id visum esse veteribus discimus iam ab Homero Phaenopem Troianum, cuius duos filios, Xanthum et Thoona, obtruncat Diomedes, iisdem propemodum verbis deplorante Il. 5, 156. sqq.

— — πατέρι δὲ γόον καὶ κήδεα λυγρὰ
λεῖπ', ἐπεὶ οὐ ζώοντε μάχης ἐκ νοστήσαντε
δέξατο· χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο.

Propius etiam attingunt nostra Hesiodia theog. 606. sq.

— ἀποφθιμένου δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο
χηρωσταί· — — — —

Ad quae Quintum respexisse crediderim; nomen autem χηρωστὰς et veteres saepe illustrarunt, et recentiores nonnihil operae ei tribuerunt, vid. Steph. thes. gr. ling. VIII, 10598. d. Iam quod priores illi communi nomine κτῆσιν complectuntur, Quinto erunt πόνος τε καὶ ἔργα. Fabri igitur laborem et opera heredes partitos esse narrat. Atque de his quidem omnia plana ac manifesta esse existimaverim. Ut enim alios omittam, ἔργον et ἔργα quum epicis plerisque tum Quinto de cuiusque generis operibus fuerunt usitata. Saepissime quidem ita vocantur res bello gestae, ut III, 447. IV, 146. IX, 60. XIV, 132., accuratius eae describuntur vel adiectivo vel proprio apposito, sicut Ἀρήϊα I, 403., δήϊα VII, 266., ἔργα μόθοιο sive πολέμοιο II, 166. V, 136. VI, 18. VII, 174. XIII, 321. Eo quoque pertinet singularis XII, 343.

— — — ἐπεὶ πολὺ λώϊον ἄνδρες
ἔργον ἐποίχονται, ὁπότ' εἰσορόωσιν ἄνακτες.

Vulgo enim ἔργῳ ἐπ. et ἄνακτας perperam legi in mant. observ. ad Quint. posth. p. 245. dixi, multaque eorum, quae hic sunt expromenda, coniecturae meae fidem poterunt addere. Alibi ἔργον et ἔργα de opere quocunque sive rustico sive alio, quo homines funguntur, sunt accipienda, velut VI, 4.

τοὶ δ᾽ εἰς ἔργα τρέποντο βροτοὶ ῥεῖα φθινύθοντες·

ubi die illucescente mortales sua quisque opera obire perhibentur, add. I, 464. V, 47. VIII, 490. IX, 530. Hinc saepius ad diurnos rusticorum labores referuntur, vid. II, 184. III, 377. V, 59. Nec minus eo indicantur servarum munia, sicut VI, 155.

ἄλλαι δ᾽ αὖτ᾽ ἀπάνευθεν ἔσαν κλειτοῦ θαλάμοιο,
ἔργα τιτυσκόμεναι, ὁπόσα δμωῇσιν ἔοικεν.

Unde ea breviter nuncupantur δούλια ἔργα, cf. III, 568. XIII, 547. Certis vero hominum generibus sua quasi et propria sunt opera, proinde horum ἔργα ea potissimum, quae ab illis tractantur, declarare credibile est. Hinc ἔργα γυναικῶν lanificium rerumque domesticarum curam significant, ut I, 652. Transfunditur deinde nomen ad id, quod labore efficitur, itaque mulierum ἔργα vestes artificiose textas indicant VII, 683.

φάρεά τ᾽ εὔποίητα, γυναικῶν κάλλιμα ἔργα.

Similiter eo nomine artis instrumenta scite fabricata, quae in nympharum antro erant reposita, comprehenduntur VI, 482.

ἱστοί τ᾽ ἠλάκαταί τε, καὶ ἄλλ᾽ ὅσα τεχνήεντα
ἔργα πέλει θνητοῖσι, — — —.

Hinc equus ligneus Minerva magistra ab Epeo fabricatus vel huius opus vel sine ullo additamento crebro nominatur ἔργον, cf. XII, 83. 112. 155. 244. 248. 433. 443. XIV, 88. Quibus efficitur Medontis ἔργα opera ab eo affabre facta, quae in heredum possessionem venerint, designari. Verum enim vero minus assequor, quid sit πόνος. Nam pari quidem iure bellum aliaque eius generis, quibus quis exercetur, sic appellabuntur, quemadmodum illud Quinto tritum receptumque est, vid. III, 118. VII, 96. VIII, 114. XI, 76. 356. ac numerum pluralem V, 251., neque alii operi simili erit ineptum, ut agricolae labori XI, 212.

ἀμφ᾽ ἄροτρον πονέωντε πόνον, τρομέωντ᾽ ἐπὶ βουσί —.

Tum ad omnes omnino vitae difficultates atque aerumnas hominibus subeundas traducitur, velut XII, 293. sqq., in quibus πόνος ea, quae singulis quibusque ad laudem et gloriam enitentibus perferenda et superanda sunt, significat. Denique πόνος, re pro persona assumpta, is, qui alicui vincendus est, dicitur, aut opera, qua quid ad exitum perducitur. Alterum de Penthesilea, sine ullo paene labore ab Achille domanda, legitur I, 572.

ᾔδεεν, ὡς Ἀχιλῆϊ, καὶ ἰφθίμη περ ἐοῦσα,
ῥηΐδιος πόνος ἔσσεθ᾽, ὅπως ἴρηκι πέλεια.

Alterum eodem libro medico oculorum aciem aegroto reparanti datur v. 78.

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ἀλαοῖσιν ὑπ᾽ ὄμμασι πολλὰ μογήσας,
ἱμείρων ἰδέειν ἱερὸν φάος ἢ θανέεσθαι,
ἢ πόνῳ ἰητῆρος ἀμύμονος ἠὲ θεοῖο
ὄμματ᾽ ἀπαχλύσαντος ἴδῃ φάος ἠριγενείης.

Sed nullum horum in nostra cadit. Rem autem familiarem et opes labore partas tragici quidem interdum eo denotarunt nomine, epicorum sermonem isti potestati intercedere liquet. Quocunque igitur nos vertamus, omnis iaceat sollertia necesse est, nisi mendum subesse statuerimus. Iam quum Medon in patria suisque aedibus relictus esse feratur, haud scio, an leni mutatione provisum fuerit Quinto, eaque de caussa emendaverim:

— — — δόμον δέ οἱ ἔργα τε πάντα
χηρωσταὶ μετόπισθεν ἀποφθιμένοιο δάσαντο.

Heredes enim Medontis et domum et omnia, quae moveri poterant, diviserunt. Modo quidem paululum diverso, sed non ita dissimili κειμήλια et δόμος sibi opponuntur XIII, 9.

καί ῥά οἱ ἐν μεγάρῳ κειμήλια καὶ δόμος αὐτὸς
φαίνετο κινυμένοισιν ἐοικότα· — —

Praeterea nomen ἴρηξ, cuius testimonium e Quinti libris supra produxi, bis redit, XII, 12.

ἴρηξ σεῦε πέλειαν· — — —

et IV, 196.

— — — — οἱ δ᾽ ἀπὸ νύσσης
καρπαλίμως οἴμησαν, ἐοικότες ἰρήκεσσιν.

Cui, si meliorum grammaticorum iudicio stare voluerimus, spiri-

tum lenem praefigamus oportebit, vid. ann. meam ad Hom. Il. 13, 819.

De Troibus et Achivis mutuam sibi inferentibus caedem poeta exponit VII, 324. sqq.

ἄλλος δ' ἄλλῳ τεῦχε μόρον· κεχάροντο δὲ Κῆρες
καὶ Μόρος· ἀλγινόεσσα δ' Ἔρις μέγα μαιμώωσα
ἤϋσεν μάλα μακρόν· Ἄρης δέ οἱ ἀντεβόησε
σμερδαλέον, Τρώεσσι δ' ἐνέπνευσεν μέγα θάρσος,
Ἀργείοισι δὲ φύζαν· — — —

Congeruntur hic dii bello et pugna gaudentes Κῆρες, Μόρος, Ἔρις et Ἄρης, Troianis amicus, Achivis hostilis. E quibus priores duo saepe transferuntur ad ipsam mortem sive interitum, quo quis occumbit, etsi fatalem necessitatem plerumque habent adiunctam. Ac de illis quidem, ex Homeri carminibus satis notis, dicere nihil attinet, μόρον autem fatum sive mortem eo destinatam significare plurima Quinti ostendunt exempla. Sic de Paride fati instantis nescio habemus X, 94.

νήπιος· οὐδ' ἄρ' ἐφράσσαθ' ἑὸν μόρον· —

et eadem ib., 329. de Oenona, priore Paridis coniuge, sunt obvia. Neque ab hisce differunt ὑπὲρ μόρον, quae Homero praeeunte noster frequentavit, velut VII, 429.

— ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ὑπὲρ μόρον αἶψα δαμέντες
κεισόμεθ' ἐν Τροίῃ, τεκέων ἑκὰς ἠδὲ γυναικῶν.

Hinc de Troiae excidio fatali, quod ne dii quidem removere possunt, μόρον et αἶσαν in unum collata videmus XIV, 97. sqq.

ἀλλ' οὐ μὰν ὑπὲρ αἶσαν, ἐελδόμενοί περ, ἀμύνειν
ἔσθενον· οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ὑπὲρ μόρον οὐδὲ Κρονίων
ῥηϊδίως δύνατ' αἶσαν ἀπωσέμεν, ὃς περὶ πάντων
ἀθανάτων γένος ἐστὶ, Διὸς δ' ἐκ πάντα τελεῖται.

Iam quum extremum omnium mortalium fatum sit mors, nomina illa ei soli apta esse sequitur. Quod si fit, aut eadem sibi invicem connexa rem magis illustrant, aut μόρος simplex idem fere valet ac θάνατος. Illius generis sunt ea, quibus arma a militum corporibus mortem lugubrem ac fatum immite arcere dicuntur XI, 344.

βαλλόμεναι κόρυθές τε καὶ ἀσπίδες, αἵ τ' ἀλεγεινὸν
αἰζηῶν ῥύοντο μόρον καὶ ἀμείλιχον αἶσαν.

His propemodum congruunt, de Paride quae traduntur X, 261.

— — — ἐπεί ῥά οἱ αἴσιμον ἦεν
Οἰνώνης ὑπὸ χερσὶ μόρον καὶ κῆρας ἀλύξαι.

Mortis autem personam solum fatum quasi induit I, 253., ubi de Penthesilea Achillis hasta proiecta agitur:

— — — τῆς δ' ἄψεα πάντα
λῦσε μόρος· — — — —

VI, 630.

— — ὀδύνῃ δ' ἐμίγη μόρος, ἔφθιτο δ' ἀνήρ.

XI, 107.

— ὀτραλέαι δὲ ποτὶ μόρον εἰσὶ κέλευθοι. —

add. IX, 194. et XI, 414., in quibus Mars divino numine praesto est Aeneae, et eius tela in Achaeorum dirigit perniciem, quod poeta persequitur hisce:

εἱστήκει δέ οἱ ἄγχι, δέμας κεκαλυμμένος ὄρφνῃ,
δεινὸς Ἄρης, καὶ πάντα κατιθύνεσκε βέλεμνα
ἢ μόρον ἢ δέος αἰνὸν ἐπ' Ἀργείοισι φέροντα.

Denique idem convenit Argivis ex infesto maris tumultu aegre elapsis XIV, 627.

— παῦροι δὲ φύγον μόρον, οὕς τ' ἐσάωσεν
ἢ θεὸς ἢ δαιμών τις ἐπίῤῥοθος· — —

Neque in eos modo, qui vel pereunt, vel mortem effugiunt, cadit, sed vita etiam defuncti fato succubuisse perhibentur, velut adolescentem peregre profectum occidisse communis hominum fama nuntiat XIII, 538.

ὡς δ' ὁπόθ' αἰζηοῖο μετ' ἀλλοδαποῖσιν ἐόντος
λαοὶ φημίξωσι μόρον, — — —

aut Scylaceus Lycius, solus in patriam reversus, matronis popularibus maritorum filiorumque fortunam ex eo percunctantibus omnium horum interitum refert X, 155. sqq.

— — τὸν δ' ἄστεος ἄγχι γυναῖκες
ἀγρόμεναι τεκέων σφετέρων ὕπερ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν
εἴροντ', ὃς δ' ἄρα τῇσι μόρον κατέλεξεν ἁπάντων.

Cuius sententiae fundus auctorque Homerus est factus, vid. Il. 6, 238. sqq. In superioribus autem accentus vocis ἀλλο-

δαποῖσιν, quae in omnibus *προπαροξυτόνως* ferebatur, in paenultima erat collocandus, vid. I, 433. II, 40.

Iam horum singulis non minus quam iis, quibus *μόρος αἰνὸς*, *ἀργαλέος*, *δεινὸς*, *κακὸς*, *στυγερὸς* similiterque appellatur, mortis potestatem adhaerere patet. At quum ea fato constituta iudicetur, vix hominis erit, letum eiusmodi aliis parare. Ad haec accedit, quod et *Μόρος* deus proxime insequitur, et iam antecedente versu adfuit:

— — *τὸν δ' ἀργαλέη κίχε μοῖρα.*

Hisce impulsus caussis de vulgaris lectionis sinceritate dubitare coepi, idemque, quod, ut postea animadverti, iam Pauwius suasit, mihi venit in mentem:

ἄλλος δ' ἄλλῳ τεῦχε φόνον· — —

Nam altera eius coniectura, qua *Μόρος* aspernatus in versu proximo *Φόνος* reponi iubet, vel propterea, quod ea prosopopoeia, si reliqua spectas nomina, parum commoda potest censeri, a nobis erit repudianda. Priori autem aptae atque eleganti insuper opem ferunt alia, velut I, 307.

ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλοισι φόνον καὶ κῆρ' ἐτίθεντο.

IV, 77.

δὴ τότ' ἀνέγρετο λαὸς ἐϋσθενέων Ἀργείων
πορφύρων Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρ' ἀΐδηλον.

In quibus alterum altero et explicatur et defenditur. Nec minus prodest nostrae rationi verbum, ad mutuam hostium caedem aliquoties traductum, vid. VI, 642. VIII, 108. XI, 121.

ἄλλος δ' ἄλλον ἔπεφνε· — — —

Sicut autem *ἄλλος ἄλλον* consociare amat Quintus, item *ἄλλοθεν ἄλλος*, nemini fere epicorum incognitum, ei fuit in deliciis, vid. Bonitium in horreo Zimmermanni l. all. p. 1235. Atque hic quidem posteriorum septem librorum testimonia illic enotavit, praeter VIII, 337. forte fortuna neglectum, in septem vero prioribus idem reperimus I, 395. 398. 425. 794. II, 558. III, 275. 294. 663. V, 83. 408. 438. 556. VI, 202. 258. VII, 542. 711. Sed iniuria, ut puto, in suspicionem adduxit XIII, 54.

οἵ ῥα τότ' ἀμφ' αὐτῇσι κατήϊον ἄλλοθεν ἄλλοι.

Nam quod sermo sit de Achaeorum ducibus, ex eodem equo per easdem fores descendentibus, substituendum esse arbitratur: *ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ* sive *alius post alium.* At potuit quidem sic scribere Quintus, et firmiora, quam quibus vir doctus nititur, in promptu erant praesidia, vid. I, 465. III, 360. IV, 523. VI, 438., at non debuit. Argumento est Theocritus, qui Iasonis socios ex eadem nave perque easdem scalas, verum ab utraque parte, in qua remigum erant transtra ac sedilia, facit descendentes Idyll. XXII, 30. sq.

ἔνθα μιᾶς πολλοὶ κατὰ κλίμακος ἀμφοτέρων ἓξ
τοίχων ἄνδρες ἔβαινον Ἰησονίης ἀπὸ νηός.

Eodem modo non omnes omnino principes, ligneo equo inclusi, uno quasi in angulo fuerunt absconditi, diversa igitur ex parte degressi recte perhibentur: alius enim alia ex latebra prodiit. Haud inscite ergo Quinti verba latinus interpres reddidit: „*qui tunc per illas descendebant, alius aliunde.*"

Non ita multo post, nisi Iovis fulmina prohibuissent, Minerva et Mars conseruissent manus. Hoc enim in Neoptolemum invasuro illa subito desilit ex Olympo, quod poeta magnifice exornavit VIII, 342. sqq.

— — — — *εἰ μὴ Ἀθήνη*
ἔκποθεν Οὐλύμποιο θόρεν ποτὶ δάσκιον Ἴδην·
ἔτρεμε δὲ χθὼν δῖα καὶ ἠχήεντα ῥέεθρα
Ξανθοῦ· τόσσον ἔδεισε· δέος δ' ἀμφέκλασε θυμὸν
Νυμφάων· φοβέοντο δ' ὑπὲρ Πριάμοιο πόληος.

Alia in sequentibus partim luxata partim mutilata bene restituit Tychsenius. Illis vero, quae adscripsi, abstinuit, sive nihil vitiosi superesse ratus, sive consilii inopia deterritus. At nec vulgata pro sanis habeo, nec Rhodomanni aut Pauwii explicandi emendandive pericula mihi quidem arrident. Quod ut aliis etiam patefaciam, poetae verba accuratius inspiciamus. Ait ille: „*Pallade ex Olympo in frondosam Idam improviso delapsa et terra divina et Xanthi sonora fluenta intremuerunt; tantum timuit.*" Sed id fieri nequit, quod nulla est comparatio, nec, quantum alius quispiam timuerit, narratum legitur. Iccirco Rhodomannus verba interiecta cum Minerva statuit copulanda et pro *ἔδεισε* proposuit: *ἔθυσε* i. e. *tanta*

irruit vi. Pauwius contra receptum tutatur sic disputans: „In Aldina nullus ad versum hunc asteriscus, sed ad duos versus sequentes, qui in illa Rhodomanni et hac nostra etiam habentur. Legi potest:

ἔτρεμε δὲ χθὼν δῖα, καὶ ἠχήεντα ῥέεθρα
Ξανθοῦ τόσσον ἔδεισε, δέος τ' ἀμφέκλασε θυμὸν
Νυμφάων· — — — —

Quantum intremuit terra, tantum expavit Xanthus: ὅσσον ἔτρεμε, τόσσον ἔδεισε· postponendum subaudire iubet proponendum. Et hoc non ineptum certe. τρέμειν de fluvio minus apte dicitur: nam in unda vel citius vel tardius procedente qui tremor, ubi motus semper tremore maior? Sic sane ἔδεισε melius convenit fluvio, quia generalius dicit, quod de omnibus dici potest. Attende; hic opus est iudicio, quo tamen non polluit Quintus. Quare si cum Rhodomanno legere velis: τόσσον ἔθυσε· δέος δ' ἀμφέκλασε θ. N., per me licet: sic satis bona est lectio; neque alia noto, ut eam impugnem, sed ut in vulgata minorem esse difficultatem, quam sibi persuasit Rhodomannus, ostendam.“ At primum vix praetermitti poterat comparandi particula, qua neglecta nemo ad id perveniet, quod animo informavit Pauwius. Deinde ἔτρεμε Ξανθοῦ ῥέεθρα temere iudicat inepta, oratione enim pro poetarum more dilatata fluvii deus ipse significatur, Xanthum autem, ut Troiae deum tutelarem, subito Minervae adventu merito intremuisse nemo negabit. Nec vero inscite verba ista ad Minervam adiicienda censuit Rhodomannus, caussam enim, qua perculsa terra et Xanthus trepidaverint, et Nymphae animo fuerint fracto, requiri satis apertum est. Sed quod vir sagacissimus suasit, id et Palladi iam praesenti minus expedit, et nullo alio fundamento innixum videbitur absonum. Equidem: τόσσον ἄϋσε i. e. *tantum vociferata est*, reponendum duxerim. Nam belli clamores, quibus hostibus incutiant terrorem, ab ultima inde antiquitate repetiti ne nostris quidem temporibus obmutuerunt. Minerva vero Martem in Neoptolemum iam irruentem eo avertisse et ad singulare certamen ineundum provocasse veri simillimum est. Eius autem rei alia expromere testimonia vix erit opus, vide tamen, sis, XII, 177., ubi deorum congressu paria fere efficiuntur, add. II, 512. III, 37. VIII, 325. sq. At ne quis obiiciat tantum clamorem deae sapientissimae esse indecorum, et Quinti nonnulla isti opinioni adversari, et Homerum eam prorsus refellere addo. Is enim Iunonem pariter atque Minervam inducit vociferantes; adi Il. 5, 784. sqq. 20, 48. sqq.

ὦρτο δ' Ἔρις κρατερὴ, λαοσσόος· αὖε δ' Ἀθήνη,
στᾶσ' ὁτὲ μὲν παρὰ ταφρὸν ὀρυκτὴν τείχεος ἐκτὸς,
ἄλλοτ' ἐπ' ἀκτάων ἐριδούπων μακρὸν ἀΰτει.

Respondet autem illic ab altera parte idem Mavors.

Troianis in urbem repulsis acerrimum ad muros oritur proelium, nec multum abest, quin Achivi muris ac portis fortiter perruptis Ilio potiantur. At Ganymedes, summum urbis paternae discrimen ab Olympo intuitus, Iovem supplex rogat, ut Troiae suorumque exitium, si fato sit decretum, in aliud certe tempus velit differre VIII, 427. sqq.

καί νύ κε δὴ ῥήξαντο πύλας καὶ τείχεα Τροίης
Ἀργεῖοι, μάλα γάρ σφιν ἀάσπετον ἔπλετο κάρτος,
εἰ μὴ ἄρ' αἶψ' ἐβόησεν ἀγακλειτὸς Γανυμήδης,
οὐρανοῦ ἐκκατιδών· μάλα γὰρ περιδείδιε πάτρῃ.

At in postremo horum sine dubio praepositionem priorem, a verbo instante secretam, cum nomine praecedente committamus melius:

οὐρανοῦ ἐκ κατιδών·

i. e. *e coelo despiciens.* Scio quidem similia unius verbi ambitu non ita raro contineri in homericis, sed ibi quoque recentiores atque intelligentiores separant alteram, velut μάχης ἐκ νοστήσαντες vel certe μάχης ἐκ νοστήσ. Arcto cognationis vinculo cum nostro tenetur Il. 19, 351.

οὐρανοῦ ἐκ κατέπαλτο δι' αἰθέρος. —

Quae vulgares pariter scribebant: οὐρανοῦ ἐκκατέπαλτο, vid. excurs. ad Il. XIV. §. 2. p. 58. sq. Deinde Tychsenius, auctore nescio quo, casum secundum mutavit tertio, cuius nullam idoneam excogitare possum rationem. Utrumque enim verbum admittere latet neminem, vid. Passov. lexic. II. 1.

p. 566. Si quid autem aliter instituendum erat, dativus itidem est reducendus XII, 202.

τῶν δὲ περιδδείσασα κλυτὴ Θέμις, εὖτε νόημα
ἆλτο διὰ νεφέων· — — — —

sicut illum habes II, 500.

δείδιε δ' Ἠριγένεια φίλῳ περὶ παιδὶ καὶ αὐτή —.

At nulla opus est mutatione; Homeri enim usus suadet potius, ut *πάτρης* postliminii iure in suam revertatur sedem.

Quibus postea Ganymedes Iovem compellat v. 431.

Ζεῦ πάτερ, εἰ ἐτεόν γε τεῆς ἐξ εἰμὶ γενέθλης,

in iis *ἔξειμι* olim coniunctum scite in duo distraxit Tychsenius, cf. excursum ad Hom. Il. IX. §. 3. p. 12. Sed pravo accentu instruxit verbum; oportet enim eius tenor inclinetur, velut in Hom. Od. 13, 130.

Φαίηκες, τοίπερ τοι ἐμῆς ἔξ εἰσι γενέθλης.

PARTICULA SEPTIMA.

Iis, quae ad priores octo Quinti libros adhuc eram commentatus, nondum ad finem perductis, Lipsia primum fama ad me pervenit, Arminium Koechlyn, virum industrium ac sollertem, actorum societatis graecae volumini secundo emendationes et annotationes in eundem poetam esse inserturum, mox et libri pars prior a bibliopola est tradita, et auctor ipse pro sua in me humanitate commentationem praeclaram dono misit. Quod si prius mihi aut innotuisset aut contigisset, totum hoc consilium me vel abiecturum vel alio certe modo exsecuturum fuisse ingenue profiteor. Itaque quod unum iam relictum videbam, elegantes illas coniecturas, quae ad sex posteriores libros pertinent, si qua erit opportunitas, respiciam, utrique communia resecabo, totamque rem ita instituam, ut legentium et satietati occurram et provideam desiderio. Verum priores octo libros nunc quidem non attingam; sed, si quae erunt, de quibus aliter fuerit visum, ea vel appendici, septem observationum particulis adiiciendo, vel praefationi reservabo. Quod quidem coeptum neque alium quemquam nec virum egregium, cui Quintus plurima et eximia debet, improbaturum esse paene speraverim. At multo tardius, quam volebam, ad ea, quae animo agitabam, licuit accedere. Obiecta enim est negotiorum turba, qua omnes omnino, qui in eodem mecum versantur gradu, singulis curriculi scholastici annis exeuntibus in hac nostra terra obruuntur. Quae rerum moles tum infirma collegarum valetudine, tum iuvenum ex hac nostra bonarum litterarum velut palaestra discessum in academiam meditantium multitudine, tum aliis quibusdam, quae tacere quam eloqui praestat,

mirum in modum aucta effecit, ut spisse et aegre ad Quinti curam possem reverti. Neque nunc quidem in eo solo omnem defigere licet cogitationem, multa enim alia studium animumque sibi expetunt, meque tenent districtum. Sed experiar iam, ut aiunt, fortunam audacibus adiutricem, omnibusque aliis impedimentis aut superatis aut remotis ad ea, quae perficienda restant, alacri tendam gressu, praesertim quum accurata Koechlyis doctrina laborem valde imminutum onusque mihi impositum magnopere allevatum esse bene intelligam.

Exordio igitur libri noni Antenor, rerum ab Argivis gestarum magnitudine perterritus, Iovem implorat, ut pro sua in Troas voluntate turbulentissima illa tempestate ab urbe reiecta et Achillis filio, quem quis sit ignorat, represso otium et tranquillitatem concedat. In his quoque poeta sequitur Homerum, de Diomedis robore ac virtute in Il. 6, 96. sqq. similiter iudicantem. Antenor autem de adversa suorum fortuna exponit IX, 14. sqq.

λαοὶ γὰρ κατὰ ἄστυ θεηγενέος Πριάμοιο
πολλοὶ ἀποφθινύθουσι, κακοῦ δ' οὐ γίνετ' ἐρωή,
ἀλλὰ φόνος τε καὶ οἶτος ἐπὶ πλέον αἰὲν ἀέξει.

Belli fluctus nondum compositos Homeri Iliadi debet Quintus; etenim bis illa 16, 302. 17, 761.

— — *πολέμου δ' οὐ γίγνετ' ἐρωή.*

Quo sponsore litteram verbo detractam inseramus. Neque isti inopiae veniam parabunt alia, ut II, 425.

ἐσθλά τε καὶ κλυτὰ ἔργα, τά τ' ἀνδράσι γίνετ' ὄνειαρ·

aut XII, 2.

— — *πολέμου δ' οὐ γίνετο τέκμωρ.*

Nam medicinam, etsi incredibilis librariorum socordia sexcenties repugnat, alia plura dubio liberant exempla, vid. V, 263.

— — *μέγα γὰρ κράτος ἀνδράσι μῦθος*
γίγνεται εὐφροσύνῃσι μεμιγμένος· — —

add. ib. 431. 575. 593. II, 598. IV, 69., quibus, quod versus singulos ordiuntur, plus inest ponderis. Nec bisyllabo alia fuit forma, vid. I, 474.

— — — — *οὔτ' ἀλεγεινὴ*
γίγνετ' ἀναγκαίῃ καὶ θηλυτέρῃσι μάχεσθαι.

X, 71. Praesenti imperfectum congruere admodum verisimile erit, nec discrepant I, 486. III, 716.

— — *μέλαινα δὲ γίγνετο τέφρη.*

Quibus id refutatur, quod e libr. XII, 2. paullo ante enotavimus. Illud autem insuper reddatur oportet IX, 520.

οἶδα γάρ, ὡς στρεπτὸς νόος ἀνδράσι γίγνεται ἐσθλοῖς,

de cuius diversitate adi Tychsen. commentat. p. 103. et Koechl. emend. p. 235. Ex participio duplici *γιγνόμενος* et *γεινόμενος*, illud libr. III, 622., ubi quae sibi acciderint Thetis enarrat, aptum erit et idoneum, hoc vero iis, quae generatim dicuntur, velut XI, 275.

— — *οὐ γάρ τι μετατρέπεται νόος αἰνὸς*
κείνης, ὅντινα πρῶτον ἐπ' ἀνδράσι γεινομένοισιν,
ἀνδράσιν ἢ πολίεσσιν ἐπικλώσηται ἀφύκτῳ
νήματι· — — — —

Unde idem reposuerim III, 756.

— — — — *οὕνεκ' ἄρα σφιν*
θέσφατα γιγνομένοισι Χάους ἱεροῖο θύγατρες
Μοῖραι ἐπεκλώσαντο, καὶ ἀθανάτοις περ ἐοῦσι,
πρῶτα Ποσειδάωνι δαμήμεναι· —

Sentire nobiscum Homeri usum ac sermonem ostendunt plurima, vid. Il. 10, 71. 20, 128. 24, 210. Od. 4, 208. 7, 198.

Mox Troes et Achivi induciis factis pugna occisos combu- runt IX, 34. sqq.

οὕνεκα δὴ Πριάμοιο βίη κήρυκα Μενοίτην
εἰς Ἀγαμέμνονα πέμψε καὶ ἄλλους πάντας Ἀχαιούς,
λισσόμενος νέκυας πυρὶ καιέμεν· οἱ δ' ἐπίθοντο
αἰδόμενοι κταμένους· οὐ γάρ σφισι μῆνις ὀπήδει.
ἦμος δὲ φθιμένοισι πυρὰς ἐκάμοντο θαμειάς,
δή ῥα τότ' Ἀργεῖοι μὲν ἐπὶ κλισίας ἀφίκοντο.

Apud Homerum praeco Idaeus, cui Priamus rex idem mandatum dederat, in Agamemnonis proficiscitur castra Il. 7, 381. sqq. Neque Achaeorum imperator illis deest precibus, sed benigne respondet v. 408. sqq.

ἀμφὶ δὲ νεκροῖσιν κατακαιέμεν οὔτι μεγαίρω·
οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνηώτων
γίγνετ', ἐπεί κε θάνωσι, πυρὸς μειλισσέμεν ὦκα.

Haec igitur Quinto sunt obversata tum hic tum I, 809.

οὐ γὰρ ἐπὶ φθιμένοισι πέλει κότος, ἀλλ' ἐλεεινοὶ
δήϊοι οὐκέτ' ἐόντες, ἐπὴν ἀπὸ θυμὸς ὄληται.

Quae si accurate inspexeris, prioribus non minus convenire tempus praesens videbis, proinde legendum erit: *οὐ γάρ σφισι μῆνις ὀπηδεῖ.* Id autem loco communi, quo quid statuendum sit in universum disseritur, Homerus aeque ac noster agnoscunt, vid. Il. 5, 216. 17, 251. 24, 368. Od. 7, 165. 181. 8, 237. 9, 271. Quint. I, 738. 752. XIV, 189. 429. Imperfectum vero rei praeteritae, cuius fit mentio, conducere Homerus ostendit Il. 2, 184.

κῆρυξ Εὐρυβάτης Ἰθακήσιος, ὅς οἱ ὀπήδει.

Add. Od. 19, 398. h. in Merc. 209. Quint. IX, 64. XI, 78. 166. Versu deinde praecedente Rhodomannus et Brodaeus *πυρὶ καιέμεν* pro verbo suspecto *περικαιέμεν* acute restituerunt. Neque inepta Dausquei disputatione refelluntur, mortuos enim *πυρὶ* sive *ἐν πυρὶ* absumi consequens est. Neutrum horum Homerus ignorat, vid. Il. 7, 429. 432.

ἐν δὲ πυρὶ πρήσαντες ἔβαν κοίλας ἐπὶ νῆας.

et praepositionem omissam Il. 20, 316. 21, 375.

μηδ' ὁπότ' ἂν Τροίη μαλερῷ πυρὶ πᾶσα δάηται.

Quinto nihil fere dicitur crebrius, conf. I, 17. 368. II, 8. 108. V, 389. VII, 427. IX, 455. X, 382. XII, 445. 568. XIII, 316., praepositio adiecta cernitur IV, 18.

τοὺς μὲν ἀκηχεμένους, τὸν δ' ἐν πυρὶ δηωθέντα.

XIII, 471 sq.

πᾶσα δ' ἄρ' ἡ τὸ πάροιθε πανόλβιος ἐν πυρὶ Τροίη
καίεται· — — — — —

ib., 487.

πόρθεον Ἴλιον αἰπύ· τὸ δ' ἐν πυρὶ καίετο πολλῷ.

Quae quum toties iterentur, remedium adhibendum putaverim XIII, 82., ubi Achivi e Tenedo insula reversi Priami urbem bello caedeque plenam et incendio iam traditam adeunt, quod hisce poeta persequitur:

πᾶν δ' εὗρον πτολίεθρον ἐνίπλειον πολέμοιο
καὶ νεκύων· πάντη δὲ πέρι στονόεντα μέλαθρα
καιόμεν' ἀργαλέως· μέγα δὲ φρεσὶν ἰαίνοντο.

Melius enim aedes lugubres igni cremari dicentur, quam circumcirca flagrare. Sed redeo ad superiora, in quibus versus proximus merito, ut opinor, suspicionem movit Pauwio, ea de re ita praecipienti: ,,non satisfacit *ἐκάμοντο*: nam *adornare* rogos non erat satis, sed illos *accendere* et *comburere* erat necesse, neque ad naves et urbem redire debebant post rogos igne consumtos. Nihil apertius et sepulturae ratio id exiget certo.“ Inde emendandum esse censet: *πυρὰς καίοντο θαμειάς*, quae ad Homeri normam scripserit poeta, nam ille in Il. 1, 52. ait:

— *αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.*

Sed dicat aliquis, et medium et imperfectum a tota loci sententia abhorrere: si quidem illud non rogum alicui accensum, sed flammis ardentem indicet, hoc vero rem praesentem, necdum perfectam, describat, nec Troas et Achaeos, dum rogi exstructi deflagrarent, ad sua aut castra aut moenia redire debuisse. Plerumque quidem *καίετο* et *καίοντο* ita poni minime negaverim, vid. V, 640. VIII, 463. X, 468. 478. XII, 199. 503. XIII, 432. 487. Puartum igitur casum ad id, quod requiritur, parum apte cadere intelligitur, melius ei congruet primus, Homero auctore reducendus:

ἦμος δὲ φθιμένοισι πυραὶ καίοντο θαμειαί,

postquam rogi crebri mortuis i. e. in mortuorum gratiam aggesti comburebantur. Quod ab iis, quae ex Homer. Il. 7, 429. sqq. supra attuli, non ita multum recedit, sepultura mortuorum omissa. Ut autem Quintus ea in re Homeri vestigia secutus videtur, ita activi imperfectum dicitur similiter X, 3.

— — *καῖον γὰρ ἀποκταμένους ἐνὶ χάρμῃ·*

add. IX, 33. III, 714., ubi venti adspirantes Achillis rogum in cineres vertunt. Medium respuere fere quartum casum alia plura demonstrant, sicut Paris et Oenona flammis accensis iamiam absumpti X, 477. sq.

— — — — *οἱ δ' ἐνὶ μέσσῃ*
πυρκαΐῃ καίοντο λελασμένοι ἠριγενείης.

In quibus tenoris pravitas doctorum aciem fefellit: *πυρκαϊὴν*

enim oxytonum esse constat, vid. Il. 7, 428. 431. Quint. posthom. I, 789. 795. III, 723. V, 609. 654. VII, 155. 163.

Neoptolemus Achillem patrem nec filium nec semet ipsum patrem adspexisse conqueritur IX, 55.

νῦν δ' οὔτ' ἄρ σύγ' ἐσεῖδες ἑὸν τέκος, οὐδέ σ' ἐγώ περ
εἶδον ζωὸν ἐόντα, λιλαιόμενός περ ἰδέσθαι.

Haec quomodo ferri et explicari possint, dixi p. 120. At secus videtur Koechlyi, pro more poetae in emendat. p. 230. reposcenti:

νῦν δ' οὔτ' ἄρ σύγ' ἐσεῖδες ἑὸν τέκος, οὔτε σ' ἔγωγε —

Alteram enim particulam ineptam, alteram intolerabilem existimat. Cui quidem dabo, vero ac germano *ἔγωγε* e versu proximo *περ* facile potuisse substitui, sed *οὐδέ* non continuo damnaverim. Nam Achilles Neoptolemum puerum conspexerat, Neoptolemo nulla patris fuit memoria, unde commode dicere potuit: „*nec tu filium tuum vidisti, nedum ego te.*“ Quo clarius pateliat desiderium patris in filii animo excitatum. Cognata hisce sunt Diomedis dicta in Homeri Il. 4, 374 sq.

ὥς φασαν, οἵ μιν ἴδοντο πονεύμενον· οὐ γὰρ ἔγωγε
ἤντησ', οὐδὲ ἴδον· περὶ δ' ἄλλων φασὶ γενέσθαι.

Troiani Argivos multo strepitu urbis moenia subeuntes expavescunt, donec Deiphobus trepidantes militum animos erigit adhortando IX, 78. sqq.

— — *καναχιζε δὲ τεύχεα φωτῶν*
κινυμένων· ἄμοτος δὲ κονίσσαλος ὦρτο ποδοῖιν.
καὶ τότ' ἄρ' ἠὲ θεῶν τις ὑπὸ φρένας ἔμβαλε θάρσος
Δηϊφόβῳ, καὶ θῆκε μάλ' ἄτρομον, ἠὲ καὶ αὐτὸν
θυμὸς ἐποτρύνεσκε ποτὶ κλόνον, ὄφρ' ἀπὸ πάτρης
δυσμενέων ἀλεγεινὸν ὑπ' ἔγχεϊ λαὸν ὀλέσσῃ·
θαρσαλέον δ' ἄρα μῦθον ἐνὶ Τρώεσσιν ἔειπεν·

Nomini *κονίσαλος* unam sibilam sufficere p. 144. observavi, nec minus suspectus est *ἄμοτος κονίσαλος*, tametsi latinus interpres nihil fraudis subesse putavit; reddit enim graeca: „*ingensque pulvis pedibus excitatur.*“ Verum enim vero *ἄμοτον* merum adverbium esse Homero atque epicis scimus, vid. Passov. lexic. p. 112, b. Atque ille quidem ei iungere solet

participia, ut *μεμαώς* et *κεχολωμένος*, conf. Il. 4, 440. 5, 518. 13, 40. 80. 22, 36. 23, 567., verborum exempla proponunt Il. 19, 300. Od. 6, 83. 17, 520. Id ipsum transiit ad Quintum, unde III, 36.

— — — *ἐκ δέ οἱ ὄσσων*
πῦρ ἄμοτον μάρμαιρε· ποσὶν δ' ὑπεκίνυτο γαῖα·

et VIII, 349.

σμερδαλέοι δὲ δράκοντες ἀπ' ἀσπίδος ἀκαμάτοιο
πῦρ ἄμοτον πνείεσκον· — — —

iterum male cepit interpres, quem erroris coarguunt II, 454. 640. III, 133. V, 321. VI, 287. VIII, 40. IX, 145. XI, 208. Quorum multitudo efficiet, ut tritum usitatumque illic revocemus et *ἄμοτον δὲ κ. ὦ. π.* scribamus. Praeterea Koechlys in emendat. p. 230. iis, quae ad Il. 6, 439. annotavi, permotus v. 81. genitivum *αὐτοῦ* potiorem censet, equidem casum quartum omnium consensu tutum nolim expellere. Etenim Deiphobus vel dei cuiusdam beneficio robore instructus, vel motu libero ac suo ad pugnandum impulsus dicitur. Dei ergo auxilio et favori principis ipsius virtutem, qua incensus in aciem est progressus, licebit opponere. Eam vero rationem et Hom. Il. 15, 43. et alia eiusdem plura confirmant, vid. Damm. lex. hom. p. 544, a. b. Neque ab his dissentiunt recentiores, velut Iaso Medeae de eius patria percontanti respondet apud Apollon. Argon. III, 1083. sq.

εἰ δέ τοι ἡμετέρην ἐξίδμεναι εὔαδε πάτρην,
ἐξερέω· μάλα γάρ κε καὶ αὐτὸν θυμὸς ἀνώγει.

Add. IV, 244. Quint. posth. VIII, 172. 417. IX, 28. X, 441. sq. Alter casus possessivi provinciam in se recipit XIII, 277.

ὅς μοι ἔην μάλα πολλὰ, τά τ' ἔλδετο θυμὸς ἐμεῖο.

Neque aptus videtur tertius ib. 306.

— — — *οὐκέτ' ἄρ' αὐτῷ*
ἐλπωρὴν ἔχε θυμὸς ἰδεῖν εὐτειχέα πάτρην.

Sermo est de Aenea, qui, urbem incensam, bona direpta, matronas denique cum liberis vi abstractas conspicatus, de patriae salute desperat, et fugae capit consilium. Obiiciuntur igitur mala extrinsecus illata Aeneae ipsius timori. Quam ob caussam *αὐτοῦ* e nomine *θυμὸς* aptum praeferendum

duxerim. Postea quae de Deiphobo hostium exercitui stragem meditante leguntur addita, ea nuper in disceptationem vocavit Koechlys p. 230. sq. Iure autem suo Rhodomanni interpretationem: „*ut a patria (repulsas) saevas hostium copias hasta neci daret*“, vituperat. Abest enim a Quinti verbis et *repellendi* notio, neque apparet, cur hostes interficiendi antea fuerint reprimendi. Itaque collatis iis, quae de Neoptolemo et Graecis VII, 144. et 526. sqq. exponuntur, leni profecto mutatione corrigit:

— — — — *ὄφρ' ἀπὸ πάτρης*
δυσμενέων ἀλεγεινὸν ὑπ' ἔγχεϊ λαὸν ἐ λ ά σ σ ῃ.

His et *πάτρην*, quae vox sola urbem aegre possit significare, melius congruere putat, et alia similia profert, sicut VII, 514. sq.

οὐκ ἂν δή με βέλεσσι νεῶν ἄ π ο ταρβήσαντα
ἠ λ ά σ α τ', εἰ μὴ τεῖχος ἐμὴν ἀπέρυκεν ὁμοκλήν.

VIII, 33. sq.

— — *φόρεον δέ μιν ἄμβροτοι ἵπποι,*
τούς οἱ ἐελδόμενῳ ν η ῶ ν ἄ π ο λ α ὸ ν ἐ λ ά σ σ α ι
ὤπασεν Αὐτομέδων· — — —

Neque hisce finitima desunt, sic Eurypylus Achivorum exercitum in naves compellit VI, 515.

αὐτίκα κάλλιπε λ α ὸ ν, ὅσον κατὰ νῆας ἔ λ α σ σ ε ν.

Itaque locus bene et scienter constitutus videtur. At vero cum Deiphobo vulgo connexa ad hostes licet referre, quo posito nulla opus est emendatione. Voluit enim ille Troianorum dux Achivos non modo ab urbe patria, quam adoriebantur, repellere, verum occidione occidere. Id quidem eo erit probabilius, quo minorem fructum Troes ex hostium fuga erant percepturi, illos enim mox redituros fuisse sua sponte intelligitur. Quare poetae verba rectius fortasse vertes: *ut infestum hostium exercitum p r o c u l a p a t r i a neci daret ense.* Hoc enim modo omnia plena erunt et perfecta. Nemo autem nescit, mortem procul a patria subeundam gravem atque invisam fuisse veteribus. Ut homerica silentio praeteream, Quinti quaedam commemorasse satis erit, vid. V, 447.

— — *ἐπεί νύ σε τ ῆ λ' ἀ π ὸ π ά τ ρ η ς*
οἰωνοί τε κύνες τε δεδουπότα δαρδάψουσιν.

Add. VIII, 100. V, 542. Verum obiici poterit, quod Koechlyi venit in mentem, Troianis in urbem inclusis et obsidione pressis, Deiphobum nihil aliud in animum potuisse inducere, nisi ut patriam e praesenti rerum discrimine eriperet et hostes ab ea repelleret. Insolito autem ardore inflammatum ac dei quasi numine accensum summa quaeque et expetere potuisse et revera expetiisse profecto concedendum erit.

Troes armis instructi hostibus obviam eunt ac signa conferunt IX, 125. sqq.

ἀλλ' ὅτε δὴ μάλα πάντες ἐν ἔντεσι θωρήχθησαν,
ἄστεος ἐξεχέοντο μέγ' ἱέμενοι πολέμοιο
λευγαλέου· ταχέεσσι δ' ἐφ' ἱππήεσσιν ὄρουσαν
ἱππῆες· π ε ζ ο ῖ σ ι δ' ἐπέχραον ἔ θ ν ε α φ ω τ ῶ ν·
ἅρμασι δ' ἅρμαθ' ἵκοντο καταντίον· ἔβραχε δὲ χθὼν
ἐς μόθον ἐσσυμένων· ἐπαΰτεε δ' οἷσιν ἕκαστος
κεκλόμενος· τοὶ δ' αἶψα συνήϊον· ἀμφὶ δ' ἄρα σφι
τεύχε' ἐπεσμαράγησε· μ ί η δ' ἑκάτερθεν ἀ ϋ τ ὴ
λευγαλέη· — — — —

Pleraque quae hic delitescunt, vulnera aliorum sollertia et detecta et sanata sunt, unum, quod praetermissum crediderim, brevi complectar. Singula militum genera enumerando poeta equites institisse equitibus, peditum cohortes peditibus fuisse obiectas, currus occurrisse curribus testatur. Quorum alterum, cuius verba haec sint: *π ε ζ ο ῖ σ ι ἐπέχραον ἔ θ ν ε α φ ω τ ῶ ν*, inconcinniter dictum esse Rhodomannus sensit, dum vertit: „*in pedites vero impressionem fecerunt* agmina *virum p e d e s t r i u m.*“ Sed nihilei usmodi subest, quod *ἔθνεα φωτῶν* non militum catervas, verum hominum gentes sive stirpes nostro indicant. Unde Memno Priamo refert, se in itinere innumerabiles obiisse populos II, 124.

καὶ τὰ μὲν ὣς ἀγόρευε, καὶ ὡς ἴδεν ἔ θ ν ε α φ ω τ ῶ ν
μυρία· — — — — —

nec repugnant istis V, 403. XI, 331. obvia. Iam *φῶτας* viros bello spectatos interdum appellari et lexica docent et

Homerus comprobat. Hinc *τεύχεα φωτῶν* ab eo petita, vid. Il. 16, 566. 23, 15. sive *ἔντεα φ.* posthomerica Quinti offerunt aliquoties, ut VII, 682. VIII, 47. 55. 270. IX, 78. 138. Sed ea ipsa *ἔθνεα φωτῶν* non solos pedites comprehendere indicio sunt. Itaque, ut equites equitibus, currus curribus obstant, sic aliud magis definitum requiri apparet. Emendaverim ergo

— — *πεζοῖσι δ' ἐπέχραον ἔθνεα πεζῶν.*

Eo certe Homerus delectatur, vid. Il. 11, 724.

— — *ὅθι μείναμεν Ἠῶ δῖαν*
ἱππῆες Πυλίων, τὰ δ' ἐπέῤῥεεν ἔθνεα πεζῶν.

Add. 4, 274. 23, 133. et Od. 17, 436.

— *πλῆτο δὲ πᾶν πεδίον πεζῶν τε καὶ ἵππων.*

Clamor ab exercitu utroque editus cur v. 132. *μίη* dicatur, nemo perspiciat. Commode proinde suadet Koechlys in emend. p. 231. *μίγη δ' ἐκ. ἀϋτή.* Sed occupavit id Struvius in progr. I. p. 12., forma insolenti *μίη* permotus, neque eam ferendam esse iampridem dixi, vid. Glasewald. coniect. p. 17. Correxi ibi duos alios Quinti versus eo nomine depravatos, quos, quum libellus ille fere evanuerit, hic apponam. Etenim legendum est VII, 163.

πυρκαϊὴν ἅμα πᾶσι μίαν (editt. *μίην*) *περινηήσαντες,*

et XI, 361., ubi Ulixis socii testudine clypeorum facta in muros enituntur, reque exposita poeta addit:

— — — *μίη δ' ἅπαν ἥρμοσεν ἅρμη,*

opus erit dativo *μιῇ-ἁρμῇ*, quem Rhodomannus olim propagato *μιῇ-ὁρμῇ* erat subiecturus, nisi quod pravus appictus est tenor, a Tychsenio religiose servatus. Utrumque suo assensu dignum existimavit Struvius in progr. II. p. 6. sq. Tertium denique locum, qui Aeneae celebrat pietatem, qua impulsus, omnibus aliis posthabitis, patrem solum ac filium Troiae flammis et excidio subduxisse fertur XIII, 348.

τῶν πάντων προβέβουλεν ἑὸν πατέρ' ἠδὲ καὶ υἷα·
νὺξ δὲ μίη μιν ἔφηνε καὶ υἱέα πατρὶ γέροντι
ἤπιον ἐκπάγλως καὶ ἀμεμφέα παιδὶ τοκῆα.

idem vir doctus ex editionibus priscis feliciter restituit; cum illis enim scribatur oportet:

νὺξ δὲ μί' ἧμιν ἔφηνε κτέ. — —

Immerito in suspicionem haec adduxit Rhodomannus, cui perperam credidit Tychsenius. Sed iam redeo ad librum nonum, cuius proxima sunt haecce:

— — *τὰ δὲ πολλὰ θοῶς ποτέοντο βέλεμνα*
βαλλόμεν' ἀμφοτέρωθεν· ὑπ' ἔγχεϊ δ' ἀσπίδες ἀνδρῶν
θεινόμεναι κτυπέεσκον ἀάσχετον· αἱ δ' ὑπ' ἀκόντων
καὶ ξιφέων· — — — —

Male autem *ἔγχεϊ* respondere opposita sagaciter animadvertit Koechlys in emend. p. 231. Cum eo igitur reponamus *ἔγχεσι*, quibus poeta ipse adest VI, 357.

οἱ μὲν ἔτ' ἀσπαίροντες ὑπ' ἔγχεσιν, οἱ δ' ἐφύπερθεν
πίπτοντες· — — —

VIII, 274.

— — *περὶ δ' ἔκτυπον ἔντεα φωτῶν*
θεινόμεναι ξιφέεσσι καὶ ἔγχεσι καὶ βελέεσσιν·

XI, 495. Verum Rhodomannus iam interpretando adumbravit: „scutaque virum (alia) *hastis* percussa fragorem dant ingentem, alia pilis et gladiis.“

Deiphobum Achivorum aciei ferocius instantem verbis deterrere studet Neoptolemus IX, 248 sqq.

Πριαμίδη, τί νυ τόσσον ἐπ' Ἀργείοισι μέμηνας
χειροτέροις, οἳ σεῖο περιτρομέοντες ὁμοκλὴν
φεῦγον ἐπεσσυμένοιο, σὺ δ' ἤλπεο πολλὸν ἄριστος
ἔμμεναι; ἀλλά σοι εἴπερ ὑπὸ κραδίῃ μένος ἐστίν,
ἡμετέρης πείρησαι ἀνὰ κλόνον ἀσχέτου αἰχμῆς.

In horum altero et tertio sustuli interpuncta, quod Achaeorum imbecilliores Deiphobi irruentis minas refugisse consentaneum est, nec Rhodomannus, singula scitius complexus, rei veritatem praetervidit. Postea, qua de inconstantia in mant. observ. ad Quint. p. 245. dixi, *ἔλπεο* nostri sermo efflagitat, semper enim alias caret augmento, vid. II, 312. 360. X, 269. XIV, 170. Neque in Homeri Odyss. 9, 419.

οὕτω γάρ πού μ' ἤλπετ' ἐνὶ φρεσὶ νήπιον εἶναι —

si reliquum poetae usum consideraveris, vocalis longa, etsi libri nihil discrepant, satis tuta erit. Alia in eiusdem perfecto cernitur dissimilitudo, quod plerumque quidem *ἔολπα*

sonat, cf. III, 78. XI, 491. XII, 288. XIII, 412., at omnibus tribus personis semel augmentum e plusquamperfecto, ut opinor, translatum praefigitur, primae VII, 692.

— — — *ἦ γὰρ ἔωλπα*
σῇσιν ὑπαὶ παλάμῃσι καὶ ἔγχεϊ δῄϊα φῦλα
καὶ Πριάμοιο πόληα περικλειτὴν ἐναρίξαι, —

alteri VI, 421.

τοῖς πίσυνος τάχ᾽ ἔωλπας ὑπεκφυγέειν κακὸν ἦμαρ·

tertiae ibid. 298.

χαίρω σεῖο κίοντος, ἐπεί νύ μοι ἦτορ ἔωλπεν
Ἀργείους μάλα πάντας ὀϊζυρῶς ἀπολέσσαι.

Atqui his omnibus, quum res praesens geratur, perfectum aptum atque idoneum esse illorum comparatio potest ostendere. Nam plusquamperfectum, cuius prima et tertia maxime invaluerunt, imperfecti potestatem solet induere, vid. V, 534.

— — — *οὐ γὰρ ἐώλπειν*
σεῖο καταφθιμένοιο πολύστονον ἦμαρ ἰδέσθαι
ἐν Τροίῃ· — — — —

add. X, 425. et largam tertiae copiam I, 93. II, 107. III, 477. V, 153. 583. VI, 69. VII, 553. VIII, 7. 37. XII, 501. XIII, 10. oblatam. Iis autem, quae commemoravi, perfectum longe melius convenire vix negabis, si alia illorum similia inspexeris; ita arcta cognatio intercedit VI, 298. et III, 78.

— — *ἐπειή νύ μοι ἦτορ ἔολπεν*
ἔμμεναι Ἀπόλλωνα λυγρῇ κεκαλυμμένον ὄρφνῃ.

Idem porro VII, 692. exspectari XII, 288. prodere videtur:

— — *ἔολπα δὲ σῇσι χέρεσσιν*
Ἀργείους Πριάμοιο διαπραθέειν κλυτὸν ἄστυ.

Neque aliter iudicare licet de libr. VI, 421., quocum egregie conspirat XIII, 412.

Deiphobum, Apollinis beneficio nube obtectum et e proelio bellique tumultu elapsum, contumeliis insequitur Neoptolemus IX, 261. sqq.

ὦ κύον ἐξήλυξας ἐμὸν μένος· οὐδέ σοι ἀλκὴ
ἱεμένῳ περ ἄλαλκε· θεῶν δέ τις ὄσσ᾽ ἐκάλυψε
νύκτα βαλὼν καθύπερθε, καὶ ἐκ κακότητος ἐρύξας.

Scripsit haec Quintus Homerum imitatus: nam ille Parin a Venere Il. 3, 380. sq., Idaeum a Vulcano 5, 24. sq., Hectorem ab Apolline 20, 443. sqq., Agenorem ab eodem 21, 597. sqq. pugnae subductos tradit. In clausula vero secundi aliorum ex auctoritate integrum requisiverim nomen, incremento verbi depulso, *ὄσσε κάλυψε*, idemque adoptaverim I, 123., ubi de Penthesilea legimus:

ἡ δὲ κιοῦσ᾽ εὕδεσκεν, ὕπνος δέ οἱ ὄσσ᾽ ἐκάλυψε
νήδυμος ἀμφιπεσών. — — —

Certe Homerus *ὄσσε* constanter scribit bisyllabum, vid. Il. 4, 461. 503. 526. 6, 11. 13, 575. 14, 519. 16, 316. 325. 20, 393. 471. 21, 161. Quae deinceps adiunguntur, ea Rhodomanno non iniuria molestiam crearunt, quod et verbum *ἐρύκειν* rei obloquitur, neque eius participium, cum Deiphobo committendum, prioribus bene annecti potest. Hinc ille tempus finitum ac pronomen emendando reducit: *σὲ δ᾽ ἐκ κακότητος ἔρυσσεν.* His aliqua ex parte subsidio est Matritens. liber, qui *ἔρυξεν* habet. Formam autem Rhodomanno probatam, etsi medium saepius reperitur, quum Homerus agnoscit, tum ii loci, quibus caesorum corpora ab hostium ignominia defensa ac liberata dicuntur, vindicant, conf. III, 284. 385. VI, 448. 494. VIII, 482.

Ingentem Philoctetae dolorem ex hydrae morsu susceptum pluribus descripsit Quintus, iisque IX, 375 sqq. hunc finem imponit:

— — *γόος δέ μιν οὔποτε λεῖπεν,*
οὕνεχ᾽ οἱ ἕλκος ἔμελλεν ἐς ὀστέον ἄχρις ἱκέσθαι
πυθόμενον καθύπερθε· λυγραὶ δ᾽ ὑπερέπτον ἀνίαι.

Ista vero Tychsenius demum ita edidit, olim mancus erat primi versus exitus: *γ. δέ μιν οὔτι λίπεν*, initio proximi *οὕνεκέν οἱ μέλαν ἕλκος κτέ.* ferebatur. Quorum quum neutrum aut structura aut numeri admittant, viri docti variis indulserunt coniecturis. Acutissimus horum, ut saepenumero evenit, fuit Rhodomannus, quippe qui in prioris complementum scripserit: *οὔτι λέλοιπεν* sive *οὔποτε λεῖπεν*, posteriore vero aut *μέλεν ἕλκος* praeoptaverit, aut in fine tempus finitum revocandum censuerit. Dausqueus Rhodomanni sagacitatem

aspernatus propius ad id, quod Tychsenio placet, accessit tentando:

οὕνεκα ἕλκος ἔμελλεν ἐς ὀστέον ἄχρις ἱκέσθαι.

Pauwius eo modestior Rhodomanno assentitur. Tychsenius suum e vulgari et Dausquei emendatione inscite conflavit, pronomine incommode interiecto. Mihi illud ipsum, quod Rhodomannus altero posuit loco, in mentem olim venit, conf. de vers. Gr. her. p. 36., neque me poenitet huius consilii. At vero diligentius excussit poetae verba Koechlys in emend. p. 233., qui priore Rhodomanni coniectura recepta singula sic exhibet:

— — *γόος δέ μιν οὔτι λέλοιπεν,*
οὕνεκά οἱ μέλεν ἕλκος, ἐς ὀστέον ἄχρις ἱκέσθαι,
πυθόμενον καθύπερθε· — —

Transfert autem ista: „*quoniam ei cordi erat ulcus, putrescens superne, ut vel in ossa penetraret.*“ Quod ut verum esse demonstret, eodem, quo Dausqueus erat usus, confidit testimonio X, 273.

ἀμφὶ μέλαιν᾿ ἐφύπερθε, καὶ ἔνδοθι μέχρις ἱκέσθαι
μυελὸν ἐς λιπόωντα δι᾿ ὀστέου, — —.

Quae de Paride Philoctetae sagitta vulnerato agunt. Insuper provocat ad Quinti consuetudinem, qua *μέχρις* et *ἄχρις* cum infinitivis soleat iungere, affertque I, 830. IV, 361. VIII, 464. X, 273. XIII, 37. At isto modo, si recte iudico, detrimenta plura quam emolumenta importantur. Primum enim *λέλοιπεν* a nostri ore et sermone alienum est. Melius igitur alteram a Rhodomanno una commemoratam formam sequamur, eo minus reiiciendam, quo certius ab ipso poeta, similem luctum Deidamiae tribuente, approbatur VII, 388.

— — *γόος δέ μιν οὔποτ᾿ ἔλειπε*
δερκομένην ἐπὶ πόντον ἀπείριτον· —

Quibus augmento depulso idem plane restitui possit. Mira enim est Pauwii subtilitas luctum infinitum, quod in primo dolore sit mater, aegre ferentis. Porro Koechlyis sententiae obstare crediderim verbum, neque hoc tempore Quinto usitatum, neque simili ab eo structura devinctum, vid. III, 616. V, 518. XIII, 314., nisi quod semel futurum rei nominativum adiunctum habet VI, 29.

ἀλλὰ τὰ μὲν κείνῃς Πριάμῳ καὶ Τρωσὶ μελήσει.

Sed largiar nihil insoliti subesse, etsi magnam caussae iacturam fecero, dolorem tamen ex vulnere excitatum fortius quiddam ac gravius sibi petere concedendum erit. Hoc autem ipsum altera Rhodomanni emendatione continetur:

οὕνεκά οἱ μέλαν ἕλκος ἐς ὀστέον ἄχρις ἵκανε.

Neque indicativus, quominus id eligamus, prohibebit, imo alter modus temere in illius sedem immigrasse videbitur. Poetam saltem ab eo non abstinuisse documento sunt plura, velut VI, 409.

αἰχμὴ δ᾿ αἱματόεσσα μετάφρενον ἄχρις ἵκανεν·

XII, 178.

σμερδαλέη τ᾿ ἐνοπὴ μέχρις οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανε.

XII, 405. sq.

— — *ἄχος δ᾿ ἀλεγεινὸν ἵκανεν*
ἄχρι καὶ ἐς μήνιγγας ἰδ᾿ ὀφθαλμοῖο θέμεθλα.

Specie magis quam re differunt III, 153. VII, 153. XI, 479. Ne quid autem relinquam intactum, leve accentus vitium extremo hemistichio in omnibus, quas vidi, editionibus adspersum erit amovendum: nam *ὑπέρεπτον*, ut ab *ὑπὸ* ortum, in antepaenultima tono esse erigendum manifesto prodit Homeri Ilias, ex qua hausit Quintus, 21, 271.

— — *ποταμὸς δ᾿ ὑπὸ γούνατ᾿ ἐδάμνα*
λάβρος, ὕπαιθα ῥέων, κονίη δ᾿ ὑπέρεπτε ποδοῖιν.

Caeterum Iacobsius ad anthol. Pal. p. 200: *ὅττι οἱ ἕλκος ἔμελλεν — ἱκέσθαι* suasit. Verbo autem illi quum nulla prorsus sit auctoritas, dissidendum esse apparet.

Ingens Philoctetae pharetra, sagittarum plena, commemoratur IX, 392.

καί οἱ πὰρ κλισίην φαρέτρη παρέκειτό γε μακρὴ,
ἰῶν πεπληθυῖα. — — —

Particulam inutilem et supervacaneam Bonitius transponendo voluit eiectam. Equidem ionicam formam *παρακέσκετο*, quae corruptelis interdum aditum aperuit, revocandam putabam p. 42. Melius, ut opinor, Koechlys in emend. p. 234. *παρε-*

κέκλιτο μ. proposuit. Quam suspicionem et rei ipsius commoditas et alia Quinti testimonia certam reddere videntur, sicut V, 110.

ἀμφὶ δὲ θώρηκος γύαλον παρεκέκλιτο καλὸν,
ἄῤῥηκτον βριαρόν τε, τὸ χάνδανε Πηλείωνα.

I, 624.

— — — θοῷ δ' ἐπεκέκλιτο ἵππῳ.

Diomedes et Ulixes a Lemno profecti cum Philocteta Troiam petunt, tempestate vero serena adiuvante navis, quam delphines in aequore ludentes circumstrepunt, per undas celeriter labitur IX, 442. sq.

ἀμφὶ δέ οἱ δελφῖνες ἀολλέες ἐσσεύοντο,
κῦμα διαπρήσσοντες ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα.

Extrema vinculo parum apto constringi viri docti senserunt. Rhodomannus quidem explicando duritiei isti occurrendum putavit, vertit ergo: „*undam secantes, (in qua sunt) cani maris viae.*“ Pauwius id a graecis abesse iure dicit, at poetae, quod librariis erat impertiendum, munifice tribuit, eumque scitius scripturum fuisse ὦκα διαπρήσσοντες ἁ. π. κ. affirmat. Maiore in haec cura nuper inquisivit Koechlys in emend. p. 234. sq., qui fluctus maris vias appellari posse negat, quod iter quidem per undas atque in undis perficiatur, nec vero undae ipsae sint viae. Vere haec disputata esse videntur, nihil enim eius generis aut Homero aut Quinto fuit cognitum. Hoc igitur velut fundamento iacto, copiose et erudite disserendo eo pervenit, ut, quum delphis omnium piscium celerrimus sit, Quinto reddi iubeat:

κοῦφα διαπρήσσοντες ἁ. π. κ.

Adverbio autem, ut puto, facile carebimus, neque id ad sententiam reique adumbratae imaginem illustrandam admodum necessarium erit. Imo si respexeris VI, 105., cuius fit mentio

ὑγραὶ δ' ἀμφ' ἐλάτῃσι διαπρήσσοντο κέλευθοι,

eodem, quod fluctuum marinorum proprium est, advocato nihil vel ad integritatem vel ad elegantiam abesse coniicere possis; proinde legendum putaverim:

ὑγρὰ διαπρήσσοντες ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα.

Uda vero maris vada sive vias facile quis explicet κῦμα i. e. fluctus. Itaque vel glossa veri sincerique occupavit sedem, vel nomen e v. 440. male repetitum intravit. Suspicionis eius fidem et Homeri usus constans fere auget, vid. Od. 3, 71. 4, 842. 9, 252. 15, 474. h. in Ap. 452., neque alia aliorum exempla desiderantur. Sic Apollonius pisces Argonautarum carinam subsequentes et per uda maris vada salientes sistit I, 573.

— — — — τοὶ δὲ βαθείης
ἰχθύες ἀΐσσοντες ὕπερθ' ἁλὸς, ἄμμιγα παύροις
ἄπλετοι, ὑγρὰ κέλευθα διασκαίροντες ἕποντο.

Abundantia ingrata affluunt nostri XIV, 418.

— — — — ἀμφὶ δὲ πρώραις
ἔβραχεν οἶδμα κελαινόν· ἐπεσκιόωντο δὲ μακρὰ
κύματα· λευκαίνοντο δ' ὑπὲρ πόντοιο κέλευθα.

Ubi sulci in maris superficie albescentes, quos Rhodomannus adoptavit, eo minus placent, quod recte quidem et commode πόντου κελεύθους dicas, vid. Pindari Pythic. IV, 195., κέλευθοι autem ὑπὲρ πόντοιο ambigue et parum distincte rem describant. Possis ad idem recurrere et ὑγραὶ π. κέλευθοι emendare, praesertim quum simili dicendi genere, etsi paullulum mutato, utatur Apollonius Arg. I, 545.

στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰούσης
τεύχεα, μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι.

Sed vulgare deserere nolim, etsi ὑπὲρ πόντου id, quod Rhodomannus elegit, epicis vel raro vel nunquam significet. Apud Homerum quidem Ulixes versutus se in Creta insula morantem audivisse refert Ithacam procul *trans mare* sitam esse Od. 13, 257.

πυνθανόμην Ἰθάκης γε καὶ ἐν Κρήτῃ εὐρείῃ
τηλοῦ ὑπὲρ πόντου· — —

Epicis aetatis inferioris, motus verbo plerumque adiuncto, *mare traiicere* indicat. Praeivit quodammodo Homerus, apud quem Patrocli umbra conqueritur, quod fluvii transitum sibi insepulto defunctorum manes interdicant Il. 23, 73.

τῆλέ με εἴργουσιν ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν·

Alia certiora suppeditat Quintus, vid. V, 80.

νῆες δὲ στονόεσσαι ὑπὲρ πόντοιο φέροντο,

add. ib. 90. 351. XII, 375. XIV, 540. 658. Ab iis alia sunt discernenda, quibus iter fit *supra pontum* per aerem, veluti Harpyiae Apollonii a Phineo redeuntes clangore procul auferuntur super mare II, 271.

— — — αἱ δ' ἄμ' αὐτῇ
πάντα καταβρόξασαι ὑπὲρ πόντοιο φέροντο
τῆλε παρέξ· — — —

aut Boreas et Zephyrus ad Achillis rogum concremandum arcessiti apud Quintum III, 705.

οἱ δὲ θοῶς οἴμησαν ὑπὲρ πόντοιο φέρεσθαι
ῥιπῇ ἀπειρεσίῃ· — — —

add. XIV, 466. Apoll. Rhod. III, 1113. Nihil horum ad nostra licet transfundere. Crediderim ergo tenore inclinato legendum esse:

— — λευκαίνοντο δ' ὕπερ πόντοιο κέλευθα,

i. e. *supra canescebant maris viae*. Denique VI, 105. casu excidit augmentum, non modo Quinti usu, de quo in mant. observat. p. 247. disputavi, tutum, sed Homeri etiam praesidio satis defensum, vid. Il. 2, 785. 3, 14. 9, 326. 23, 364.

— — οἳ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο.

Philoctetes divina Podalirii arte sanatus et novo robore instructus cum segetibus imbris procellosi vi prostratis, aurarum vero temperie laetius revirescentibus comparatur IX, 473. sqq.

ὡς δ' ὁπότ' ἀλδαίνηται ἐπὶ σταχύεσσιν ἄρουρα,
ἣν τὸ πάρος φθινύθουσαν ἐπέκλυσε χείματος αἰνοῦ
ὄμβρος ἐπιβρίσας, ἡ δ' ἀλθομένη ἀνέμοισι
μειδιάᾳ, τεθαλυῖα πολυκμήτῳ ἐν ἀλωῇ·
ὣς ἄρα τειρομένοιο Φιλοκτήταο πάροιθε
πᾶν δέμας αἶψ' ἀνέθηλεν· — — —

Iam si quis segetem miti ventorum afflatu resurgentem ac gramina in culto novali quasi attollentem cum Philocteta longinquo ex morbo subito recreato conferre et similitudinem, quae intercedat, voluerit investigare, num illa ἀλθομένη

ἀνέμοισι recte dicatur, haerebit ambiguus. Etenim ἀλθέω, ἀλθαίνω et ἄλθομαι *sanare*, nec vero *recreare* significant, tum sata sive ager vento adspirante restitutus corpori Philoctetae diuturno cruciatu liberato et denuo reflorescenti incommode opponitur. Quas ut evitaret difficultates, Rhodomannus transtulit: „*illud autem a ventis (quasi) sanatur.*“ Verba igitur poetae et paullulum immutavit et additamento interposito imaginem minus propriam reique absonam alio traduxit. Sed ei coepto refragatur ipsa vocis notio, quae ab Homero inde vulneribus damnisque aliis medicorum ope atque arte sanandis adhibetur. Ita de Veneris manu ex vulnere, quod Diomedes inflixerat, convalescente poeta in Il. 5, 417. sq. scribit:

ἦ ῥα, καὶ ἀμφοτέρῃσιν ἀπ' ἰχῶ χειρὸς ὀμόργνυ·
ἄλθετο χείρ, ὀδύναι δὲ κατηπιόωντο βαρεῖαι.

Haec in suam utilitatem convertit Quintus IV, 404.

τῶν δ' ἄφαρ ἀμφὶ πρόσωπα καὶ εὐκομόωντα κάρηνα
τύμματ' ἀπαλθαίνοντο, κατηπιόωντο δ' ἀνίαι.

Neque ab his recedunt aut Nicander aut Lycophro, quorum exempla afferuntur in Steph. thes. gr. ling. I. p. 1786, a., add. Hom. Il. 8, 405. 419. Ut vero segetes humo afflictae ventorum ope vix sanari possunt, ita eas solo excitari et novo luxuriare vigore consequens est. Ei autem ἀλδήσκειν, ἀλδαίνειν, sive ἄλδεσθαι convenire Quintus ipse probat. Medium horum, transitiva instructum potestate, Homerus aliquoties retulit ad Ulixis corpus insigni Minervae benevolentia auctum et iuventutis robori quasi redditum, vid. Od. 18, 70. 24, 368.

— — — — αὐτὰρ Ἀθήνη
ἄγχι παρισταμένη μέλε' ἤλδανε ποιμένι λαῶν.

Quintus eidem suam et propriam dedit vim IV, 428.

ἀμήσας κενεόν τε καὶ ἄσπορον αἴθοπι χαλκῷ,
μέλλονθ' ἑρσήεντος ὑπ' εἴαρος ἀλδαίνεσθαι.

Pari modo ἀλδήσκειν segeti luxuriose pullulanti tribuit Homerus in Il. 23, 599.

ἰάνθη, ὡσεί τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση
ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.

Activa eius vis offertur apud Theocritum in Id. XVIII, 78.

μυρίαι ἄπειροί τε καὶ ἔθνεα μυρία φωτῶν
λήϊον ἀλδήσκουσιν ἀεξόμενον Διὸς ὄμβρῳ.

Utriusque igitur terminos, quos et adiectiva *εὐαλδής, πολυαλδής, δυσάλθητος, ἀνάλθητος*, alia separare solent, confusos esse apparet. Facili autem eos dirimamus opera, dummodo Quinto reddiderimus: *ἡ δ' ἀλδομένη ἀνέμοισι κτέ.* Eo enim etymo grammatici singula quaeque complectuntur, vid. Eustath. ad Hom. Odyss. p. 1837, 59. Koenium ad Gregor. Cor. p. 220. Negat quidem Passovius in lexic. p. 78, a. *ἄλδω* ulli alii praeter grammaticos fuisse cognitum, sed discrimen utriusque diligenter observatum contrarium efficiet. Si quis autem dissentiendum putaverit, ei certe *ἄλθετο* et *ἄλδετο* forma sola nec potestate erunt discernenda, qua in opinione veteres quosdam fuisse video, cf. Etymol. M. p. 63, 9.

Agamemno Philoctetae iram placaturus et Achivorum errorem ingenue profitetur, et in gratiam redeunti magnifica pollicetur dona IX, 509. sqq.

ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμεσθα καὶ ἠλίτομεν, τόδε ἔργον
ἐξαῦτις δώροισιν ἀρεσσόμεθ' ἀπλήτοισι,
Τρώων ἤν ποθ' ἕλωμεν εὐκτίμενον πτολίεθρον· —

Solute quidem et libere singula profluunt, vereor tamen, ut apta iungantur compage. At vero latinus interpres, in communi perstans ratione, reddit haec: „*quare quum noxa admissa in te deliquerimus, facinus hoc muneribus cumulatissimis deinceps pensabimus: si quando Troiam capiamus.*“ Eam vero apodosin sermonis epici perspicuitati officere crediderim; planius et melius omnia cohaerebunt, si primum versum, commate in eius fine apposito, una comprehensione obstrinxeris. Neque aliter suadet Homeri Agamemno, simili modo Achillis animum reconciliaturus, Il. 9, 119. 19, 138.

ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας,
ἂψ ἐθέλω ἀρέσαι, δόμεναί τ' ἀπερείσι' ἄποινα.

Ne quis autem structuram nostro proposito repugnare credat, in aliorum intuemur usum, nostris haud dissimilem, qualis est Apollonii Argon. II, 623.

ἤμβροτον, ἀασάμην τε κακὴν καὶ ἀμήχανον ἄτην.

Add. ib. I, 1333., nec rarius alterum, casu quarto adscito, aliquid sive in aliquem delinquere significat, cf. Hom. Il. 24, 570. 586. Od. 4, 378. Apoll. Arg. IV, 388. Quint. Smyrn. XII, 417. XIII, 400.

ὅσσα οἱ ἐν λεχέεσσι παρήλιτε κουριδίοισι·

add. Apollon. Rhod. II, 246. III, 891.

Philoctetes milites ad certamen prompto paratoque animo ineundum cohortatur IX, 537. sq.

εἰ δ' ἄγε νῦν πολέμοιο μεδώμεθα· μὴ δέ τις ἡμέων
μιμνέτω ἐν νήεσσι, πάρος κλυτὰ τείχεα λῦσαι
Τροίης εὐπύργοιο, καταπρῆσαί τε πόληα.

Initio perperam distracta consocianda esse Nestoris oratio, qua suos apud Homerum compellat, doceat Il. 4, 303.

μηδέ τις ἱπποσύνῃ τε καὶ ἠνορέηφι πεποιθὼς
οἶος πρόσθ' ἄλλων μεμάτω Τρώεσσι μάχεσθαι —.

Accedit, quod noster plerumque sequitur Homerum, vid. VIII, 17. IV, 26. Quorum utrumque personam secundam, quam Rhodomannus potiorem duxit, minus necessariam esse demonstrat. Postea Tychsenius paucis cum libris editit *πόληα*, Ald. et antiquiores habent *κέλευθα*. Qua de caussa Pauwius et nuper Koechlys in emendat. p. 236. *καταπρῆσαί δε μέλαθρα*, quod a vulgari propius videtur abesse, refingendum existimarunt, inducti potissimum Homeri versibus, qui exstant in Il. 2, 414. sq.

πρίν με κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον
αἰθαλόεν, πρῆσαι δὲ πυρὸς δηΐοιο θύρετρα.

Quae etsi a prioribus illis non ita multum distant, alia tamen magis affinia e nostro carmine proferre licebit, vid. XIII, 82. 433.

ὦρτο δ' ἄρα κτύπος αἰνός· ὁμοῦ καίοντο δὲ πάντα
Ἀντιμάχοιο μέλαθρα· — — —

Graeci Philoctetae verbis confirmati armis instruuntur IX, 540. sqq.

ὣς φάτο· τοῖσι δὲ θυμὸς ὑπὸ κραδίῃ μέγ' ἰάνθη·
δῦσαν δ' ἐν τεύχεσσι καὶ ἀσπίσιν· ἐκ δ' ἄρα νηῶν

πανσυδίῃ βελέεσσι κεκασμένοι ἐσσεύοντο
καὶ βοέοις σακέεσσι καὶ ἀμφιφάλοις κυρύθεσσιν.

Accentum aoristi δῦσαν depravatum, per omnes editiones sparsum, eximendum esse latebit neminem. Deinde βέλεα neque omnium omnino sunt militum, neque iis satis muniti esse possunt, praesertim quum sagittarii ne gestent quidem scuta et galeas, vid. Hom. Il. 13, 714. Ut autem haec ab hostium impetu corpora tegunt, ita tela sive sagittas neminem ab adversariorum ictu tutum praestare manifestum erit. Quamobrem sagittarum usus est eorum, qui pugnam apertam recusant, unde Achilles arcum et sagittas Apollini exprobrat III, 68. sqq. Aliud igitur nomen et verbo aptius et militibus, qui manus conserunt, accommodatius requiritur. Iam quum Troiani ab Aenea excitati ad proelium capessendum galeis, clypeis et hastis instructi dicantur X, 46.

αἶψα δὲ δὴ κορύθεσσι καὶ ἀσπίσι καὶ δοράτεσσι
φράχθεν ἐπ' ἀλλήλους. — — —

idem huc arcessendum iudicaverim, eique adsunt homerica quaedam, sicut Il. 7, 61. sq.

— — τῶν δὲ στίχες εἵατο πυκναὶ
ἀσπίσι καὶ κορύθεσσι καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι.

cf. 4, 282. 13, 130. sqq. Armorum autem varia genera cumulare solet Quintus, vid. II, 520. VI, 360. sqq. VII, 171. VIII, 274. XI, 307., tela vero iis potissimum, qui eminus pugnant, convenire argumento sunt III, 81. 395. VII, 145. 485. 514. XI, 348. 394.

Polydamas multiplici belli clade territus suis auctor est, ut moenibus inclusi Argivorum, obsidionis taedio captorum, reditum exspectent X, 15. sqq.

εἰσόκε δὲ Δαναοὶ Σπάρτην ἐρίβωλον ἵκωνται,
ἢ αὐτοῦ παρὰ τεῖχος ἀκηδήσωσι μένοντες,
ἀκλέες ἑζόμενοι· ἐπεὶ οὐ σθένος ἔσσεται αὐτῶν
ῥῆξαι τείχεα μακρά, καὶ εἰ μάλα πολλὰ κάμωσιν·
οὐ γὰρ ἀβληχρὰ θεοῖσι τετεύχαται ἄφθιτα ἔργα.

In his ἀκλέες adiectivum esse habitum accentus indicat, id adverbio permutandum dixi in adnotat. ad Hom. Il. 7, 100.

ἥμενοι αὖθι ἕκαστοι ἀκήριοι ἀκλεὲς αὔτως·

quibus idem vitium erat admixtum. Neutrum vero illius provinciam in se recipere ostendit Il. 17, 415.

ὦ φίλοι, οὐ μὰν ἧμιν ἐϋκλεὲς ἀπονέεσθαι,

vid. excurs. XXII. ad Il. p. 96. sqq. Sed deorum opera aeterna appellari ἀβληχρὰ sive infirma, Pauwius, utrumque sibi adversari ratus, improbavit, quare ἄπλετα ἔργα erat subiecturus. Id eum sine iusta caussa sumpsisse Dorvill. in vann. crit. p. 33. sqq. demonstrare studuit, etsi imprudens ἄπλετος aufert a Quinto, qui bis singularem admisit V, 391. VIII, 234. Nec quidquam horum ad nostra est aptum, nec sibi contradicunt singula, ut bene docuit Dorvillius. Sententia ipsa ab Homero, fido nostri duce ac magistro, repetita est; etenim ille Achillem, periculum sibi metuentem, de Vulcani armis perperam iudicasse memoriae prodit Il. 20, 264. sqq. At ἀβληχρὸς nunquam alias redit in posthomericis, bisyllabum, quod nostro etiam loco sufficere existimaverim, habemus II, 182.

ὕπνου βληχρὸν ὄνειαρ ἐπὶ βλεφάροισι τανύσθη.

Exordio autem οὐ γὰρ non sine vi quadam et gravitate illigantur, eaque de caussa plerumque efficiunt spondeum, vid. I, 363. VII, 494. XIII, 239. sq.

Consilium a Polydamante datum multis argumentis refutat Aeneas, qui Troianos oppido moenibusque septos fortunam longe iniquiorem experturos esse persuadere conatur X, 27. sqq.

Πουλυδάμα, πῶς γάρ σε σαόφρονά φασι τετύχθαι,
ὃς κέλεαι ποτὶ δηρὸν ἀνὰ πτόλιν ἄλγεα πάσχειν;

Sed ex Rhodomanni demum emendatione ita legimus, priores ποτὶ δῆριν praebent. Dausqueus neutro contentus: ὃς κέλεαι πύργοισιν ἀ. π. ἀ. π. requirit. Quod sententiae quidem expedit, nullis tamen machinis poterit defendi. Nam praeterquam quod proxima idem declarant, nullum eius usquam cernitur vestigium. Pauwius tolerabilem quidem censet Rhodomanni suspicionem, sed vulgare, si ποτὶ cum quarto casu iuncta *supra* et *praeter* possit indicare, retinendum ducit ac vertendum: „*qui hortaris nos molesta pati praeter pugnam in urbe*, fame scilicet et peste.“ Iam urgere nolim,

quod extrinsecus advocat ultima, sed totum dicendi genus barbarum et soloecum esse ignorat nemo. Nihilominus quum obsidionis longinquae et calamitatis inde oriundae postea fiat mentio, eam hic rectius abesse licebit augurari. Qua si opus esset, *μάλα* vel *ἐπὶ δηρὸν* fuisse dicendum Quinti lex et norma nobis comprobent, vid. III, 524. IV, 348. VI, 18. XI, 500. XII, 39., *ποτὶ δηρὸν* nullo, quantum scio, asseritur testimonio. Hinc quaestio movetur, an *ποτὶ δῆριν*, quae constans librorum fuit lectio, aptius meliusque dicatur. Neque vero illud, etsi sexcenties reperitur, verum atque integrum habuerim, quandoquidem *ποτὶ δῆριν* vel motui vel consilio exprimendo inservit. Quorum prius frequentavit Quintus, cf. VI, 297. 327. VIII, 245., quibus permotus VIII, 4., ubi nunc *ἐπειγόμενοι περὶ δῆριν* exstat, *ποτὶ δ.* restitui iussi in mant. observ. ad Quint. p. 245.; posterius, quod longe rarius offertur, stabiliat VIII, 263.

— — *τί γὰρ ποτὶ δῆριν Ἄρηος*
λώϊον; εὖτε βροτοῖσι κορυσσομένοις ἐπαμύνει —.

In eandem sententiam saepenumero dicta videmus *ἐπὶ δῆριν* et *ἐς δῆριν* ut I, 172. 174. 408. 581. V, 144. VII, 4. 276. 676. IX, 97. cll. III, 120. IV, 233. V, 262. VI, 12. Sed ab illis segregandum erit V, 575.

γίγνεται, ὅςτε βροτοῖσι κακὴν ἐπὶ δῆριν ἀέξει·

praepositio enim ad verbum est referenda, unde in loco perquam simili VII, 168.

— — — *ὁ δ' οὔπω χάζετο νηῶν,*
ἀλλ' ἔμενεν Δαναοῖσι κακὴν ἔπι δῆριν ἀέξων. —

Tychsenius sinistre gessit rem, add. XIII, 248. Verum ut oratio, unde degressa est, revertatur, X, 28. *ποτὶ* et *περὶ* confusas esse statuo. Hanc enim illa potiorem esse testatur I, 805.

— — *περὶ δῆριν ὑπ' Ἀργείοισι δάμησαν·*

Aeneas igitur: *qui nos*, inquit, *circa pugnam in urbe dolores pati iubes.* Censet enim, Achivos non inertes ac desides in castris esse remoraturos, sed ipsa urbis moenia mox aggressuros, unde Troianos in duplici belli et famis discrimine versaturos animo praesagit. Quam Aeneae mentem planius

explicant proxima, siquidem pergit v. 29. sq.

οὐ γὰρ ἀκηδήσουσι πολὺν χρόνον ἐνθάδ' Ἀχαιοὶ,
ἀλλά γ' ἐπιβρίσουσιν ἀλευομένους ἐσιδόντες.

Numerorum defectus editorum advertit curam, varias medendi vias circumspicientium; ac plerique quidem particulam vel *ῥα* vel *ἔτι* inserendam putarunt. Utramque necessitas magis extorsit, quam sententiae ratio peperit. Nec Brodaeo melius successit opera, reponi iubenti:

ἀλλ' ἐπιβρίσουσ' ἄμμας ἀλευομένους ἐσιδόντες,

quo et numerorum vis evertitur, et barbarismi species inducitur. Pauwius ut *πολὺν χρόνον* sibi oppositum inveniret, *ἀλλὰ τάχ' ἐπιβρ.*, paeone ingesto, erat daturus. Quod fortasse satisfaciat Bothio ingeniosissimo, nec vero alii cuipiam. Tychsenius ad priorum commenta relapsus de suo, ut videtur, *γε* interiecit, quod quid sit, se nescire fatetur Bonitius l. all. p. 1232., ipse ad aliam confugit particulam, Quinto fuisse ratus: *ἀλλ' ἄρ' ἐπιβρ.* Hoc iterum displicet Koechlyi in emend. p. 236., qui lectione Aldinae probata *μέγα* adverbium postea inserit:

ἀλλ' ἐπιβρίσουσιν μέγ' ἀλευομένους ἐσιδόντες.

Praesidium huic opinioni affert I, 21., ubi cum cod. Mon. *μέγ' ἀλευομένη* Tychsenius dedit, vitiosius olim *μέγα αἰδομένη* ferebatur. At vero de infamia apud populares, quam Penthesilea regina sedulo evitasse dicitur, illic agit poeta, hic de Troianis nullam pugnandi copiam facientibus, deinde coniunctionem istam a trito usitatoque Quinti sermone abesse ex eo colligas, quod nusquam redit, ad postremum verbum *ἐπιβρίθειν* antepaenultimam semper producit, vid. I, 488. 633. II, 371. III, 326. IV, 493. VII, 115. X, 4. XI, 122. 147. 335. XII, 124. XIII, 73. XIV, 468. 598. Quae quum ita sint, assensum praebuerim Bonitio, cui, etsi particulis *οὐ γὰρ* praecedentibus adversativa fere sola obstat, cf. I, 101. 376. 414. 815. III, 152. 520. 771. 773. IV, 66. V, 189. 478., nonnulla tamen adsunt exempla. Eius generis est I, 363.

οὐ γὰρ τήνδε γυναῖκά γ' ὀΐομαι εἰσοράασθαι
αὔτως θαρσαλέην τε καὶ ἀγλαὰ τεύχε' ἔχουσαν,
ἀλλ' ἄρ' Ἀθηναίην ἢ καρτερόθυμον Ἐνυὼ,

add. IV, 264. 296. Praeterea ἀλευόμενος et ἀλευάμενος nullis certis limitibus discreta video apud Quintum. Homero in multiplici librorum varietate alterum potissimum tribuere solent, apud alios promiscue fertur utrumque. Si quid autem video, aoristum praesenti anteponamus X, 212.

ἀλλ᾽ αὐτοῦ μὲν ἅμαρτεν, ἀλευομένου μάλα τυτθόν,

obstant enim II, 246.

— — — — καί οἱ ἅμαρτε
τυτθὸν ἀλευαμένοιο· — —

VIII, 316.

ἀλλά οἱ οὔτι τύχησεν, ἀλευαμένου μάλα τυτθόν.

Miseriis, quae obsessos premant, pertractatis Aeneas suadet, ut Iovis, generis auctoris, adiumento freti pro patriae salute aut gloriose vincant, aut honeste cadant X, 40. sq.

— — — — καί ῥά ποθι Ζεὺς
χραισμήσει· κείνου γὰρ ἀφ᾽ αἵματος εἰμὲν ἀγανοῦ.
εἰ δέ τοι ἂρ κἀκείνῳ ἀπεχθόμενοι θανέωμεν,
εὐκλειῶς μέγ᾽ ὀλέσθαι ἀμυνομένους περὶ πάτρης
βέλτερον, ἢ μείναντας ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι.

Nemo praeceptis grammaticorum cognitis, vid. Arcad. de acc. p. 142, 17. Bekker. anecd. p. 1158. Göttling. de acc. p. 393., dubitabit, quin v. 41. tenoris macula resideat, quanquam I, 577. VI, 608. εἰμὲν, quod inclinandum erat, pariter legitur. Tum accentu tum forma laborat I, 195.

αἴδεο δ᾽, ἕως ἔτι παῦροι ἀφ᾽ αἵματος ἐσμὲν ἀγανοῦ,

ad illorum legem exigendus. Posthac quae leguntur, ea mendis quibusdam purgavit Hermanni et Koechlyis scientia, vid. huius emendat. p. 236. sq. Quibus ducibus ista sic constituamus:

εἰ δέ κεν ἂρ καὶ κείνῳ ἀπεχθόμενοι θανέωμεν,
εὐκλειῶς τάχ᾽ ὀλέσθαι ἀμυνομένους περὶ πάτρης
βέλτερον κτέ. — — — —

Mutavit autem ille primi exordium, et particulas sententiae aptiores restituit, hic synaloepham epicis ingratam removit, in altero deinde, ut sibi opposita clarius et apertius perciperentur, τάχ᾽ ὀλέσθαι scripsit. Neque ista ratio a scopo aberrare videbitur, ubi Eurylochum homericum simillimum

fatum exoptantem in mentem revocaveris. Is enim libere fatetur, si Sol boum mactatarum ira permotus navem esset perditurus, se temporis momento perire malle, quam longinqua tabescere miseria in Od. 12, 348. sqq.

εἰ δὲ χολωσάμενός τι βοῶν ὀρθοκραιράων
νῆ᾽ ἐθέλῃ ὀλέσαι, ἐπὶ δ᾽ ἕσπωνται θεοὶ ἄλλοι,
βούλομ᾽ ἅπαξ πρὸς κῦμα χανὼν ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσαι,
ἢ δηθὰ στρεύγεσθαι ἐὼν ἐν νήσῳ ἐρήμῃ.

Aeneam item celerem atque honestam mortem vitae diuturnae et ignobili praeferre nemo negabit, idque ipsum bene et sagaciter expedivit Koechlys. At pereundi notionem, toties iteratam, primo versui, a quo abesse debebat, contrariam aut certe molestam esse idem sensit, eaque de re adscripsit haec: ,,Postremo eo, quem tractamus loco aliquis *pro illo* θανέωμεν *potius* ἔωμεν seu tale quid requirat, ut sensus hic exsistat: *sin illi quoque invisi fuerimus.*“ Revera simile quiddam exspectari manifestum crediderim, quanquam ἔωμεν nullo pacto cum reliquis poterit conciliari. Superest igitur, ut melius commodiusque excogitemus, idque fortasse repertum erit, si scripseris:

εἰ δέ κεν ἂρ καὶ κείνῳ ἀπεχθόμενοι τελέθωμεν.

Quo quum odii divini origo et incrementum adumbretur, nihil aptius iudicaverim Aeneae consilio. At dicat aliquis, eo secundas potius res ac potentia sive virtute praestantes quam adversas et acerbas designari, ipso Quinto attestante IV, 434.

ἥβης ἀρχόμενον πολυγηθέος, ὁππότε φῶτες
θαρσαλέοι τελέθουσιν, — — —

VIII, 281.

οὕνεκ᾽ ἴσοι τελέθουσιν ὁμηλικίῃ τε βίῃ τε·

Oppositum vero non prorsus excludi doceant VI, 206.

— — οὐ γάρ τι θεῶν γένος οὐρανιώνων
ἄπρηκτον τελέθει καὶ ἀμήχανον, —

IX, 522.

ἀλλ᾽ ὁτὲ μὲν σμερδνὸν τελέθειν, ὁτὲ δ᾽ ἤπιον εἶναι.

Add. V, 264. Plus etiam nostram caussam adiuvabit Hom. Od. 19, 328.

— — ἄνθρωποι δὲ μινυνθάδιοι τελέθουσιν.

Eris belli tumultu laetata exercitum populi utriusque in aciem educit X, 53. sqq.

τοὺς δ' ἄγεν εἰς ἕνα χῶρον Ἔρις μεδέουσα κυδοιμοῦ,
οὔτινι φαινομένη· περὶ γὰρ νέφος ἄμφεχεν ὤμοις
αἱματόεν· φοίτα δὲ μέγαν κλονέουσα κυδοιμὸν,
ἄλλοτε μὲν Τρώων ἐς ὁμήγυριν, ἄλλοτ' Ἀχαιῶν.

Aldina quod *μεδέουσα κυδοιμὸν* offert, genitivo, qui Rhodomanni est, spreto, Koechlys in emendat. p. 237. *μεθέπουσα κυδοιμὸν* mavult. Hoc quidem Eridi conveniat, sed leniorem Rhodomanni medicinam praeferendam existimaverim. Primum enim *μεθέπειν*, aliis ab Homero inde satis frequentatum, exsulat apud Quintum, vulgare obtinet I, 703. III, 634. XIV, 425. V, 525., deinde proxima idem describunt uberius, denique Erin pugnae quasi arbitram ac dominam fingi et noster locus comprobat et alia plura testificantur, ut II, 540.

— — — *Ἔρις δ' ἴθυνε τάλαντα*
ὑσμίνης ἀλεγεινά· τὰ δ' οὐκέτι ἶσα πέλοντο.

add. XI, 237. Facile autem *κυδοιμὸν* traduci potuit a librariis e versu 55. Affecta insuper est clausula sequentis, in qua pro Quinti more *ἄμφεχεν ὤμους* legendum esse et Koechlys animadvertit et ipse observavi p. 15.

Quanta Eridis fuerit potentia, eloquitur poeta X, 63. sqq.

— *μέγα δ' αἰὲν ἀΰτεεν ὀτρύνουσα*
αἰζηούς· οἱ δ' αἶψα συνήϊον ὀτρύνοντες
ὑσμίνην· δεινὴ γὰρ ἄγεν θεὸς ἐς μέγα ἔργον.

Non fefellerunt virorum doctorum aciem menda, quibus haec scatebant. Verbo ingrate geminato Wernick. ad Tryphiod. v. 415. scienter, ut opinor, Homeri auctoritate fretus *ἀρτύνοντες ὑσμίνην* substituit. Milites enim conglobati pugnam instruent potius quam accelerabunt, unde poeta Il. 15, 303.

ὑσμίνην ἤρτυνον ἀριστῆας καλέσαντες —,

add. 11, 216. 12, 43. 86. 13, 152. Hoc verum esse non tam *ὀτρύνειν* bis positum, quam eius structura nobis persuadet; adsciscit enim plerumque aut verbi infinitivum aut nominis, quo persona indicatur, accusativum, aut praepositionem cum rei accusativo connexam. Si qua vero res ita adiecta legitur, ut in Hom. Il. 12, 277.

ὣς τώγε προβοῶντε μάχην ὤτρυνον Ἀχαιῶν·

eam celeriter peragendam esse declarat, neque eius generis exemplum suppeditat Quintus, vid. I, 407. II, 362. VIII, 58. XIII, 37. Extremo, quod adscripsi, hemistichio libri priores dabant:

— — *δειζὴν γὰρ ἄγεν θεὸς ἐς μέγα ἔργον.*

In quo corrigendo frustra consumpserunt operam Rhodomannus, Brodaeus, Pauwius, nec Bothius admirabili ingenii sagacitate, qua omnes alios se praestare gloriatur, excellit formam soloecam ad Il. 11, 1. commentus:

— — *δίζεν γὰρ ἄγαν θεὸς ἐς μ. ἔργον.*

Germanum dudum reperit Scaliger, cui, ut par erat, morem gessit Tychsenius, vid. Dorvill. vann. crit. p. 383. et nostris cognata XIV, 461.

Troum et Danaorum concursum multiplici imaginum varietate exornavit Quintus X, 66. sqq.

τῶν δ' ὥς που ἀνέμων ἰαχὴ πέλει λάβρα ἀέντων,
εἴαρος ἀρχομένου, ὅτε δένδρεα μακρὰ καὶ ὕλη
φύλλα φύει, ἠδ' ὥστε δι' ἀζαλέης ξυλόχοιο
πῦρ βρέμει αἰθόμενον, ἠδ' ὡς μέγα πόντος ἀπείρων
μαίνεται ἐξ ἀνέμοιο δυσηχέος, ἀμφὶ δὲ ῥοῖβδος
γίγνετ' ἀπειρέσιος, τρομέει δ' ὕπο γούνατα ναυτῶν·
ὣς τῶν ἐσσυμένων μέγ' ὑπέβραχε γαῖα πελώρη·
ἐν δέ σφιν πέσε δῆρις· ἐπ' ἄλλον δ' ἄλλος ὄρουσε.

Vitiosius etiam a prioribus prolata ne Tychsenius quidem feliciter et scite edidit. Inseruit quidem primo versui olim manco *που*, e Veneto et Escurial. pr. sumptum, disiunctivam, sequentibus duobus haud dubie reddendam, ter desiderabat Hermannus ad Orph. p. 715. Verum enim vero simulacro e rerum natura deprompto loci particula congrua et apta videtur, cf. XIV, 175.

ὡς δ' ὅτε που κισσός τε καὶ ἡμερὶς ἀμφιβάλωνται
ἀλλήλοις περὶ πρέμνα, — — —.

Tum v. 68. sq. Hermannus refingi iussit:

— — *ἢ ὡς ὅτ' ἀν' ἀζαλέην ξύλοχον πῦρ*
αἰθόμενον βρομέει, — — —

etsi nomen in versus exitu collocatum mihi quidem parum arridet. Postea *γούνατα ναυτέων* dialecti lex et norma repetunt, cf. Od. 9, 138., proximus autem totidem comprehensus verbis iam supra adfuit VI, 335. Denique extremo in hemistichio quartum casum tertio mutandum esse Wernickius ad Tryphiod. v. 153. iure suo dixit, vid. VI, 438., nec differunt III, 360. IV, 523. IX, 127. 433. VI, 519.

τοῖς ἔπι κραιπνὸν ὄρουσεν, ἔχων περιμήκετον ἔγχος·

ubi accentus, si verbum et praepositionem coniunxeris, rectius manebit suo loco.

Nomina eorum, qui ab Aenea et Neoptolemo X, 80. sqq. interfecti dicuntur, magna ex parte corrupta ad nos pervenisse, aliorum etiam coniecturas afferendo Koechlys in emendat. p. 237. et demonstravit et plura scienter correxit. Haec igitur, ex abditis reconditisque fontibus hausta, non morabor, pauca vero ad v. 91. addam. Narratur ibi de Gaeno sive Galeno, qui et ipse Neoptolemi manu caeditur:

— — *μετὰ δ' ἔπρεπε μαρναμένοισι*
Τρωσὶν ἐρισθενέεσσι, κίεν δ' ἅμα πίονι λαῷ
ἐς Τροίην· — — — —

Exercitum opulentum bello pugnaeque inutilem Rhodomannus et Koechlys notarunt, recte substituentes: *ἅμ' ἀπείρονι λαῷ,* vid. II, 102. V, 566. iisque consentaneum VIII, 232. sq.

ὣς Τρώων τότε λαὸς ἀάσπετος ἐν χθονὶ κεῖτο
χερσὶ Νεοπτολέμοιο καὶ Ἀργείων ἐριθύμων.

Nec verum et sincerum priora servasse crediderim, si quidem *ἐρισθενὴς* Homeri aliorumque ore propagatum, nostro inauditum est, vid. I, 232.

ὅππως κεν Τρώεσσιν ἐϋσθενέεσσι μάχοιτο·

add. IV, 44. 293. 454. VII, 186. XIII, 52. Quae quum ita sint, Koechlyis suspicionem, qua, quod antiquiores *εὐρυσθενέων* occupabat, IV, 340. *ἐρισθενέων μένος ἀνδρῶν* Rhodomanni *ἐϋσθενέων* anteponit, in emend. p. 200., non probaverim. Hoc enim dominatur apud Quintum, ut I, 716. II, 390. III, 435. VI, 85. 557. VII, 3. 416. IX, 3. 289. 322. XI, 332.

XIV, 633. Quartus et primus eius casus obveniunt I, 224. II, 363. III, 681. X, 184. XIII, 26., denique singularis genitivum conspicis IV, 190. V, 482. 580., qui interventu quarti pulsum reddi iubent V, 256., ut pridem admonuit Rhodomannus, et ipse dixi in mant. observat. ad Quint. p. 227. Vix igitur illud, nullo alio loco oblatum, X, 91. erit ferendum.

Locum librorum corruptela non minus quam lacunis impeditum, qui de Lunae et Endymionis amoribus agit, nuperrime tractavit Koechlys in emendat. p. 238. sqq. Atque hic quidem manifestum verborum defectum X, 130. sq. ita resarciendum putat:

— — *δριμὺς γὰρ ἄγεν πόθος ἠϊθέοιο*
ἀθανάτην πονέουσαν ἀπειρίτον· — —

Nititur autem libris duobus, altero Veneto, altero Matrit., e quibus Schowius *ἄγαν* et *ἐτείρετο* enotavit. Horum prius, ne duplex adesset verbum, immutatum, posterius ex adverbio recepto subortum esse coniicit. Id enim ipsum obvium et Quinto crebrum iudicat, affertque III, 386. *ἀμφὶ νέκυν πονέοντο ἀπείριτον.* Sed fallitur, quod, illo versu excepto, nonnisi bis IV, 415. VIII, 279. tale quid reperire licet; alias *ἀπείριτος* semper iungitur cum nominibus, immensamque rerum vel copiam vel magnitudinem describit, unde mari aliisque eius generis praecipue aptum est, cf. I, 497. IV, 78. VIII, 167. 467. X, 188. Ut igitur omittam *ἀπείριτον* et *ἐτείρετο* aliquanto distare, ne conveniet quidem Lunae Endymionis desiderio captae satis id, quod Achivorum principibus ingens Achillis corpus ab hostium ignominia et vi tutantibus commodum est. Hinc me nondum poenitet coniecturae, quam supra exprompsi p. 33. *ἀθανάτην πονέουσαν ἀπ' αἰθέρος.* Certe illud, cuius Schowius mentionem fecit, librarii alicuius manui potius quam poetae ingenio deberi crediderim. Imo nobis Luna ipsa quodammodo assentitur, de suis amoribus apud Apollonium Argon. IV, 57. haec profata:

οὐκ ἄρ' ἐγὼ μούνη μετὰ Λάτμιον ἄντρον ἀλύσκω.

Sed nihil pro certo affirmaverim; veteres enim illos Lunae calores vario et multiplici modo celebrarunt et exornarunt, vid. Theocr. Id. III, 49. sq. et Apollon. Schol. ad l. l. Nec

prodigium in huius fabulae memoriam superstes, de quo copiosius refert poeta, prospero satis eventu, nisi fallor, pristinae sanitati reddere studuit Koechlys, quippe qui vulgato *κεῖδ' ἴησι*, quod in v. 135. obtinuit, duram sane et violentam adhibeat medelam: *εἰ δ' ἐπίησθα*, saltem aliquis exspectaverit: *ἦν δ' ἐπίησθα.* Quare nullum nisi a melioribus libris paratum video auxilium.

Philoctetae impetus cum fluvio aestuante et super ripas effuso confertur X, 170. sqq.

θῦνε γὰρ ἐν δηΐοισιν ἀτειρέϊ ἶσος Ἄρηϊ
ἢ ποταμῷ κελάδοντι, ὅς ἕρκεα μακρὰ δαΐζει
πλημμύρων, ὅτε λάβρον ὀρινόμενος περὶ πέτρης
ἐξ ὀρέων ἀλεγεινὰ μεμιγμένος ἔρχεται ὄμβρῳ —.

Koechlys in emend. p. 241. cum libris paucis, qui *πέτρῃ* vel *πέτρῃς* habent, hoc reducendum putat. Nullam vero, cur rupes potiores iudicemus rupe, subesse caussam p. 159. dixi.

Inter simulacra immani Philoctetae coryto insculpta Phaethontis incendium fuit effictum X, 192. sqq.

ἐν δὲ βίῃ Φαέθοντος ἀνὰ ῥόον Ἠριδανοῖο
βλήμενος ἐκ δίφροιο· καταιθομένης δ' ἄρα γαίης,
ὡς ἐτεὸν καύσαιτο, μέγας ἐνὶ ἠέρι καπνός· —

In Ald. et priscis *ὡς ἐτεὸν παύσοιτο* fuit, Rhodomannus, sententiae consulturus, *καύσαιτο* excogitavit. Vulgare Dausqueus voluit defendere putido acumine, iam a Pauwio retuso. Hic autem ipse nihil melius extricavit; utrum enim e binis, quae proponit, ineptius peiusque dicas, vix dirimas; fuisse igitur Quinti arbitratur, vel *ὡς ἐτεὸν ἐπάερτο* vel *ὡς ἐτεόν περ ἄερτο.* Nec vero vel levissimum horum indicium scrutari licet, nec formae ipsae placere possunt. Unde non est mirum, si alii meliora quaesiverunt. Ac primus quidem Hermannus ad Orphic. p. 715. vitium insequentis vocis bene sustulit, et *μέγας,* tum rei tum numeris inimicum, epitheto fumi proprio *μέλας* permutavit. Verbi molestia, qua, quod fumo datum malles, terrae inhaeret, Struvium eo compulit, ut, Hermanni suspicione probata, in progr. I. p. 5. aliud tentaret et scribi iuberet:

ὡς ἐτεὸν, κεκέδαστο μέλας ἐνὶ ἠέρι κ.

interpuncto translato, quod et verbum aptius continebitur subiecto, et in imaginum descriptione *ὡς ἐτεὸν* sive *ὡς ἐτεόν περ* ab omnibus aliis plerumque separantur, vid. VI, 221. 280. XII, 510., etsi interdum fieri aliter Quintus ipse permittit, ut VII, 726. XII, 142., add. Theocr. Id. XV, 82. Sed Struvii inventum et longius petitum et fumo parum erit accomodatum. Toto enim terrarum orbe accenso, fumus in aerem assurgens concrescet potius quam dissipabitur. Inesse autem verbo illam potestatem, si feliciter coniectavit Pauwius, quum Quintus ipse testatur XI, 472.

δὴ γάρ οἱ λασίοιο καρήατος ἄλλυδις ἄλλῃ
ἐγκέφαλος κεκέδαστο· — —

tum probat Apollonius Argonaut. II, 1112.

ἔνθα δ' ὑπ' ἐννεσίῃσι θεῶν πίσυρές περ ἐόντες
δούρατος ὠρέξαντο πελωρίου, οἷά τε πολλὰ
ῥαισθείσης κεκέδαστο θοοῖς συναρηρότα γόμφοις.

Itaque a vulgari oratione communisque sensus consuetudine verbum abhorret, fumus enim in auras diffusus mox evanescat necesse est, quamobrem aliud rei magis idoneum erit investigandum. Iam quum Vindob. unus *πάσσητο* exhibeat, poetam *πεπότητο*, quod ab eo non ita multum abest, fortasse scripsit. Hoc autem praecipue delectatur Quintus, ut I, 16.

ἀμφὶ δ' ἄρα σφίσι πένθος ἀνιηρὸν πεπότητο,

II, 477.

ὡς τῶν ἀμφὶ πόδεσσι κόνις πεπότητ' ἀλεγεινή·

add. X, 280. XI, 443. XIII, 33. XIV, 152. Quod vero vel pulveri vel cineri commodum est, ut prior elatus fertur VIII, 55.

— — *κόνις δ' ἄρ' ἐς οὐρανὸν εὐρὺν*
πέπτατ' ἀειρομένη· — — —

posterior inspersus XIV, 25.

— — *τέφρη δ' ἐπιπέπτατο πολλή,*

id optime cadere in fumum nemo negabit. Cum extremo, cui forsitan augmentum erit praefigendum, arcto tenetur vinculo aliud compositum, saepenumero iteratum in posthomericis, vid. III, 650.

ἀνθρώπους ὀλοὴ περιπέπταται ἄσχετος Αἶσα,

VI, 496. VII, 333. Quae indicio esse possunt, idem requiri XIII, 542.

ἡδύ τι μυρομένων γοερὴ περιπίπτατ' ἰωή,

ubi aliis intelligentior exstitit Rhodomannus. Nec praesens tutum certumque habuerim, quale praebet I, 298.

— — — — *ὧν καθύπερθεν*
ἐχθρὴ μηλονόμοισιν ἀεὶ περιΐπτατ' ὁμίχλη.

Imo nihil omnino impedit, quominus toties dictum recipiamus.

Philoctetes, Paridi mortem minatus, arcum ab Hercule acceptum tendit X, 231. sqq.

ὣς εἰπὼν νευρὴν τάχ' ἐΰστροφον ἀγχόθι μαζοῦ
εἴρυσε· κυκλώθη δὲ κέρας καὶ ἀμείλιχος ἰὸς
ἰθύνθη, τόξον δ' αἰεὶ ὑπέρεσχεν ἀκωκὴ
τυτθὸν ὑπ' αἰζηοῖο βίῃ· μέγα δ' ἔβραχε νευρὴ,
ἰοῦ ἀπεσσυμένοιο δυσηχέος· — —

Idem habitus est Pandari homerici, sagittam in Menelaum emittentis, Il. 4, 123. sqq.

νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον.
αὐτὰρ ἐπειδὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν,
λίγξε βιὸς, νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν, ἆλτο δ' ὀϊστὸς
ὀξυβελὴς καθ' ὅμιλον ἐπιπτέσθαι μενεαίνων.

Quibus quis admonitus lacunam, qua Quinti vers. 231. olim hiabat, aliter, ac Rhodomannus fecit, explendam statuat. Ille enim *τάχα* intulit, sed ei neque Homerus adest, nec *δὲ* opposita congruit; huic autem melius respondet *νευρὴν μὲν ἐΰστρ.*, Homero praeeunte inserendum. Deinde si germanum est *ὑπέρεσχεν* v. 233. lectum, id ab accentu depravatum esse tum grammaticorum praecepta docent, tum editiones priores comprobant, in paroxytono acquiescentes. At versus numeri vacillant, et *αἰεὶ* alienum est a caeteris. Cuius loco iam Rhodomannus *αἰνὴ*, cum nomine, quod instat, sociandum apposuit. Equidem, ut ista numerosius procedant, correxerim:

— — *τόξον δ' ὑπερέσχεθεν αἰνὴ ἀκωκή.*

Quam structuram nemo in dubium vocabit, inspecto Apollon. Argonautic. I, 1273.

αὐτίκα δ' ἀκροτάτας ὑπερέσχεθεν ἄκρια ἀστὴρ
ἠῷος, πνοιαὶ δὲ κατήλυθον· — —

Porro ex Homeri verbis arcus nervum stridorem potius quam fremitum edidisse coniecturam capias. Neque id alias ignorat Quintus, ut Paridis exemplum, quod supra adfuit, demonstrat X, 210.

ἧκε δ' ἀπὸ νευρῆφι θοὸν βέλος· ἣ δ' ἰάχησεν,
ἰοῦ ἀπεσσυμένοιο· — — —

Neque aliud quiddam Apollinis tribuit sagittis et arcui III, 35.

— — — — *ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτοῦ*
γωρυτὸς καὶ τόξα μέγ' ἴαχεν· — —

Iam etsi finibus parum certis distinguuntur ista verba, id tamen ipsum nostro loco reddendum esse verisimilis erit suspicio.

Paris a Poeantis filio letali vulnere percussus Oenonae, prioris coniugis, auxilium imploraturus abit, sed auguria sinistra itineri coepto interveniunt et eius mentem perturbant X, 263. sqq.

— — *ὁ δ' ἄρ' αἶψα θεοπροπίῃσι πιθήσας*
ἤϊεν, οὐκ ἐθέλων· ὀλοὴ δέ μιν ἦγεν ἀνάγκη
κουριδίης εἰς ὦπα. λυγροὶ δέ μιν ἀντιόωντες
κὰκ κορυφῆς ὄρνιθες ἀΰτεον, οἱ δ' ἀνὰ χεῖρα
σκαιὴν ἀΐσσοντες· ὁ δέ σφεας ἄλλοτε μέν που
δείδιεν εἰσορόων, ὅτε δ' ἀκράαντα πέτεσθαι
ἔλπετο· τοὶ δέ οἱ αἰνὸν ὑπ' ἄλγεσι φαῖνον ὄλεθρον.

Horum in clausula Pauwius, Tychsenio accedente, *ἔλπετο* antea propagato *εἴδετο*, quod ferri nequit, supposuit. Obstare autem sibi aves in Paridis caput quasi irruentes et a sinistra manu praetervolantes in dissertat. de vi et usu praeposit. *ἀνὰ* et *κατὰ* apud Homerum p. 14. sq. observavi. Reliquorum vim et proprietatem minus accurate perscrutatus mendum, quod superesse crediderim, illo tempore neglexi. Incommode enim aves *μιν ἀντιόωντες* dicuntur, etsi istam coniunctionis perversitatem levi opera eximas, dummodo scripseris: *λυγροὶ δέ οἱ ἀντ.* Aves autem Parin non tam compellasse quam clangentes ei occurrisse omnibus patebit et in promptu erit, cf. II, 15. 312. 318. III, 59. VII, 84. 167.

VIII, 6. Sed ne haec quidem recte satis et eleganter scripta videri possint, quod *ἀΰειν, ἀϋτεῖν* et *ἀϋτὴ* militarem plerumque significant vociferationem, unde ad sonum tremulum et acutum, qualis mulierum sive puellarum est clamor aut equorum hinnitus, processus est factus. Illo ex genere sunt Homeri Od. 6, 117. 122.

ὥστε με κουράων ἀμφήλυθε θῆλυς ἀϋτή —

huius meminit Quintus XI, 327.

— — θοοὶ δ' ἐπαΰτεον ἵπποι
φορβῇ ἐπιχρεμέθοντες ἄδην. —

Denique raucus aeris repercussi strepitus iis indicatur, veluti clypeus Idomenei protentus hasta supervolante insonuit Il. 13, 409.

καρφαλέον δέ οἱ ἀσπὶς ἐπιθρέξαντος ἄϋσεν
ἔγχεος· — — — —

aut Alcathoi thorax Idomenei hasta perruptus raucum emittit fragorem ibid. 441.

δὴ τότε γ' αὖον ἄϊσεν ἐρεικόμενος περὶ δουρί.

Hoc Quinto itidem receptum fuisse Aiacis sagitta galeae impacta ostendit IV, 411.

πλῆξε δ' ἄρα τρυφάλειαν· ἐπηΰτησε δὲ χαλκὸς
ὀξύτατον· — — — —

Sed avium clangori illud parum congruum videri possit, si in animum revocaveris Tiresiam, augurem Thebanum, Creonti regi in Sophoclis Antigona v. 988. sqq. haec denuntiantem:

ἀγνῶτ' ἀκούω φθόγγον ὀρνίθων, κακῷ
κλάζοντας οἴστρῳ καὶ βεβαρβαρωμένῳ·

et haud dissimilia nostri poetae IX, 307.

— — — τοῦ δ' ἄρα θυμὸν
οἰωνοὶ κατέρυκον ἀριστερὰ κεκληγῶτες.

Uterque igitur infausta auguria volucrum cantu oblata voce propria et communi portendit. Hinc vitium aliquis non in pronominis casu, sed in verbo rei alieno situm esse suspicetur. Sicut autem Apollinis animo et cupiditati aves sinistre clangentes obstitisse dicuntur, ita haud dispari utitur imagine Priamus morae, quam Hecuba coniux iniiciebat, apud Homerum impatiens Il. 24, 218.

μή μ' ἐθέλοντ' ἰέναι κατερύκανε, μηδέ μοι αὐτὴ
ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλευ· οὐδέ με πείσεις.

Itaque Parin avium adspectu et volatu ab itinere revocandum fuisse colligas, eaque de caussa pronominis casu retento scribere possis:

— — λυγροὶ δέ μιν ἀντιόωντες
κὰκ κορυφῆς ὄρνιθες ἐρήτυον, — —.

Neque isti opinioni adversantur sequentia, quibus Parin nunc auguriis perterritum esse, nunc iis fidem denegasse tradit poeta. In re non ita dissimili idem elegit Quintus, Achillem et Aiacem dei cuiusdam arbitratu a pugna remotos testatus I, 380.

τοὺς γὰρ δὴ μακάρων τις ἐρήτυε νόσφι κυδοιμοῦ.

Sed coniecturam probabilem quidem et elegantem, nec tamen certam et necessariam putaverim: primum enim, quod illa affertur, Paride animo fluctuante et de auguriis oblatis varie ambigueque iudicante iam continetur, deinde avium cantui ac voci, quibus Paridi futura mors denunciabatur, *ἀϋτεῖν* et *ἀϋτὴ* non prorsus absona esse Apollonii Harpyiae monstrare possunt a Phinei epulis avolantes Arg. II, 270.

— — — — αἱ δ' ἅμ' ἀϋτῇ
πάντα καταβρέξασαι ὑπὲρ πόντοιο φέρονται —.

Tametsi Harpyis aliam atque avibus caeteris formam et naturam esse neminem latet. Sin autem Quinti verba sana et integra sunt existimanda, pronominis dativum esse assumendum sua sponte apparebit. Sed ponamus, strepitanti avium clangori *ἀϋτὴν* et *ἀϋτεῖν* conducere, maiorem etiam suspicionem idem excitabit alio loco. Neoptolemum enim nube telorum, quorum incursum Vulcania arma infregerint et debilitarint, frustra petitum esse Quintus refert VII, 595. sqq.

οὐ μὴν οὐδὲ βέλος κείνου χρόα καλὸν ἵκανε,
πολλῶν βαλλομένων· ἀλλ' ὡς νιφάδες περὶ πέτρην
πολλάκις ἠΰτησαν ἐτώσια· πάντα γὰρ εὐρὺ
εἶργε σάκος βριαρή τε κόρυς, κλυτὰ δῶρα θεοῖο.

Iam *ἀϋτεῖν* et cognata raucum aeris repercussi sonitum aliquoties indicare supra quidem vidimus, eum tamen nivibus saxo inspersis repugnare manifestum erit. Nec quisquam nives

cadentes auribus vel acutissimis percipiet, quo concesso ne telorum quidem strepitus imagini aptus est habendus. At tela maiore vi quam effectu in hostes iactata saepenumero dicuntur irrita et frustra emissa; ita Penthesilea, hasta in Aiacis clypeo fracta, muliebriter indignabunda I, 553. ait:

νῦν μὲν ἐμῆς ἀπὸ χειρὸς ἐτώσιον ἔκθορεν ἔγχος·

et de eadem paullo post legimus ibid. 573.

ἡ δὲ μέγα στονάχησεν ἐτώσια δοῦρα βαλοῦσα.

Nec minus in Aeneam ex Troiae incendio profugum Achivi hastas et sagittas incassum coniiciunt XIII, 330. sqq.

— — καὶ ἔγχεα καὶ βέλε᾽ ἀνδρῶν
πίπτον ἐτώσια πάντα κατὰ χθονὸς, ὁππόσ᾽ Ἀχαιοὶ
κείνῳ ἐπέῤῥιψαν πολέμῳ ἔνι δακρυόεντι.

Eiusmodi igitur aliquid, quod nivibus sine ullo effectu rupi allapsis respondeat, desideraverim. Quemadmodum enim nives saxo nihil damni inferunt, ita ad Achillis filium hostium tela temere advolarunt. Hoc paratum erit, si mecum scripseris:

— — ἀλλ᾽ ὡς νιφάδες περὶ πέτρην
πολλάκις ἠΐχθησαν ἐτώσια· — —

Id ipsum ab Homero profectum esse Menelai probat dolor, quo hastam nequidquam iactatam deplorat Il. 3, 368.

— — — — ἐκ δέ μοι ἔγχος
ἠΐχθη παλάμηφιν ἐτώσιον, οὐδ᾽ ἔβαλόν μιν.

Tum Minervae a Diomede Martis spiculum avertenti idem datur 5, 854.

καὶ τόγε χειρὶ λαβοῦσα θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
ὦσεν ὑπὲκ δίφροιο ἐτώσιον ἀϊχθῆναι.

add. 14, 407. 22, 292. Ad tela vero hostibus immissa facile traduci poterat, quod noster nubibus, fumo aliisque, quae per auras feruntur, crebrius iunxit, ut III, 708.

— — — περικλονέοντο δ᾽ ὕπερθε
πάντα νέφη μεγάλοιο δι᾽ αἰθέρος ἀΐσσοντα.

cf. XI, 231. XII, 354. Neque illud insolitum fuit Quinto, quemadmodum intelligimus ex VIII, 323., ubi Deiphontem Troianum sagitta prosternit Teucer:

— — βαλὼν δ᾽ ὅγε δεύτερον ἰὸν
λαιμῷ ἐπεῤῥοίβδησε· διέθρισε δ᾽ αὐχένος ἶνας
ἀντικρὺς ἀΐξας· τὸν δ᾽ ἀργαλέη κίχε μοῖρα.

Propius etiam nostra attingit X, 220.

— — — στονόεις δέ οἱ ἔμπεσεν ἰὸς
ἀντίον ἀΐξας· — — — —

Quod autem aoristum illius inusitatum dicunt lexicographi, id afferre nolim. Nam minus vere ita existimari et Quinti et aliorum epicorum sermo aperte monstrat. Nam praeter duo nostri exempla IV, 411. 262.

— — μέγα δ᾽ ἴαχε Τρωϊὸν οὖδας
Τυδείδαο πεσόντος· ἐπηΰτησε δὲ λαός.

totum hemistichium istud legitur apud Callimachum h. in Apoll. 101.

— — τὸν μὲν σὺ κατήναρες ἄλλον ἐπ᾽ ἄλλῳ
βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν· ἐπηΰτησε δὲ λαός.

Paris Oenonae iram blanditiis precibusque admotis placare studet, sed mulier, iniuriae veteris memor, superbe reiicit supplicem et optat, ut eius carne et sanguine vesci liceat X, 315. sq.

αἴ γάρ μοι μέγα θηρὸς ὑπαὶ κραδίῃ μένος εἴη,
δαρδάψαι σέο σάρκας, ἔπειτα δέ θ᾽ αἷμα λαφύξαι.

Maiore quodammodo iure Homeri Hecuba, ut Achillis iecore pasci possit, sibi expetit Il. 24, 212.

— — τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι
ἐσθέμεναι προσφῦσα· τότ᾽ ἄντιτα ἔργα γένοιτο
παιδὸς ἐμοῦ· — — — —

add. ib. 4, 35. sq. Nimia ergo ista immanitas ad priscam aetatis heroicae indolem erit revocanda. Metaphora ipsa a feris animalium interfectorum sanguinem et viscera avidissime haurientibus ducitur. Maxime autem cadere videtur in leonem boum caede animi desiderium exsatiantem, ut iam Homerus ostendit Il. 11, 175. sq.

τῆς δ᾽ ἐξ αὐχέν᾽ ἔαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν
πρῶτον, ἔπειτα δὲ θ᾽ αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει·

add. 17, 64. 18, 583. Hinc Quintus leones in armenta impetum facturos, etsi canum pastorumque vigilantia eos retardat,

scienter et egregie nobis depinxit VII, 488. sqq.

— — τοὶ δ' ὄμμασι γλαυκιόωντες
στρωφῶντ' ἔνθα καὶ ἔνθα, λιλαιόμενοι μέγα θυμῷ
πόρτιας ἠδὲ (l. ἠὲ) βόας μετὰ γαμφηλῇσι λαφύξαι.

Nec prior libri decimi versus ab omni labe purus ad nos pervenit: nulla enim fingi potest caussa, ob quam voculae ὑπὸ dipthongus sit adiecta, imo sufficit versui forma communis, quam alias tenet Quintus, velut V, 597.

τλῆναι ὑπὸ κραδίῃ στερεῇ φρενὶ, μηδ' ἀκάχησθαι.

cf. VI, 462. VII, 441. 540. IX, 251. 540. XIII, 375. XIV, 451., iisque consentiunt VIII, 173. XII, 478.

Iuno in Olympo residens Paridis sibi invisi dolore et fortuna animo recreatur X, 334. sq.

Ἥρη τ' εἰσενόησε, καὶ ἄμβροτον ἦτορ ἰάνθη
ἑζομένη κατ' Ὄλυμπον, ὅπῃ Διὸς ἔπλετ' ἀλωή·

Postrema numeris adstrinxit Rhodomannus: priores enim quum obsideret: ἧχι Διὸς ἔπλ. ἀλ., versum minus constare intellexit. Iovis autem campus sive hortus Pauwio creavit molestiam, unde dari iussit:

ἑζομένη κατ' Ὄλυμπον τ', ἧχι Διὸς πέλετ' αὐλή.

Quo nihil infelicius ineptiusve excogitare poterat, siquidem et numerus fere nullus est, et reliqua magnam sermonis poetici inscitiam prae se ferunt. Optimo igitur iure scabritiem istam explosit Dorvillius in vann. crit. p. 68. Nec Iovis hortus, quem ille silentio praeterit, ulli debet esse suspectus, nam praeter Quintum eum commemoravit Apollonius Argonaut. III, 114.

εὗρε δὲ τόν γ' ἀπάνευθε Διὸς θαλερῇ ἐν ἀλωῇ.

add. v. 158.

Troiam, quamdiu Palladis numen et tutela urbem protegat, ne a deo quidem everti posse inter alia Iuno dicit X, 355. sqq.

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ θεῶν τις ἀπειρέσιον χαλεπήνας
ἔσθενεν ὄλβιον ἄστυ διαπραθέειν Πριάμοιο,
ἀθανάτης ἔμπροσθεν ἀκηδέος ἐμβεβαυίας·

Dausquei sagacitatem, qua deam, curae expertem, urbis praesidem esse negat, ideoque ἔμπροσθ' εὐκηδέος proponit, bene, ut opinor, refellit Pauwius, deos nulli aerumnae dolorique obnoxios eo nomine appellari ratus, neque Homerus solus, quem testem excitat, rationi isti fert opem in Il. 24, 526.

ὣς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν,
ζώειν ἀχνυμένοις· αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσίν. —

verum assentitur etiam Quintus V, 142.

ὦ φίλοι, ἦ μέγα πῆμα καὶ ἄσχετον ἤματι κείνῳ
ἡμῖν συμφορέουσιν ἀκηδέες Οὐρανίωνες.

In quo, si Dausquei opinioni aliquid tribuendum esset, iterum adhaerescas, nec Neoptolemus, Agamemnoni VII, 704. fidem dare potuisset, se, dummodo dii beati sive ἀκηδέες vitam essent servaturi, patris virtute non inferiorem futurum. Insuper sermonis epici lex et norma sibi exposcit ἐμβεβαυίης, cuius rei testimonium profert IV, 66.

οὐ γὰρ νηδύος ἐστὶν ἀπωσέμεναι μεμαυίης
λιμὸν ἀταρτηρόν, — — —

quanquam casus primus multo crebrius obvenit, cf. II, 501. X, 458. Significabit autem ἔμπροσθεν βαίνειν idem propemodum atque homericum πρόσθεν ἱστάναι i. e. praesenti auxilio alicui adesse, pro aliquo stare, sicut Homeri Iuno fatetur de se Il. 4, 54.

τάων οὔτοι ἐγὼ πρόσθ' ἵσταμαι, οὐδὲ μεγαίρω.

Plura, quae huc faciant, suppeditabit Dammii lexic. homer. p. 992, a. b.

Mortem Paridis vel nymphae, pristinae societatis et consuetudinis recordatae, luxisse feruntur X, 364. sqq.

ἀμφὶ δέ μιν Νύμφαι μέγ' ἐκώκυον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτοῦ
εἰσέτι που μέμνηντο κατὰ φρένας, ὅσσα πάροιθεν
ἐξέτι νηπιάχοιο συναγρομένῃς ὀάριζε·
σὺν δέ σφι μύροντο βοῶν θοοὶ ἀγροιῶται
ἀχνύμενοι κατὰ θυμόν· ἐπεστενάχοντο δὲ βῆσσαι.

Vix memoratu dignum est, mendo, quod librarii saepenumero admiserunt, depulso v. 367. σὺν δέ σφιν μύροντο metri caussa esse exarandum. Aliquanto maiorem dubitationem iniiciunt superiora, quibus, quum praeter divinam nympharum naturam νηπιάχοισι vulgo insideret, acute reduxit Rhodo-

mannus *νηπιάχοιο*, cum Paride connectendum. Obloquitur Koechlys in emendat. p. 241., qui quidem genus dicendi, a Lobeckio ad Phryn. p. 48. exemplis munitum, rectum et verum ducit, sed, si Paris mortuus *a puero* inter nymphas vixisse dicatur, id aliter intelligi posse negat, nisi cum ad mortem usque in illarum fuisse consortio, unde versum sic refingit:

παῖς ἔτι νηπίαχος σφι συναγρομένῃς ὀάριζε.

Verum enim vero *σφι* ingrate repetitum displiceat necesse est. Nec Paris puerilibus dumtaxat annis cum nymphis familiariter consuevit, sed adolescens demum factus, rure nymphisque relictis, terras adiit peregrinas, unde Helenam raptam secum adduxit in patriam. Indicat vero poeta, Priami filium a prima inde infantia in grato nympharum commercio versatum esse. Describit igitur *ἐξέτι* priorem vitae partem, nec vero posteriorem Paridis aetatem respicit. Errant autem lexicographi, qui *ἐξέτι* tempus praesens cum praeterito coniunctum semper et ubique significare tradunt. Quae quidem potestas ei plerumque subest, unde non raro ipsum temporis initium pronomine vel adverbio subiuncto definitur, ut apud Callimach. h. in Del. 275.

τῷ καὶ νησάων ἁγιωτάτη ἐξέτι κείνου
κλήζῃ — — — —

vid. eundem in Apoll. 46. 103. Apoll. Rh. II, 782. IV, 430. At non semper comprehendit et praeteritum et praesens tempus, sed illud solum definit; ita nostris simillima offert Oppianus Cyneg. I, 447.

ἵπποισι κρατεροῖσι δ' ὁμήθεες ἀγρευτῆρσιν
ἐξέτι νηπιάχων ἔστων, — — —.

Nec differt multum Apollonius, etsi adverbium a tempore transtulit ad locum Arg. I, 976.

— — — *τὴν μὲν νέον ἐξέτι πατρὸς*
θεσπεσίοις ἕδνοισιν ἀνήγαγεν ἀντιπέρηθε.

Caeterum ne quis de extrema Paridis aetate cogitet, ipse poeta cavit, dum nymphas eorum sistit memores, quae *antea* a pueritia familiariter sermocinatus fuerit Paris. Quibus caus-

sis impulsus rem feliciter expeditam esse crediderim a Rhodomanno.

Neque ab omni parte mihi arrident coniecturae, quibus vir ingeniosus Helenae Paridis mortem deplorantis votum emendandum explicandumque censet. Illa nimirum, postquam fati acerbitatem suamque calamitatem pluribus enarravit, lamentationibus X, 405. eum imponit finem:

ὡς ὄφελον μ' ἐδάμασσα, πάρος τάδε πήματ' ἰδέσθαι.

Iam quum Aldina *ἐδαμάσσατο* praebeat, Helenaque haud dubie, ut alii, mortem fati necessitate sibi immissam optaverit, vel versum excidisse, vel sententiam, qua opus est, unius ambitu comprehendendam fuisse putat. Quodsi prius placuerit, lacunam ita fere explendam suspicatur:

ὡς ὄφελόν μ' ἐδάμασσε πάρος τάδε πήματ' ἰδέσθαι
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα θοὸν βέλος ἰθύνουσα. —

sin posterius elegeris, corrigit:

ὡς ὄφελόν μ' ἐδάμασσε μόρος (v. *πότμος*), *πρὶν πήματ'*
ἰδέσθαι.

Hoc autem parum probabile videtur, quod et pronomine, quo mala accuratius definiantur, aegre carebimus, et adverbium loco inopportuno est positum, vid. XIV, 300. sq.

ὥς μ' ὄφελον μετὰ σεῖο, φίλον τέκος, ἤματι τῷδε
γαῖα χανοῦσα κάλυψε, πάρος σέο πότμον ἰδέσθαι.

Add. III, 465. V. 537. sq. Illud, si ex Homeri exemplis, quibus confidit, aestimandum est, vario et multiplici modo efferri potuisse minime latet. Ita, ut unum certe expromamus, propius etiam ad poetae usum normamque accedat:

ὡς ὄφελόν μ' ἐδάμασσε, πάρος τάδε πήματ' ἰδέσθαι,
Ἄρτεμις οἷς ἀγανοῖσιν ἐποιχομένη βελέεσσιν.

cf. Od. 5, 124. 11, 173. 199. Sed quaeri omnino poterit, an ulla opus sit mutatione. Nostris enim fere conveniunt ea, quae Homerus Helenam profitentem inducit in Il. 3, 173. sqq.

ὡς ὄφελεν θάνατός μοι ἁδεῖν κακὸς, ὁππότε δεῦρο
υἱέϊ σῷ ἑπόμην, θάλαμον γνωτούς τε λιποῦσα
παῖδά τε τηλυγέτην καὶ ὁμηλικίην ἐρατεινήν.
ἀλλὰ τάγ' οὐκ ἐγένοντο· τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα.

Neque dubium erit, quin ad ista se composuerit noster; vide

modo, quanta similitudo sit v. 396.

ὁππότε σοι ἑπόμην ὀλοῇ ὑπὸ δαίμονος αἴσῃ· —

et homericis illis. Hinc poetae initium transferre potuit ad mortem Helenae voluntariam, praesertim quum fatali necessitate illata supra iam adfuerit. Verum tamen hoc Koechlyi erit concedendum, vix ita simpliciter dici potuisse *μ' ἐδάμασσα* de ea, quae, ut sibimet ipsi mortem conscivisset, optarit. Quae quum ita sint, aliquid ad integritatem deesse non negaverim.

A Paridis funere ac sepultura ad bellum sub ipsis Ilii muris magna animorum contentione gestum poeta revertitur. Proelium enim quum nox diremisset, vid. X, 256., exercitum utriusque populi die illucescente sibi iterum occurrisse erit statuendum. Quod poeta cum superioribus ita contexuit, ut matronis Troianis potestatem ad Alexandri tumulum adeundi factam esse negaret XI, 1. sqq.

Τρωαὶ δὲ στενάχοντο κατὰ πτόλιν, οὐδ' ἐδύναντο
ἐλθέμεναι ποτὶ τύμβον, ἐπεὶ μάλα τηλόθ' ἔκειτο
ἄστεος αἰπεινοῖο· νέοι δ' ἔκτοσθε πόληος
νωλεμέως πονέοντο· μάχη δ' οὐ λῆγε πόνοιο,
καίπερ Ἀλεξάνδροιο δεδουπότος, οὕνεκ' Ἀχαιοὶ
Τρωσὶν ἐπεσσεύοντο ποτὶ πτόλιν, ἠδὲ καὶ αὐτοὶ
τείχεος ἤϊον ἐκτὸς, ἐπεί σφεας ἦγεν ἀνάγκη.

Iam apparet, dum Paridi exsequiae solverentur, nullam belli armorumque fuisse requietem. Inverso autem ordine singula enarravit Quintus: nam primum adolescentes Troum extra urbem Martis labore occupatos inducit, deinde, Achivis ad urbem tendentibus, Troianos et ipsos necessitate coactos in aciem descendisse scribit. His igitur eorum, quae paullo antea dixit, caussa redditur, unde nemo cum Pauwio de solis Troum excubiis et paucis cohortibus ante urbis portas dispositis cogitabit. Imo signis collatis sibi invicem parant exitium, etsi latinus interpres versum 5. cum sequente perperam transfert: „*quod Achivi Troianos usque ad urbem persequerentur,*“ quandoquidem Achaei ordinibus instructis rursus invadere et proelium redintegrare coeperunt, eoque hostes, ut obviam irent, perpulerunt. Quapropter iis, qui per-

petuis belli aerumnis conflictantur, pugnam ab opere non cessantem parum convenire efficitur. Ea enim quum antecedentibus contradicit, tum *πόνος* nihil aliud nisi pugnam sive *μάχην* indicat, vid. ad VIII, 295. p. 198. Itaque satis erat *μάχη δ' οὐ λῆγε*, nam pugna finita laborem ea motum desinere nemo non videbit. Neque eius generis abundantia alibi reperietur, cf. IX, 287. VII, 165.

— — — *ὀλοὴ δ' Ἔρις οὐκ ἀπέληγεν.*

Hinc tametsi *ἀπολήγειν τινὸς* plerumque refertur ad eum, qui operi finem facit, vid. II, 359. III, 219. 243. 321. VI, 278. VII, 27. 103. 555. VIII, 167. XI, 133., licebit tamen, ut res clarius pateat, similia sibi adiungere, sicut fecit VIII, 456.

παυσώμεσθα πόνοιο καὶ ἀργαλέοιο κυδοιμοῦ.

Itaque confitebimur, ingrata nos hic obrui tautologia, quam ut effugiamus, una litterula mutata dederim:

— — *μάχη δ' οὐ λῆγε φόνοιο.*

Quo remedio non modo inepta ista repetitione erimus liberi, sed melius etiam et aptius cohaerebunt proxima. Indicabunt enim ne Paride quidem sublato, qui omnium malorum auctor exstiterat, bellum fuisse compositum. Accedit, quod deorum a poeta commemoratorum enumeratio caedem potius quam pugnam sibi expetit: adfuisse enim tradit Erin, Bellonam, Parcas, Terrorem, Martem ac Pavorem. Neque ignorat noster finitima hisce, ut II, 484.

— — *Ἄρης δ' οὐ λῆγε φόνοιο*
λευγαλέου, — — — —

add. IX, 175. Posthac quum Achivis obstent Troiani, huic rationi contraria esse graeca et perspicimus et alia docent, ut IX, 285.

ὣς φάτο· τοὶ δ' ἔτι μᾶλλον ἐς Ἄρεος ἔργον ὄρουσαν
θαρσαλέως, Τρώεσσι δ' ἐπέδραμον· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
προφρονέως μάρναντο περὶ πτόλιν· — —

cf. III, 11. IV, 341. 536. XII, 304., unde pronomen revocari iusserunt Glasewaldus in coniect. p. 16. et Struvius in progr. tert. p. 3.

Pirasum e pugna refugientem Philoctetes in poplite vulnerat, cui claudicanti et haerenti Argivorum quidam caput demetit XI, 55. sqq.

καὶ τὸν μὲν Δαναῶν τις ὅτ' ἔδρακε γυιωθέντα
ἐσσυμένως ἀπάμερσε καρήατος, ἐς δορὶ τύψας
ἀλγινόεντα τένοντ' · ὀλοὴ δ' ὑπεδέξατο γαῖα
σῶμα · κάρη δ' ἀπάτερθε κυλινδομένη πεφόρητο
φωνῆς ἱεμένοιο · — — — —

Nervo inciso Pirasi fugam retardari consequens est; unde *γυιωθεὶς* non tam *mutilatum* quam e plaga genu illata *claudicantem* significat. Similia Iupiter Minervae et Iunoni immorigeris minatur apud Homerum Il. 8, 402.

γυιώσω μέν σφωϊν ὑφ' ἅρμασιν ὠκέας ἵππους ·

ne quid dicam de Vulcano aliisque eadem calamitate laborantibus. Quae deinceps leguntur, ea numeris demum adstrinxit Rhodomannus, Tychsenio approbante; antiquiores vitiosius exhibent:

ἐσσυμένως ἄμερσε κάρητος, ἐς δόρυ τύψας —.

Nec quisquam exordium, quod compositum pariter ac formam productam efflagitat, vituperabit, maiorem vero suspicionem excitat clausula. Propterea Pauwius et Koechlys novam inierunt viam. Atque ille quidem *εὖ δορὶ*, quod admodum friget, melius iudicavit, hic, quum *δόρυ* gladium, quo caedes sit peracta, vix possit designare, in emendat. p. 243. *ἄορι τ.* praefert, idque ex Homeri Il. 20, 378. 462. repetit. Huic autem nemo praetexat auctoritatem veterum technicorum, quorum e decretis *τύπτειν* eique affinia de vulnere cominus inflicto proprie dicantur, vid. Lehrsium de Aristarch. stud. hom. p. 61. sqq. Quintus enim *ἔγχεϊ* sive *ὑπ' ἔγχεϊ τύπτειν* loco, quo quis fuerit percussus, addito saepissime iunxit, ut VI, 506.

εἰ μὴ Ὀϊλέος υἱὸς ἐΰφρονα Πουλυδάμαντα
ἔγχεϊ τύψε παρ' ὦμον ἀριστερὸν, ἀγχόθι μαζοῦ ·

X, 108.

— — — — *τὸν δ' ὑπ' ἄκοντι*
τύψε κατὰ στομάχοιο Μέγης · — —

cf. II, 409. III, 309. VI, 575. IX, 188. XIII, 448. Potuit

igitur Argivus ille hasta eminus iactata Pirasum capite privare, sicut Stheneli telum gutture Abantis fracto cervicis nervum penetrat, hostique aufert vitam XI, 81. sqq. Verum enimvero et tota narratio huic intercedit explicationi, et *ἐς* longius seiuncta a nomine suo obloquitur, vid. IV, 359. IX, 259. quaeque Koechlys p. 224. ad VIII, 87. collegit. Hisce de caussis *ἄορι* quidem receperim, sed ad id minus aptum habuerim *τύψας*. Nervus enim capitis potius dissecabitur quam percutietur. Ne multa, restituendum videtur: *ἄορι κόψας Ἀλγ. τέν.* Cui quidem homericus Dolon, eodem fere caedis genere a Diomede interemptus, subsidio est Il. 10, 455. sqq.

— — — *ὁ δ' αὐχένα μέσσον ἔλασσε*
φασγάνῳ ἀΐξας, ἀπό τ' ἄμφω κέρσε τένοντε ·
φθεγγομένου δ' ἄρα τοῦγε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.

Ante oculos autem ista fuisse Quinto testificantur ea, quae uterque de capite ad terram devoluto memoriae prodidit. Nec multum abest a nostris Od. 3, 450.

— — *πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας*
αὐχενίους, — — — —

add. Il. 13, 203. 14, 466. Manifesta huius imitationis vestigia suis impressit Quintus I, 264. sqq. Occidit illic Tydides Alcibien et Derimachiam, Amozonas duas, idque noster sic persequitur:

Ἀλκιβίης δ' ἄρα Τυδείδης καὶ Δηριμαχείης
ἄμφω κρᾶτ' ἀπέκοψε σὺν αὐχέσι μέχρις ἐπ' ὤμους
ἄορι λευγαλέῳ · ταὶ δ', ἠΰτε πόρτιες, ἄμφω
κάππεσον, ἄς τ' αἰζηὸς ἄφαρ ψυχῆς ἀπαμέρσῃ
κόψας αὐχενίους στιβαρῷ βουπλῆγι τένοντας ·

add. VI, 585. XI, 70. sqq. XIII, 241. sq., ut iis abstineam exemplis, quibus sive venae sive alia corporis pars sectae dicuntur hasta, vid. I, 241. 616. VI, 628. Terra, in qua Pirasus truncatus recumbit, perniciosa (*ὀλοὴ*) appellatur. Quod cur factum sit, nullam idoneam reperio caussam, neque alibi mortui horribili vel vasto terrae conduntur gremio. Indicio sunt VII, 43.

— — — — *σῶμα δ' ἄνευθεν*
πῦρ ὀλοὸν κατέδαψε, καὶ ὀστέα δέξατο γαῖα·

et XIII, 550. Capite autem revulso exiguum spatium interfecti corpus occupasse veri simile erit; unde quis possit coniicere: *ὀλίγη δ' ὑπεδέξατο γαῖα.* At nescio, an recte beneque huc advocare liceat Homeri quaedam, sicut Il. 3, 115.

πλησίον ἀλλήλων, ὀλίγη δ' ἦν ἀμφὶς ἄρουρα·

vel 12, 423. 17, 394.

Cleon et Eurymachus, Syma insula oriundi, egregii erant piscatores, quemadmodum poeta testatur XI, 62. sqq.

ἄμφω ἐπιστάμενοι δόλον ἰχθύσι μητίσασθαι
αἰνὸν ὑπ' ἀγκίστροιο, βαλεῖν δέ τε εἰς ἅλα δῖαν
δίκτυα, καὶ παλάμῃσι περιφραδέως ἀπὸ νηὸς
ἰθὺ καὶ αἶψα τρίαιναν ἐπ' ἰχθύσι νωμήσασθαι·
ἀλλ' οὔ σφιν ἐπὶ πῆμα θαλάσσια ἤρκεσεν ἔργα.

Scientia illa caedem Polydamantis ense immissam non esse prohibitam, Homero auctore, scripsit noster. Syllaba vero insolenter producta Pauwio displicuit, annotanti: „*σφιν ἐπὶ* hic dactylus est. An tamen legendum *σφίν γ' ἐπὶ πῆμα*?" Nihil erit utilitatis particulae, nec plus fidei habet dualis *σφῷν*, quem Hermannus ad Orph. p. 715. substituendum putavit: Quintus enim bis dumtaxat *σφείων* et *σφῶν* agnoscit. Illud quidem obtinet VI, 366. in hemistichio ab Homero fere deprompto, vid. Il. 4, 535. 5, 623. 13, 148. 688., hoc deprehenditur in comparatione XIV, 177. lecta:

— — — *τὰ δ' οὔποτε ἴς ἀνέμοιο*
σφῶν ἀπὸ νόσφι βαλέσθαι ἐπισθένει· — —

etsi minime spreverim *σφέων* aliorum usu sancitum, cf. Hom. Od. 20, 348. 24, 381. Apoll. Arg. I, 980. III, 230. At vero nemo desiderabit *ἐπὶ* omissam, qua vulgo caret noster, vid. III, 336. XI, 257. sq.

— — *εἰ μή σφιν ἀπ' Οὐλύμποιο Κρονίων*
ἤρκεσε τειρομένοισι, — — —

et VI, 547.

ἤρκεσε γάρ οἱ πῆμα σάκος μέγα τετραβόειον.

Cui propemodum respondet Homeri Odyssea 4, 292.

— *οὐ γάρ οἵ τι τάγ' ἤρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον.*

Saepius etiam ad casum praesentem restringitur illa dictio. Exemplo est Hom. Il. 15, 534.

ὅς οἱ καὶ τότε παιδὸς ἀπὸ χροὸς ἤρκεσ' ὄλεθρον.

et ib. 6, 16.

ἀλλά οἱ οὔ τις τῶνγε τότ' ἤρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον —.

Quae quum proxime ad nostra accedant, Quintum dedisse suspicor:

ἀλλ' οὔ σφιν τότε πῆμα θαλάσσια ἤρκεσεν ἔργα.

Nam opus quoque marinum, quo artem piscandi significat, Homero debemus, cf. Il. 2, 614. Od. 5, 67. Cui sententiae eo plus ponderis erit, quod verbo *ἐπαρκεῖν* dativus personae plerumque sufficit, vid. posthom. I, 712. VI, 386. XI, 392., quanquam plenum atque integrum semel bisve Homerus comprehendit, sicut Il. 2, 873.

νήπιος· οὐδέ τί οἱ τόγ' ἐπήρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον·

cf. Od. 17, 568. Apoll. Arg. II, 116. Illa autem caesorum prudentia tribus continetur: etenim pisces et hamo fallebant, et retibus capiebant, et tridente perfodiebant. Melius ergo singula distinxit latinus interpres Pauwio, qui illum iniuste vituperat, et hunc verborum ordinem esse arbitratur: *βαλεῖν δὲ καὶ παλάμῃσι περιφραδέως ἀπὸ νηὸς εἰς ἅλα δίκτυα.* Tum Koechlys in emendat. p. 243., quod et epitheton nimio a nomine distet intervallo, neque pro adverbio bene accipiatur, *αἰνοῦ ὑπ' ἀγκίστροιο* corrigit. Haud assentior, dolus enim piscibus funestus iure nominabitur *αἰνὸς*, sicut equus ab Epeo exstructus *δόλον αἰνὸν* attulit Troianis, Laocoonte teste XII, 392.

φῆ δόλον ἔμμεναι αἰνὸν ὑπ' ἐννεσίῃσιν Ἀχαιῶν· —

Nec ferendus videtur hiatus, quem Hermannus ad Orphic. p. 747. et 808. vel *οἱ* interiecto vel scribendo: *βαλεῖν δ' εἴσω ἅλα δῖαν* erat expulsurus. Equidem in particula altera, cuius exigua potest esse vis, *τάχα*, Quinto familiare, absconditum latere crediderim. Ubi enim *βαλεῖν δὲ τάχ' εἰς ἅλα δῖαν δίκτυα* rescripseris, tridenti habili manu recte et celeriter emisso commode obiicientur retia cito ponto immersa. Aliqua ex parte comparare licet VI, 462.

— — *τάχα δ' ἔνθορε δυςμενέεσσιν*
χερσὶ θοῇσιν ἄκοντα τανυγλώχινα τινάσσων.

Ulixes duos Troianorum socios, Aenum et *Polyindum*, alterum hasta, alterum ense traiicit XI, 79. sqq.

αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Αἶνον' ἐνήρατο καὶ Πολύϊνδον,
ἄμφω Κητείους· τὸν δούρατι, τὸν δ' ἀλεγεινῷ
ἄορι δηώσας· — — — —

Neutrum horum satis emendate ac pure protulit Tychsenius. Ac priori quidem, quod ab adiectivo *αἰνὸς* originem ducere Aenus Thraciae urbs ostendit, operarum magis negligentia quam editoris voluntate apostrophus, cuius nullum alibi exstat vestigium, videtur adhaerescere; posterius, ne quis *Indos*, gratos admodum et acceptos plerisque, Quintum putet respexisse, vitiosius etiam scribi erit admonendum. Ceteos enim illos, ut Eurypyli commilitones, corporis robore pariter ac belli scientia excellere valde probabilis est coniectura. Inde alterum quasi *Horribilem*, alterum *Multiscium* Quintus vocavit, dum belli prudentiae, quam variam et multiplicem fuisse Hector homericus exponit Il. 7, 237. sqq., idem fere tribuit, quod vatibus et auguribus solet impertiri; testis est Homer. Il. 5, 148.

— — *ὃ δ' Ἄβαντα μετῴχετο καὶ Πολύϊδον*
υἱέας Εὐρυδάμαντος, ὀνειροπόλοιο γέροντος·

cf. 13, 663. sqq.

Corycii antri prodigium copiose illustrat Quintus XI, 93. sq.

πέτρην δ' Ἡφαίστοιο περίφρονος, ἥτε βροτοῖσι
θαῦμα πέλει· δὴ γάρ μιν ἐναίθεται ἀκάματον πῦρ,
ἄσβεστον νυκτός τε καὶ ἤματος· ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
φοίνικες θαλέουσι, φέρουσι δ' ἀπείρονα καρπὸν,
ῥίζης καιομένης ἅμα λάεσιν· ἀλλὰ τὸ μέν που
ἀθάνατοι τεύξαντο καὶ ἐσσομένοισιν ἰδέσθαι.

Struvius rupi candenti *πυρίφλογον* aptius habet, l. all. p. 3. Nec vero opus est, quod totam rem uberius ac plenius describit postea, Vulcanus autem ab Homero inde propter eximiam artis scientiam eius generis nominibus ornatur, cf. posthomer. I, 550. II, 138. 440. III, 738. V, 98. XIV, 50.

Deinde verbo *ἐναίθεται*, quod Passovius temere neglexit, dativus apponatur necesse est: *δὴ γάρ οἱ ἐναίθεται*, denique v. 97. *τὰ μέν που* e perpetua fere poetae consuetudine esse reducendum supra dixi p. 86.

Menoeten, Hippomedonte natum, Teucer sagitta cordi infixa prosternit XI, 99. sqq.

Τεῦκρος δ' Ἱππομέδοντος ἀμύμονος υἷα Μενοίτην
ἐσσυμένως ὥρμαινε βαλεῖν ἐπιόντα βελέμνῳ·
καί ῥα νόῳ καὶ χερσὶ καὶ ὄμμασιν ἰθύνεσκεν
ἰὸν ἀπὸ γναμπτοῖο κεράατος· ὃς δ' ἀλεγεινός
ἆλτο θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἐς ἀνέρα· τῷ δ' ἀπὸ νευρὴ
εἰσέτι που κανάχιζεν· ὁ δ' ἀντίος ἀσπαίρεσκεν
βλήμενος, — — — —.

Numerorum inopiae in v. 102. clausula conspicuae providit Rhodomannus, particula *δὲ*, quae abest ab Aldina aliisque, inserta, eam vero in eiusmodi sententiis Quinto admodum familiarem esse docent exempla a Koechlye in emend. p. 253. ad XII, 476. collecta. Tum Struvius l. all. p. 4. *ἀλεγεινὸν* non sine caussa praestabilius habet, saepe enim committitur cum verbo instante, sicut infra v. 146.

ἀργαλέοις σφήκεσσιν ἐοικότες, οἵ τ' ἀλεγεινὸν
ἐκ θυμοῦ κοτέοντες ἐπιβρίσωσι μελίσσαις,

vid. XIV, 35. 572. 643. ac pluralem VII, 329. X, 173. XIV, 484. Nec proxima apto satis vinculo iuncta tenentur, unde Struvius *τῷ δ' ἐπὶ ν.*, Rhodomannus *τοῦ δ' ἀπὸ ν.* restituendum iudicat. Horum alterum, quod sagitta nervo demum emissa, neque ei imposita, reddit stridorem, et rei ratio et poetae usus, vid. 464. et ad X, 231. p. 240. adscripta, confirmare videntur. Neque *ἀπὸ* ter repetita molestiam creabit ei, qui poetarum epicorum copiam et ubertatem novit, quae idem bis inculcare amat, vid. Hesiod. op. et d. 742. sq.

μηδ' ἀπὸ πεντόζοιο θεῶν ἐνὶ δαιτὶ θαλείῃ
αὖον ἀπὸ χλωροῦ τάμνειν αἴθωνι σιδήρῳ.

Add. Quint. III, 218. sq. XII, 136. sq. Apollon. Arg. III, 1017. sq. Nicand. Th. 404. sq. 918. sq., apud quem in altero certe versu *ἄπο*, quod verbo praecedente *βάλοις* suspensa est, tenore inclinato scribatur oportet.

Euryalus lapidis ingentis incussu Meletis Troiani caput una cum casside frangit XI, 119. sq.

— — τῷ δ' οὐχ ἅλιον φέρε δαίμων,
ἀλλ' ἄρα σὺν πήληκι κάρη κρατεροῖο Μέλητος
θλάσσε περὶ πληγῇσι· μόρος δ' ἐκίχανεν ἀρητός.

Saxa vi et gravitate immissa adversariorum arma atque ossa solent perrumpere, et eius rei proprium est nostrum, cf. Hom. Il. 5, 307. 12, 384. Quint. posth. III, 333. VIII, 94. XI, 488. Minus autem, quid sit περὶ πληγῇσιν, intelligitur, et in eo haeret Struvius. Lapidis igitur pondere quum Meletis caput obtritum dicatur, fortasse θλ. ὑπὸ πληγῇσιν legendum est, quo plagarum effectus vulgo describitur, cf. IV, 485. V, 279. VI, 265. Adest quidem simplex numerus, quem res sibi exposcat, VIII, 332., verum capite galeaque discussis ictus ab omni parte ingestus quasi multiplicatur. Insuper ἀρητός vox rara et exquisita Rhodomauno pariter ac Dorvillio in vann. crit. p. 388. sq. displicet. At nihil intempestive et inconsiderate novaverim, praesertim quum de ea iam veteres varie admodum senserint, vid. annot. ad Hom. Il. 17, 37.

Singulis singulorum caedibus enarratis, immensum pugnae tumultum animorumque ardorem poeta paucis complectitur XI, 126. sqq.

— — — κανάχησε δὲ τεύχη
ἄσπετον, ἀμφὶ δὲ γαῖα μέγ' ἔβραχεν· οἱ δὲ κυδοιμοῦ
ἀργαλέου μνώοντο μετὰ σφίσι πῆμα τιθέντες.

Postrema ab Homero mutuatus est Quintus; etenim ille de Ulixe ab infestis Troum cohortibus circumvento Il. 11, 413.

ἔλσαν δ' ἐν μέσσοισι μετὰ σφίσι πῆμα τιθέντες.

Quae etsi non uno modo accipi possunt, pronomen tamen tenore erigendum esse omnes consentiunt. Neque alia ratio obtinet apud Quintum, nam mutuam perniciem sibi inferre utriusque populi exercitum manifestum est. Reddamus igitur poetae μετὰ σφίσι π. τιθ., a quo Tychsenius demum casu, ut opinor, deflexit.

Iam Eurymachus et Aeneas Apollinis admonitu ad rem strenue gerendam accenduntur, novoque robore dei beneficio

implentur XI, 142. sqq.

ὣς εἰπὼν ἀνέμοισι μίγη, καὶ ἄϊστος ἐτύχθη·
οἱ δὲ νόῳ φράσσαντο θεοῦ μένος· αἶψα δ' ἄρ' αὐτοῖς
θάρσος ἀπειρέσιον κατεχεύετο· — —

Invito iterum auctore novissimam editionem occupavit κατεχεύετο: aoristum enim κατεχεύατο, in quo priores conspirant, paene necessarium esse IV, 234. 245. VIII, 208. XIV, 26. probant. Aeneas vero et Eurymachus quomodo mente perceperint θεοῦ μένος, vix assequere. Nam nec voluntatem nec robur Apollinis animo persentiscere poterant Troum principes. At quum deus eo, quod diuturna vita utrique fato sit constituta, ad opus sedulo faciendum illos esset exhortatus, verba ista et memoriae mandarunt et insolita pugnandi cupiditate incaluerunt Aeneas et Eurymachus. Quare crediderim emendandum esse: οἱ δὲ νόῳ φράσσαντο θεοῦ ἔπος· sicut Homeri Achilles Minervae, ut iracundiae ponat modum, admonenti respondet in Il. 1, 216.

χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε, θεά, ἔπος εἰρύσσασθαι.

Nec minus Apollo Peliden voce minisque a belli labore deterret apud Quintum III, 38.

— — — — ὄφρ' Ἀχιλῆα
τρέψῃ ἀπὸ πτολέμοιο θεοῦ ὄπα ταρβήσαντα —.

Is vero dei clamore nihil commotus dicitur v. 43.

— — ὁ δ' ἄρ' οὔτι θεοῦ τρέσεν ἄμβροτον αὐδήν.

Simile quiddam Aiaci utrique evenit apud Homerum; quos Neptunus, Calchantis auguris specie indutus, consolatur et meliora iubet sperare in Il. 13, 43. sqq. Illic deum abeuntem primus agnoscit Oilei filius, idque Telamonio eloquitur hisce:

Αἴαν· ἐπεί τις νῶϊ θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
μάντεϊ εἰδόμενος κέλεται παρὰ νηυσὶ μάχεσθαι —.

Ea Quintum respexisse probabiliter statuemus; proinde Eurymachum et Aeneam non minus quam Aiacem dei monita et animo condidisse, et fide habita maiore virtute hostibus instare credibile est.

Audacia igitur aucta et fortitudinis aestu quasi abrepti tanta in Argivos irrumpunt ira, quanta vespae tempore auctumni involant in apes XI, 148. sq.

εὖτε περὶ σταφυλῆς αὐανομένης ἐν ὀπώρῃ
ἐρχομένας ἐσίδωσιν ἢ ἐκ σίμβλοιο θορούσας.

Vespis acres cum apibus auctumni potissimum tempore esse inimicitias norunt rerum harum gnari. Quapropter uvas tostas, quarum dulcedine vespae apesque alliciuntur, in alia etiam similitudine commemoravit poeta X, 114. sq.

ὡς δ' ὅτ' ἐν οἰνοπέδῳ τις ἐπαΐσσοντας ὀπώρῃ
σφῆκας τερσομένῃσι παρὰ σταφυλῇσι δαμάσσῃ,

ubi τερσομένῃσι περὶ στ. rescribendum esse priora indicant, quandoquidem vespae uvas circumvolitantes, neque ab iis remotae, occiduntur. Illic autem verbo una litterula surrepta est, a Rhodomanno iam addita. Mirum igitur est, quod Tychsenius et eius praeceptum neglexit, et perpetui Quinti usus oblitus est, vid. IV, 442. VII, 411. X, 278. et compositum I, 66. XII, 129. 516.

Paucis interpositis effusa Achivorum fuga, qua Apollinis animus delectatur, nova a re rustica sumpta similitudine illustratur, cuius exordium XI, 171. sqq. proficiscitur ab hisce:

ὡς δ' ὅτε τις σιάλοισιν ἀνὴρ ἐς λήϊον αὖον
ἐρχομένοις, πρὶν ἄμαλλαν ὑπ' ἀμητῆρσι δαμῆναι,
ἀντί' ἐπισσεύῃ κρατεροὺς κύνας, οἱ δ' ὁρόωντες
ἐσσυμένως τρομέουσι, καὶ οὐκέτι μέμβλεται αὐτοῖς
εἴδατος, ἀλλὰ τρέπουσιν ἀνιηρὴν ἐπὶ φύζαν —.

Versu autem 173., quod cum canibus iunctum malles, suibus datur, unde cum Struvio l. all. p. 4. ἐσσυμένους τρομ. vulgari anteponendum duxerim. Neque adverbio alibi in numerorum gratiam recepto, velut XII, 582., hic opus est. Metro enim permittente id ipsum, quod Struvio probatur, aptius habetur, vid. VII, 488. et nostris propemodum ad verbum congrua IX, 270.

ἠΰτε κῦμ' ἀλεγεινὸν ἐπεσσύμενον τρομέουσι
ναῦται, — — — —.

Dum Troiani acriter instant fugientium tergis, unus ex Achivis equi citato gressu avolantis cursum inhibet, ut hostibus obviam factus pugnam redintegret. Quo cognito Agenor approperans securi eius brachium recidit, tum moribundus per

equi colla ad terram defluit, manus autem, sicut erat, habenis implicata haeret XI, 193. sqq.

ἀμφεχύθη δ' ἵπποιο κατ' αὐχένος· αἶψα δ' ἄρ' αὐτὸς
κάππεσεν ἀμφὶ νέκυς· λεῖπεν δ' ἄρα χεῖρα κραταιὴν
στεῤῥὸν ἔτ' ἐμπεφυυῖαν ἐϋγνάμπτοισι χαλινοῖς.

Quartum nec primum casum esse νεκύς p. 105. sq. dixi, idemque sensit Koechlys in emendat. p. 244. Hic vero, quod tertius aliquanto saepius obtineat, et insequentia audacius mutaverit Tychsenius, singula paullo aliter constituenda putat, ita quidem:

κάππεσεν ἀμφὶ νέκυσσι· λίπεν δ' ἄρα χεῖρα κρεμαστὴν
στεῤῥὸν ἔτ' ἐκπεφυυῖαν ἐϋγνάμπτοιο χαλινοῦ.

Fuit enim in Aldina χείρας κέκραται. Sed obiici poterit, χεῖρα κρεμαστὴν epicorum elegantia esse alienam, κραταιὴν autem iam ab Rhodomanno repertam quatuor Tychsenii libros offerre, denique id, quod emendando quaeritur, apertius indicari v. 197. Postea casus secundus, qui et editorum et scriptorum consensu erat propagatus, Rhodomannum impulit, ut tentaret ἐκπεφυυῖαν. Manum vero loris potius illigatam fuisse, quam ex iis excrevisse nemo facile negabit. Quapropter Pauwius, Homeri et epicorum sermone inductus, ἐϋγνάμπτῳ τε χαλινῷ vel ἐϋγνάμπτοισι χαλινοῖς attulit. Ultimum horum Tychsenius adoptavit, neque id in gravi ac multiplici posthomericorum corrupteta repudiaverim, quippe qui sciam verbum et aptissimum et usitatissimum esse; velut redit infra de Aeneae puerulo patris manui inhaerescente XIII, 323.

— — — — ὃς δ' ὑπ' ἀνάγκης
ἐκρέματ' ἐμπεφυὼς ἀταλὸς πάϊς, — —

add. Hom. Il. 1, 513. 8, 84. Oppian. Hal. II, 63. 312. 315. 342. IV, 260. 473. V, 596. Cyneg. II, 283.

Manum sanguine conspersam frenisque involutam hostibus terrorem iniecisse poeta testatur XI, 196. sqq.

οἷά ποτε ζώοντος ἔην· μέγα δ' ἔπλετο θαῦμα
οὕνεκα δὴ ῥυτῆρος ἀπεκρέμαθ' αἱματόεσσα

Ἄρεος ἐννεσίῃσι φόβον δηΐοισι φέρουσα·
φαίης κεν χατέουσαν ἔθ' ἱππασίῃ πονέεσθαι.

Manus equis regendis iam non erat occupata; melius ergo nomine ad prius relato leges: *φ. κ. χατέουσαν ἔθ' ἱππασίης που.* Similiter Deiphobus bellandi avidus, Neoptolemo adveniente, gradum inhibuisse dicitur IX, 234.

δὴ τότε Δηΐφοβος, μάλα περ χατέων πολέμοιο,
ἔστη, — — — — —

add. XIII, 45. Apoll. Arg. I, 837. II, 316. III, 84. Manum enim equorum regiminis etiam tum indigentem quasi laborare poeta fingit. Vulgare insuper repugnat Quinti sermoni, ex quo *πονέεσθαι* bello vel alii rei operam dare significat, vid. I, 137. 215. 451. II, 483. et alibi. Sed *πονέεσθαί τινι* vel aliud quid denotat, vel raro admodum valet idem, vid. Passov. lex. s. h. v.

Turpem Graecorum fugam Neoptolemus tandem sistit et suos increpando et hostes caedendo. Hi iam repulsi cum fluctibus Boreae procella exasperatis, sed adverso venti alius afflatu a littore deiectis conferuntur XI, 227. sqq.

— — — *οἱ δ' ἀπιόντες*
χάζοντ', ἠΰτε κύματ' ἄτ' ἐκ Βορέαο θυέλλης
πόλλ' ἐπιπαφλάζοντα κυλίνδεται αἰγιαλοῖσιν,
ὀρνύμεν' ἐκ πόντοιο, τὰ δ' ἔκποθεν ἄλλος ἀήτης
ἄντιος ἀΐξας, μεγάλῳ περὶ λαίλαπι θύων,
ὤσῃ ἀπ' ἠϊόνων, Βορέου ἔτι βαιὸν ἀέντος.

Moram, quae ad metri integritatem v. 228. deerat, Rhodomannus ita adiecit, ut inter *κύματ' ἐκ Β. ἄτε* insereret, vel *κύμαθ' ὑπὲκ Β.* recipi iuberet. Illud quum Tychsenius probandum existimasset, tenuem male reliquit, spiritu aspero subsequente. Sed pronomen assumptum alio etiam premitur incommodo, fluctus enim, nisi virgula a reliquis separantur, verbo, quo constringantur, carent. Qua de caussa dubitare nolim, quin *ὑπὲκ* illo praestet, idque iudicium comparatio huic nostrae valde similis ratum faciat, vid. XII, 488. sqq.

ἠΰτ' ὄρος λασίῃσιν ἄδην καταειμένον ὕλῃς
ἐσσυμένως καίηται ὑπὲκ πυρὸς ὀρνυμένοιο
ἐξ ἀνέμων, — — — —

nec multum differunt XI, 123. sq. Praeterea novissimo versui insidet dialecti vitium, Ionum enim lex formam tritam admitti vetat, quod discimus ex Homeri Il. 23, 692.

ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ φρικὸς Βορέω ἀναπάλλεται ἰχθύς —

add. 14, 395. Apoll. Arg. II, 288. 308. IV, 1484., immodicam autem librariorum negligentiam angustioribus finibus circumscribunt et codices praestantiores et virorum doctorum sollertia, cf. Wellauerum ad Apoll. II, 288. et Rigler. ad Manethon. apotel. II, 23. Eadem fere macula tollenda est e posthom. XIV, 53.

— — *δεινὸν γὰρ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἀκοίτου*
ἀμφαδὸν εἰσοράασθαι ἐπ' αἴσχεϊ θηλυτέρῃσι·

quod poeta ipse refutat X, 414.

Pulvere excitato campus et aer densis obducuntur tenebris XI, 247. sqq.

καί ῥ' οἱ μὲν πονέοντο· κόνιν δ' ἀκάμαντες ἀῆται
ὦρσαν ἀπειρεσίην· ἤχλυσε δὲ πᾶσαν ὕπερθεν
ἠέρα θεσπεσίην, ὥς τ' ἀπροτίοπτον ὀμίχλην.

Interpres latinus haec liberius reddit: „*at venti indefessi pulverem immensum excitabant; qui tenebris praetexuit superne totum a deo diffusum aera, ac si nebula foret visui impervia.*" Verum haec aera, qui nebula visui impervius dici debebat, spectant. Absonum igitur est vulgare et eius loco vel *ὥςτ' ἀπροτίοπτον ὀμίχλῃ* vel *ὥςτ' ἀπροτίοπτος ὀμίχλη* emendemus necesse est. Tenebrae tam spissae aera obduxerunt, ut velut nebula visui esset impervius aut pulvis nebulae imperviae similis aerem eripuit oculis. Hoc autem satius duxerim, quod *ἀπροτίοπτός τινι* non id significat, quod aliqua re occulitur sive obscuratur, sed quod ab aliquo sive alicuius oculis dispici non potest: ita certe Manetho apotel. II, 18.

μακροῦ δ' αὖ διὰ μέσσου ἐλήλαται οὐρανοῦ ἄξων,
ἀστεμφὴς, ὅσσοισιν ὁρωμένῳ (vulg. *ὁρώμενος*) *ἀπροτίοπτος.*

Neque unquam eiusmodi quiddam, quod supra posuimus, reperire licet, etsi verbo bis praeterea utitur Quintus IX, 417. XIII, 249., semel Oppianus Hal. III, 159. Tenebras vero

ex oculis abstulisse res subiectas produnt adiecta:

οὐδ' ἄρα φαίνετο γαῖα· βροτῶν δ' ἀμάθυνεν ὀπωπάς.

Maiorem his addit fidem pulvis a Quinto nebulae aliquoties comparatus, velut IV, 519.

πουλὺς δ' αἰθέρ' ἵκανε κονίσαλος ἐκ πεδίοιο,
καπνῷ ἢ ὁμίχλῃ ἐναλίγκιος, ἥντ' ἐν ὄρεσσιν
ἀμφιχέῃ πρώνεσσι Νότου μένος ἢ Ζεφύροιο, —.

Nec minus nubes a Iove diffusa nebulae similis dicitur IX, 264. sq.

— — *δνοφερὸν δὲ νέφος καθύπερθε Κρονίων,*
εὖτ' ὁμίχλην, διέχευε· λύθη δ' εἰς ἠέρα μακρήν.

Add. II, 471. sqq. VIII, 444. sqq. Caeterum Homero duce Quintum haec proferre ea poterunt docere, quae ad Il. 3, 10. adscripsi.

Vel tenebris et nebula circumfusi proelium urgent Graeci et Troiani XI, 251. sq.

ἀλλὰ καὶ ὣς μάρναντο· καὶ ἐς χέρας ὅντιν' ἕλοντο
κτεῖνον ἀνηλεγέως, καὶ εἰ μάλα φίλτατος ἦεν·

Recte optativum requirit Struvius l. all. p. 4., *ὅντιν' ἕλοιντο*: quemque enim sibi obvium, nullo adhibito delectu, occidisse traduntur. Ut vero ille modus rei peractae atque enarratae convenit, vid. Hom. Il. 2, 188. 198., ita in praesente aut futuro locus relinquendus erit subiunctivo, sicut in posthom. V, 150.

— — *μέγα δ' ἔσσεται ἄλγος Ἀχαιοῖς,*
κείνων ὅντινα δεινὸς ἕλῃ χόλος· — —

add. I. H. Vossii sched. crit. I. p. 184. sqq.

Tanta rerum necessitate adstricti frustra implorant deorum opem, fato inexorabili omnia ex suo arbitratu regente XI, 272. sqq.

— *Αἶσα γὰρ ἄλλα πολύστονος ὡρμαίνεσκεν·*
ἅζετο δ' οὔτε Ζῆνα πελώριον, οὔτε τιν' ἄλλων
ἀθανάτων· οὐ γάρ τι μετατρέπεται νόος αἰνὸς
κείνης, ὅντινα πρῶτον ἐπ' ἀνδράσι γεινομένοισιν,
ἀνδράσιν ἢ πολίεσσιν ἐπικλώσηται ἀφύκτῳ
νήματι· τῇ δ' ὑπὸ πάντα τὰ μὲν φθινύθει, τὰ δ' ἀέξει.

Immutabili fati lege sive rigida Parcae voluntate mortalium

fortunam constitutam esse nemo ignorat, sed istam sententiam tam mire insolenterque pronuntiatam hic videmus, ut depravati quiddam delitescere manifesto appareat. Sensit fraudem primus Struvius l. all. p. 6., de vers. 274. sqq. ita commentatus: ,,ut ad ipsa Quinti verba redeamus, gravissimum vulnus nullus editorum animadvertisse videtur, quod in in eo inest, quod *ὅντινα*, ad *νόον* relatum, sententiam totius loci turbat. Nam quis unquam dixerit, *Αἶσα ἐπεκλώσατο νόον ἀνθρώποις?* Apertum esse videtur, *deesse substantivum*, *quale est πότμον*, quod ad *ὅντινα* referendum sit.'' Vere haec esse disputata tum res ipsa admonet, tum imago ad hasce deas saepissime traducta. Iam Homerus non uno loco cecinit ea, quae Parcae homini partu edito quasi neverint colo fatali, perferenda et exantlanda esse, velut Il. 20, 126.

— *ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα*
γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Add. 24, 210. Od. 7, 197. sq. Hinc deae ipsae, nomine ab opere deprompto, *Κατακλῶθες* appellantur, verbumque hic lectum Homero iam satis est usitatum. Dicitur autem in utramque partem, fortunamque secundam pariter atque adversam comprehendit. Hanc quidem indicat Od. 16, 64.

— — *ὥς γάρ οἱ ἐπέκλωσεν τάγε δαίμων.*

8, 579. 11, 139. 20, 196. Il. 24, 525., illam describit Od. 3, 208.

ἀλλ' οὔ μοι τοιοῦτον ἐπέκλωσαν θεοὶ ὄλβον,

cf. 4, 208. 1, 17., ubi verbo expressit rem:

τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι
εἰς Ἰθάκην· — — —.

Quintus et ipse medium quiddam, bono maloque mixtum, eo indicavit III, 757. Alibi de calamitate divinitus immissa dici solet, ut XIV, 296.

τέκνον ἐμόν, σοί τ' αἰνὰ καὶ οὐκ ἐπίελπτα καὶ αὐτῇ
ἄλγε' ἐπεκλώσαντο, — — —

add. X, 331. XIII, 235. Quapropter eiusmodi quiddam iure postulat Struvius. Crediderim autem medicinam leni profecto mutatione repertam, ubi dederis:

— οὐ γάρ τι μετατρέπεται μόρος αἰνὸς Κείνης, —

Fatum enim Parcarum voluntate constitutum recte dicemus μόρον, vid. ad VIII, 324. p. 200. sqq. Denique fatum rigidum et horrendum (αἰνὸν) aliquoties vocatur a Quinto, veluti III, 773.

οὐ γάρ μιν μόρος αἰνὸς ὑπὸ ζόφον αἰὲν ἐρύξει,

cll. I, 682. II, 412. XIII, 260., νόον αἰνὸν in posthomericis me legisse haud memini. Quod autem postea fatum viris aut urbibus destinatum commemoratur, id novum et inauditum esse plerique animadverterunt. Nec lectio certa satis est et explorata, Aldina enim offert:

— ὅντινα πρῶτον μετ' ἀνδράσι γεινομένοισιν
ἀνδράσιν ἐν πολέεσσιν ἐπ. ἀ.

Iam Rhodomannus versui priori parum idonea admoturus erat remedia, nec Struvio placet ἐπ' ἀνδράσι, quod parum verisimile sit, μετ' ἀνδρ. contra metrum a librariis mutatum esse. At isti Pauwii coniecturae duo Tychsenii libri opem ferunt. Tum posteriora, quemadmodum hodie leguntur, Rhodomannus constituit, et urbibus quoque sua esse fata Dausqueus demonstrare studuit. At urbibus hic locum esse relictum Struvius negat, et quo maior vis sit nomini repetito, in vulgari hominum epitheten absconditum latere suspicatur. Tale quid iam Pauwio in mentem venit, etsi ab eo, quod bene inchoaverat, turpiter aberrans proposuerit:

— — ἐπ' ἀνδράσι γεινομένοισιν
ἀδρανέσιν, πολίεσσι τ' ἐπικλ. ἀφ.

Equidem, quum homines ignorantes in sua ruant fata, emendandum putaverim:

— — ὅντινα πρῶτον ἐπ' ἀνδράσι γεινομένοισιν
ἀνδράσιν ἀφραδέεσσιν ἐπικλώσηται ἀφύκτῳ
νήματι, — — — —.

Neque id incognitum fuisse epicis et Quintus probat II, 449.

ἀλλὰ τί νηπιάχοισιν ἐοικότες ἀφραδέεσσιν
ἱστάμεν, — — — —

et Homerus testificatur Od. 11, 475. sq.

πῶς ἔτλης, Ἄϊδόςδε κατελθέμεν, ἔνθα τε νεκροὶ
ἀφραδέες ναίουσι, βροτῶν εἴδωλα καμόντων,

add. hymn. hom. in Ap. 192.

— — — — ἀνθρώπων
τλημοσύνας, ὅσ' ἔχοντες ὑπ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ζώουσ' ἀφραδέες καὶ ἀμήχανοι, — —.

Nolim plura enumerare, etsi e gnomicis potissimum poetis, de inani vanaque hominum futurorum insciorum cupiditate et contentione irascentibus, exemplorum multitudinem liceat apponere.

Certamine ancipiti et dubio conflictati Palladis favore tandem evadunt superiores Achivi XI, 283. sqq.

ἀλλ' ὅτε δὴ πολλοὶ μὲν ἀπέφθιθεν ἐν κονίῃσι,
δὴ τότ' ἐπ' Ἀργείοισιν ὑπέρτερον ὤρνυτο θάρσος
Παλλάδος ἐννεσίῃσι δαΐφρονος, ἥ ῥα μολοῦσα
ὑσμίνης ἄγχιστα μετ' Ἀργείοισιν ἄμυνεν
ἐκπέρσαι μεμαυῖα κλυτὴν Πριάμοιο πόληα.

Versus secundi exordium, de quo una syllaba erat detracta, editores vario modo numeris accommodatum voluerunt. Ac Rhodomannus quidem δὴ τότε δ' Ἀργ. annotavit, a Pauwio iure reiectum, hic autem hiatu nihil deterritus vel δὴ τότε Ἀργ. vel δὴ τότ' ἐπ' Ἀργ., Tychsenio gratum et acceptum, procudit. Id Struvius caussa, qua impulsus ita sentiret, omissa l. all. p. 6. ineptum habet. Nec vituperaverim, quod ἐπὶ, cum verbo subsequente conflandum, ambiguitatem quandam prae se fert. Minus enim liquet, utrum Minerva Argivis praevalentem audaciam iniecerit, an alios maiore fortitudine contra Graecos expromenda instruxerit. Quare si ἐπὶ germanum est, certe Ἀργείων, quo ambiguitas illa evanesceret, adoptandum erat, ut factum videmus II, 48.

— δεινὸν γὰρ ἐπὶ σθένος ὦρνυτ' Ἀχαιῶν.

Sin autem illud numeri ab aditu prohibent, alio quodam complemento defectum resarciendum fuisse sequitur; id, quod priorum sagacitatem elusit, feliciter reperit Struvius, dum δὴ τότ' ἄρ' Ἀργείοισιν suasit. Cui quidem eo libentius locum concedamus, quo facilius exteri poterat. Ad verbum fere cum nostris conveniunt VII, 707. sq.

ἀλλ' ὅτε δὴ δόρποιο καὶ εἰλαπίνης κορέσαντο,

δὴ τότ' ἄρ' Αἰακίδαο θρασύφρονος ὄβριμος υἱὸς
ἀνστὰς ἐκ δόρποιο ποτὶ κλισίην ἀφίκανεν —.

Hinc vereor, ut fulcro apto et tuto nitatur VI, 500. apud Tychsenium:

ἀλλ' ὅτε δὴ μάλα πολλοὶ ἐνεπλήσαντο κελαινὰς
κῆρας ἀν' αἱματόεντα καὶ ἀλγινόεντα κυδοιμόν,
δὴ τότε γ' Ἀργείων πολέες φύγον ἔνδοθι νηῶν —.

Aldinae fuit: δὴ τότε Ἀργ., Hermannus ad Orph. p. 745. δή ῥα τότ' Ἀργ. substituendum putavit. Mihi quidem medela, superioribus admota, ne ab his quidem aliena videtur. Praeterea Koechlys, quod penes Graecos iam victoria est, audacia minus quam robore opus esse censuit, ideoque in emend. p. 244. — ὑπέρτερον ὤρνυτο κάρτος requirit. Neque id inscitum et inelegans habuerim, praesertim si comparaveris V, 108.

— — Ζηνὸς γὰρ ἀάσπετον ὤρνυτο κάρτος·

I, 559.

ὅσσον Ἀμαζόσι κάρτος ἐνὶ στήθεσσιν ὄρωρεν·

II, 335.

ὡς ἐμοὶ οὐκέτι κάρτος ἐνὶ στήθεσσιν ὄρωρεν —.

In transcursu autem alia quaedam, quae proxime spectant ad illud verbum, hic attingam. Primum augmentum haud temere praefigi imperfecto in mant. observat. in Quint. p. 246. admonui, tum VI, 328.

τῶν δ' ἄρα νισσομένων πολὺς αἰθέρα δοῦπος ὀρώρει

frustra et perverse defendi a Pauwio. Nihil enim suppeditat Quintus, quo ista muniamus. Exquisitae autem Rhodomanni coniecturae ἵκανε fidem conciliant IV, 518. V, 492.

καί σφιν ὀδυρομένοις γόος αἰθέρα δῖον ἵκανεν.

Denique etsi loci adverbia minus accurate distinguuntur, offendet tamen VII, 474.

οἴμησεν δ' ἄρα πρῶτον, ὅπῃ μάλα δῆρις ὀρώρει
ἂμ πεδίον· — — — —

collatus cum V, 305.

ἀμφ' ἄλλῃσι φάλαγξι πονεύμενος, οὐ περὶ νεκρῷ
ἀντιθέου Ἀχιλῆος, ὅπου μάλα δῆρις ὀρώρει.

Ut vero ad versus, qui in manibus sunt, redeamus, in eorum

paenultimo, Struvio praecipiente, scribatur oportet:

— — — μέγ' Ἀργείοισιν ἄμυνεν.

Quod quidem non e perpetua nostri fiet consuetudine, sed paucis certe exemplis commendatur, ut IX, 19.

— — — μέγ' Ἀργείοισιν ἀρήγεις.

In vulgari autem nemo feret praepositionem, nullo alio nomine subsequente intolerabilem. Contrarium obtinet VI, 552.

— — — κίεν δ' ὅγ' ἐς Ἴλιον ἱρὴν
Τρωσὶν ἀρηξέμεναι μετ' ἀμύμονος Ἀστεροπαίου.

Alias tertium casum isti verbo constanter adiungi indicio sunt VIII, 239. 258. IX, 291. X, 25. XI, 295.

Argivis iam haud dubie victoribus Troes terga vertunt repetuntque urbem XI, 298. sq.

Τρῶες δ' οὐκέτ' ἔμιμνον ἀνὰ στόμα δηϊότητος,

et paullo post 316. sq.

παῦροι δὲ προφυγόντες ἀνηλέα δηϊότητα
δῦσαν ἀνὰ πτολίεθρον, ἀλευάμενοι βαρὺ πῆμα.

Forte fortuna omnibus, quas vidi, editionibus tenoris pravitas relicta est. Nam quum δηϊοτὴς e trito grammaticorum praecepto sit oxytonum, neque unquam aliter efferatur apud Quintum, vid. I, 255. II, 580. VII, 668. XI, 27. XIII, 142. cll. I, 194. 419. 467. 813. II, 72. 481. VII, 106. IX, 124., paenultimae circumflexum fuisse imponendum apparet. Si quis autem Alexandrinorum magistrorum fuit dissensus, de quo vide Göttling. de acc. p. 276. sq. et annot. ad Il. 3, 20., is nihil pertinet ad Quintum.

Postridie Graeci victoriae spe elati ipsos Troiae muros aggrediuntur, aliique duces alias portas student perrumpere. Quibus enarratis XI, 356. sq. adiiciuntur haecce:

πρὸς δὲ ῥόον Σιμόεντος ἔχεν πόνον ἀλγινόεντα
Τεῦκρος ἐϋμμελίης· ἄλλῃ δ' ἔχεν ἄλλον ὀϊζύν.

Haec quidem adumbrata videntur ex Iliad. 13, 2.

τοὺς μὲν ἔα παρὰ τῇσι πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζύν —

et simillima praebet Odyssea 11, 167. 620. sq. 14, 415. sq. Attamen Quintus plerumque invertit rem, ut VII, 36. XI, 428.

— — — κακὴ δ' ἔχε πάντας ὀϊζύς.

IX, 290. XIV, 592.

— — — ὀλοὴ δ' ἔχε πάντας ὀϊζύς.

add. XIV, 81. XIII, 479. Quapropter ad illorum exemplar fortasse restituendum erit:

— — — ἄλλη δ' ἔχεν ἄλλον ὀϊζύς.

Testudine clypeorum facta in muri pinnas enituntur Ulixis milites. Quo de artificio agunt XI, 362. sqq.

φαίης κεν μεγάροιο κατηρεφὲς ἔμμεναι ἕρκος
πυκνόν, ὃ οὔτ' ἀνέμοιο διέρχεται ὑγρὸν ἀέντος
ῥιπὴ ἀπειρεσίη, οὔτ' ἐκ Διὸς ἄσπετος ὄμβρος·
τοῖαι Ἀργείων πεπυκασμέναι ἀμφὶ βοείαις
καρτύναντο φάλαγγες· ἔχον δ' ἕνα θυμὸν ἐς ἀλκὴν
εἰς ἓν ἀρηράμεναι· — — —

Comparationem gratam et venustam inchoavit Homerus Il. 16, 212. sqq., dilatavit et perpolivit Apollonius in Argonaut. II, 1073. sqq. E quo medicina petenda est v. 364.; sicut enim Apollonius l. all. v. 1079. exorditur hisce:

τοίη ἄρ' ὑψόθι νηὸς ἐς ἠέρα κίδνατ' ἀϋτή. —

ita Quinti fuit τοῖαι ἄρ' Ἀργ. Dominatur autem in eius generis similitudinibus particula ista inde ab Homero, cf. Il. 2, 482. 3, 153. 4, 488. 7, 65. alibi. Eam vero male hinc eiectam esse et ipse dudum observavi in mant. observ. in Quint. p. 259. et Struvius admonuit l. all. p. 7. Ad postremum idem corrigit v. 367., quod ad Ulixis socios sint referenda: εἰς ἓν ἀρηράμενοι, a quo non recedit Homeri sermo, vid. Il. 16, 281. una cum annotat., Quinti posthom. IX, 546. XI, 376.

In acri utriusque aciei concursu tela alia clypeis infixa haerent, alia terrae, alia nequidquam iactata procul avolant XI, 369. sqq.

— — — — πολλὰ δὲ δοῦρα
καὶ βέλεα στονόεντα καὶ ἀλγινόεντες ἄκοντες
πήγνυντ' ἐν σακέεσσι, τὰ δ' ἐν χθονί, ἄλλα δ' ἄπωθεν
μαψιδίως φορέοντο περιγναμφθέντα βελέμνοις,
πάντοθε βαλλομένων. — — —

Haec iterum Homeri ex fontibus emanarunt, cf. Il. 11, 573.

15, 316. sqq. Augmentum vero, quo homerica amplificavit Quintus, vitiatum putat Koechlys in emendat. p. 246. Nam quum βέλεμνα non telorum acies, sed ipsa sint missilia, βελέμνοις περιγναμφθέντα βέλεα recte dici negat. Iccirco hastas et sagittas clypeis repercussas esse ratus, περιγναμφθέντα βοείαις scribi iubet, affertque in eius rei testimonium tum Homer. Iliad. 3, 349. 17, 44. tum Quint. II, 529.

αἰχμαὶ ἀνεγνάμφθησαν ἐν ἀσπίσιν· — —

Sed haec, ut ingenue fatear, mihi minus satisfaciunt, quippe qui videam, idem propemodum inesse in superioribus, nec tela clypeis inhaerentia alio procul aberrare potuisse; denique spicula βοείαις περιγναμφθέντα vix vertas repercussa a clypeis. Hisce impulsus caussis ad id, quod poeta probabiliter erat dicturus, nominativum aptius casurum putabam et emendaturus eram:

— — — ἄλλα δ' ἄπωθεν
μαψιδίως φορέοντο περιγναμφθέντα βέλεμνα.

Sed re iterum deliberata, ne isto quidem artificio opus esse crediderim. Telis enim ab una parte emissis adversariorum tela occurrerunt, iisque circumacta sive περιγναμφθέντα longius aberrarunt a scopo proposito. Quod ut clarius pateret, poeta ipse adiecit: πάντοθε βαλλομένων. Bene igitur suo munere fungitur interpres latinus, dum transfert: „*multaque procul incassum ferebantur spiculis circumflexa, quum ex omni parte iacerent.*“ Spiculis ergo obviis circumflexa procul avolarunt, nec quidquam effecerunt.

Aeneas lapidibus crebris obruit Ithacenses, eorumque ordines testudine rupta confundit, sicut Iupiter saxis e montis cacumine fulgure et tonitru discussis pastores implet terrore XI, 401. sqq.

ὡς δ' ὅτ' ἐν οὔρεσι πρῶνας Ὀλύμπιος οὐρανόθι Ζεὺς
ἀμφὶ μιῇ κορυφῇ συναρηρότας ἄλλυδις ἄλλον
ῥήξῃ ὑπὸ βρόντῃσι καὶ αἰθαλόεντι κεραυνῷ,
ἀμφὶ δὲ μηλονόμοι τε καὶ ἄλλ' ὅσα πάντα φέβονται,
ὣς ἄρ' Ἀχαιῶν υἷες ὑπέτρεσαν, — —.

Nemo editorum v. 404. difficultatem sensit, cumque Rhodomannus reddidit: „*passimque ovium magistri et caetera*

cuncta fugitant." Verum enim vero interpretationi ei obsistit *ὅσα*, quod quidem in enuntiatione relativa duobus illis postponi solet, vid. V, 635. XII, 6., et similia II, 663. VII, 55., at medium et inter utrumque interiectum videtur inexplicabile. Quare ulceris quiddam subesse sagaciter animadverterunt Struvius et Koechlys. E quibus ille l. all. p. 7. *καὶ ἄλσεα π. φέβονται* tentavit, hic autem ovium pastoribus vel aliorum pecorum magistros vel alia certe animalia opponi debere ratus medelam aliquanto disparem excogitavit. Nec negari poterit, omnium silvarum trepidatione rem nimis exaggerari, id quod a Quinti usu et consuetudine alienum erit habendum. Nam supra II, 383. sq. ad saxum Iovis fulgure a monte revulsum oves, boves et alia, quae illic pascuntur, animalia expavescunt, et paullo ante Ulixis socii, Aeneae lapide obruti, similes iudicantur capellis rupe a monte resoluto oppressis, dum reliquae, quae in vicinia pascuntur, valde trepidant v. 396. sqq.

— — — — *εὖτ' ἐν ὄρεσσι*
φερβομένας ὑπὸ πρῶνα βίῃ κρημνοῖο ῥαγέντος
αἶγας· ὑποτρομέουσι δ' ὅσαι σχεδὸν ἀμφινέμονται.

Inconsideratius enim, ut opinor, *ὅσοι* de Rhodomanni sententia recepit Tychsenius, quandoquidem non rustici accolentes, sed capellae in earum, quae ruina sepultae sunt, societate pascentes dici videntur. Ea si ad nostra transtuleris, nomen parum accommodatum a Struvio inferri iam perspiciemus. Laudandus igitur est Koechlys, qui vi oppositorum bene intellecta in emendat. p. 246. aliam nostris applicat medelam, dum Quinti fuisse putat:

ἀμφὶ δὲ μηλονόμοι τε καὶ αἰπόλοι αἰνὰ φέβονται.

Sed ut dicam, quid sentiam, neque *αἰπόλοι*, alias Quinto ignoti, neque *αἰνὰ*, quod lamentationibus quidem, clamori et eius generis rebus aptum est, timori vel fugae minus convenit, magnopere arrident. Si quid autem eius simile revera dederit poeta, propius accedant ad vulgo tradita:

ἀμφὶ δὲ μηλονόμοι τε καὶ οἰοπόλοι (αἰγοβόται) φοβέονται.

Verum neutrum horum multo melius est iis, quae Koechlys

exprompsit. Nam et nomina sunt rara, et ab usitatis longius distant, denique ad immensum saxi demissi pondus clarius significandum, *πάντα*, dummodo fieri possit, erit retinendum. Quae quum ita sint, plura abesse et unum certe versum librariorum incuria excidisse possis suspicari. Sin autem contrarium statuere mavis, mendum in verbis *ἀλλ' ὅσα* quaerendum esse pro certo affirmaverim. Quibus ut aliquid remedii adhibeam, fortasse haud inepte substituerim: *καὶ ἄγρια πάντα φέβονται.* Nam profecto saxi Iovis fulmine decussi impetus in maius augetur, si non modo ovium pastores, verum omnes ferae ictum eius reformidasse perhibentur. Dicendi autem genus homericum est, vid. Il. 5, 52.

— — — *δίδαξε γὰρ Ἄρτεμις αὐτὴ*
βάλλειν ἄγρια πάντα· — — —

Neque alienam esse ferarum mentionem ab hac nostra imagine alia poetae comprobat similitudo, qua igni et incendio saltus vastante omnes feras angi scripsit VIII, 491.

τῷ δ' ἄρα λευγαλέως ἔνι τείρεται ἄγρια πάντα
Ἡφαίστοιο βίηφι περιστρεφθέντα καθ' ὕλην.

In alia urbis parte Alcimedon Locrus, clypeo capiti superiniecto scalisque admotis in murum escendit XI, 448. sqq.

Ἀλκιμέδων ἐρίθυμος, ἑῷ πίσυνος βασιλῆϊ,
θάρσεΐ τε σφετέρῳ καὶ θαρσαλέῃ νεότητι,
ἐμμεμαὼς πολέμοιο, θοοῖς ἐπιβήσατο ποσσὶ
κλίμακος ὄφρα κέλευθον ἐπὶ πτόλιν ἀνδράσι θείη
λευγαλέην· σφετέρου δὲ καρήατος, ἔμμεναι ἄλκαρ,
ἀσπίδα θεὶς καθύπερθεν ἀνήϊε λυγρὰ κέλευθα,
ἄτρομον ἐνθέμενος κραδίῃ νόον· — —

Alcimedon audacia sua et audaci iuventute fretus in Troiae moenia enititur. Quibus quum unum idemque bis inculcetur, Koechlys in emendat. p. 245. *κάρτεΐ τε σφ.*, vid. v. 184., non male suasit. Versui proximo augmentum verbi perperam abesse in mant. observ. in Quint. p. 247. ipse annotavi. Plus etiam controversiae est de vers. 452., in exemplaribus antiquis manco ac vitioso; nam particula resecta legebatur ita:

— — *σφετέρου καρήατος ἠδὲ καὶ ἄλκαρ* —.

Utrique vulneri opem excogitavit Rhodomannus, cui et Tychsenius adstipulatur et Pauwius credit, sua coniectura, ex qua nihil utilitatis percipimus, posthabita; in mentem enim ei venerat:

— — *σφετέρου κρατός τ' ἔρυμ' ἠδὲ καὶ ἄλ-
καρ* —.

At viam non ita diversam nuper iniit Koechlys, qui, ut Aldinae vestigia magis expressa apparerent, ex Homeri quadam imitatione l. l. p. 247. corrigendum esse arbitratur:

— — *ἕρκος δὲ καρήατος ἠδὲ καὶ ἄλκαρ* —.

Nam poeta non solum Menelai cingulum in Il. 4, 137., sed etiam clypeum ib. 15, 646. *ἕρκος ἀκόντων* appellavit. Sed quum nimia illa redundantia tum Quinti sermo eius rationi obniti videntur. Neutrum quidem poetae nostro insolens est et inauditum, attamen discriminis quiddam inter utrumque intercedit. Etenim *ἕρκος*, quod saepem sive murum proprie significat, duo comprehendit potestate, nec modo id, quod alicui praesidio est, verum etiam propugnaculum adversus impetum hostilem declarat. Prius cadit in Achillem, qui *ἕρκος* sive praesidium Achivorum nominatur III, 435. 449., neque alio modo de muro, quo Graeci navium stationem obsepserant, loquitur poeta VII, 416.

*μαρνάμενοι περὶ τεῖχος, ὅπερ πάρος αὐτοὶ ἔδειμαν,
νηῶν ἔμμεναι ἕρκος, ἐϋσθενέων δ' ἅμα λαῶν
ἐν πολέμῳ·* — — — —

posterius clypeo datur apud Homerum; Quintus ad Aiacem traduxit idem V, 423.

*ἕρκος γὰρ πολέμοιο, δεδουπότος Αἰακίδαο,
μοῦνον ἔτ' ἦν Αἴαντος ἐῢ σθένος·* — —

Atque haec quidem valent de illo, *ἄλκαρ* autem munimentum sive propugnaculum, quo quis ab imminente periculo tutus praestatur, semper fere indicat. Proinde Penthesilea bipennem ab Eride donatam gestat I, 160.

θυμοβόρου πολέμοιο πελώριον ἔμμεναι ἄλκαρ·

cf. II, 11. XII, 22. XIV, 634., ubi muri ab Achaeis exstructi dicuntur

— — *στυγερῆς ἔμεν ἄλκαρ ἀϋτῆς.*

Identidem Aiax, Achilles et Eurypylus III, 565. V, 514. VI, 119. *ἀνίης* sive *πήματος ἄλκαρ* vocantur, illudque praeterea tribuitur avium plumis Philoctetae ulceri applicatis IX, 363., add. ib. 359. *χείματος ἄλκαρ* et Apoll. Arg. II, 1074. *καὶ ὑετοῦ ἔμμεναι ἄλκαρ.* Neve quis obiiciat Homer. Il. 11, 823.

*οὐκέτι, Διογενὲς Πατρόκλεις, ἄλκαρ Ἀχαιῶν
ἔσσεται, ἀλλ' ἐν νηυσὶ μελαίνῃσιν πεσέονται.*

Eo nullum iam Achivis propugnaculum adversus Troianorum impetum reliquum esse Eurypylus significat, sicut apud eundem Tlepolemus negat, Sarpedonem, Lyciorum regem, Troianis fore munimentum Il. 5, 644. Unus tamen superest Quinti locus, quo nomen illud non id, quo quis defenditur, sed id, quo quid consequi possis, sive rei adiumentum designat XII, 49.

*Κάλχας μιν θαύμαζεν, ὅπως ὑπεθήκατ' Ἀχαιοῖς
μῆτιν καὶ δόλον ἐσθλὸν, ὃς Ἀργείοισιν ἔμελλεν
νίκης ἔμμεναι ἄλκαρ, ἀτὰρ μέγα Τρώεσσι πῆμα.*

Sed ne haec quidem Koechlyis prosint coniecturae, certe Homerus idem dicturus bina iungit nomina Il. 4, 137.

μίτρης θ', ἣν ἐφόρει ἔρυμα χροὸς, ἕρκος ἀκόντων.

Quam ob rem vereor, ut viro docto, quae sumpserit, possint concedi. Denique ne structura quidem apte et commode procedit; neque enim, si recte iudico, clypeum impositum capitis *ἄλκαρ* ducit poeta, sed clypeum ab Alcimedonte capiti tradit impositum, ut adversus hostium missilia sit propugnaculum. Secundus ergo casus non pendet a nomine *ἄλκαρ*, sed ab adverbio insequente *καθύπερθε*, id quod, perversitate interpretationis vulgaris notata, acute vidit Rhodomannus, eximium praecepti patronum nactus Valckenarium ad Euripid. Phoeniss. p. 406. sq., qui et alia poetarum exempla plena adiecit manu, et singula scite distinxit. Hisce igitur de caussis Quinti verba a Rhodomanno persanata crediderim. Negligentius autem nominis illius significatus exponere solent lexicographi; ita Passovius vol. I. p. 86. b. in Il. 5, 644. munimentum Troianorum, 11, 826. propugnaculum ab Achivis eo indicari scribit. Nec singula scitius aut disposuerunt aut illustrarunt

thesauri ab Henrico Stephano conditi editores vel Londinenses, vid. vol. I. p. 1822. c., vel Parisienses vol. I. p. 1498. b. c. E quibus Tafelius potissimum nullo neque iudicio neque delectu adhibito diversissima quaeque commiscuit.

Calchas augurio monitus suis auctor est, ut, vi omissa, fraude aliqua et dolo bellum ad exitum perducant XII, 19. sq.

τῷ νῦν μήτι βίῃ πειρώμεϑα Τρώϊον ἄστυ
περσέμεν, ἀλλ' εἴ τίς γε δόλος καὶ μῆτις ἀνύσσῃ.

Censet igitur vates, in calliditate magis quam in armis communis salutis spem ponendam esse. Fontem autem, unde sua hauserit Tychsenius, ignoro, in Aldina enim fuit:

— *ἀλλ' εἴ τί που δόλος ἀνύσσῃ καὶ μῆτις.*

Ea vero Rhodomannus in numeros coegit transponendo:

— *ἀλλ' εἴ πού τι δόλος καὶ μῆτις ἀνύσσῃ.*

In quibus, dummodo *πειρώμεϑα* ex superioribus mente repetieris: *sed tentemus, an forte quid dolus et astutia efficiat*, nihil, quod iure vituperes, relictum putaverim. Consilii enim prudentiam efficacia robori ac fortitudini praestare existimat augur, sicut Homeri Nestor Il. 23, 312. et Quinti Ulixes virtutem, nisi prudentiam sibi comitem adiungat, plus detrimenti quam emolumenti importare iudicant. Si quid autem auctoritatis Tychsenii subest lectioni, haud dubie nobis erit scribendum:

— *ἀλλ' εἰ τίς τε δόλος καὶ μῆτις ἀνύσσῃ.*

Nomen enim utrumque et connectere et sibi invicem opponere licebit, vid. v. 48. 51. et ea, quibus Calchas exorditur v. 9. sqq.

μηκέτι πὰρ τείχεσσιν ἐφεζόμενοι πονέεσϑε,
ἀλλ' ἄλλην τινὰ μῆτιν ἐνὶ φρεσὶ μητιάασϑε
ἢ δόλον, ὅς νήεσσι καὶ ἡμῖν ἔσσετ' ὄνειαρ.

Quibuscum propemodum consentit Apoll. in Arg. III, 781.

τίς δὲ δόλος, τίς μῆτις ἐπίκλοπος ἔσσετ' ἀρωγῆς;

Caeteris obstupescentibus Ulixes egregia, qua pollebat, mentis celeritate ac sollertia explicat augurium et ligneum equum, cuius ope urbs hostilis capienda evertendaque sit, iubet exstrui. Quo audito Calchas Ulixi morem gerendum esse dicit XII, 51. sq.

μηκέτι νῦν δόλον ἄλλον ἐνὶ φρεσὶ μητιάασϑαι,
ὦ φίλοι, ἀλλὰ πίϑεσϑαι ἐϋπτολέμῳ Ὀδυσῆϊ·

Aderant olim imperativi *μητιάασϑε* et *πίϑεσϑε*, quorum loco, ut hiatum declinaret, modum infinitum recepit Rhodomannus, Pauwio frustra obloquente. Ita iam Homerus iungit in Od. 10, 297.

ἔνϑα σὺ μηκέτ' ἔπειτ' ἀπανήνασϑαι ϑεοῦ εὐνήν —.

Verum praeter Rhodomanni mentem *πίϑεσϑαι* proparoxytonum fecit Tychsenius, neque opus est legitimum eius formae tonum pluribus asserere, vide tamen Hom. Il. 7, 282. 293. 13, 726. Od. 17, 21.

ὥστ' ἐπιτειλαμένῳ σημάντορι πάντα πιϑέσϑαι·

quorum simillima reperimus apud Quintum infra v. 103.

— — — *πίϑοντο δέ οἱ μάλα πάντα.*

Fortasse autem priori verbo idem aptius erit tempus, quo in re minus definita et Quintus utitur, vid. I, 725. XI, 62., et Homerus solo fere delectatur, ut Il. 10, 48. 23, 312. Od. 9, 262.

— *οὕτω που Ζεὺς ἤϑελε μητίσασϑαι.*

Quo ex versu meliorum librorum fide nisi praesens eiecerunt viri docti. Ne quid autem dissimulem, vulgari praesidii aliquid ferre et Apollonium in Argon. II, 1278. III, 506. 743. et ipsum Quintum XII, 9. adiiciendum videtur.

Thestorides, ut socii praedictionibus obsequantur, et Iovis omina et dextros avium volatus eas ratas facere breviter commemorat XII, 57. sq.

— — — *παραΐσσουσι δὲ λαοὺς*
δεξιοὶ ὄρνιϑες ταναῇ ὄπι κεκληγόντες.

De singulorum conformatione p. 47. sq. dixi, vitio vel formae vel accentus neglecto, quorum alterum certe abest a versu, nostro admodum cognato, XII, 512.

αὐτόματοι δ' ἄρ' ὀχῆες ἀνωΐγνυντο πυλάων
αἰνὸν κεκλήγοντες· — —

Illud autem natum est e bona Rhodomanni emendatione, qua *κεκλήγοντες* adoptatum voluit, quod Homerus aliquoties agnoscit, vid. Il. 12, 125. 16, 430. 17, 756. 759. Od. 12, 256.

αὐτοῦ δ' εἰνὶ θύρῃσι κατήσθιε κεκλήγοντας.

Sed leniore etiam remedio κεκληγῶτες bis restituas, praesertim quum id alias nostro satisfaciat, cf. I, 198. V, 436. XII, 494. et IX, 307., quo de sinistro augurio Paridi obviam facto perquam similia traduntur. Nec latiores fines eidem posuit Apollonius, vid. Argon. I, 1249. II, 712. 1057. 1103. IV, 876.

τὸν μὲν ἄρ' ἁρπάγδην χάμαδις βάλε κεκληγῶτα.

Agitur illic de Thetide matre, quae Achillem filiolum, ut eum redderet immortalem, ardentibus imposuit flammis; Peleus vero, casu ex somno excussus natumque in igni palpitantem conspicatus, magnum clamorem imprudens emisit. Quo audito Thetis irata puerum e flamma sublatum humi abiecit, Peleique consortio in perpetuum valedixit. E quibus paene coniecerim adverbium tum rei admodum aptum tum Apollonio gratum: τὴν μὲν ἀναρπάγδην χ. β. κ., instaurandum esse, vid. IV, 579. 1232. Accedit aliqua ex parte schol. Flor., dum poetae verba exponit hisce: ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἀναρπάξας (l. ασα) ἐῤῥιψεν ἐπὶ τοῦ ἐδάφους κράζοντα. Thetidi simillima facit Ceres, pariter impedita, quominus Demophoonti, Celei et Metanirae filio, vitam aeternam deique naturam addere posset, in hymn. hom. in Cer. 252. sqq.

παῖδα φίλον, τὸν ἄελπτον ἐνὶ μεγάροισιν ἔτικτεν,
χείρεσσ' ἀθανάτῃσιν ἀπὸ ἕο θῆκε πέδονδε
ἐξανελοῦσα πυρὸς, θυμῷ κοτέουσα μάλ' αἰνῶς.

Ultimum consilii argumentum Calchas repetit a nimia Troianorum audacia, qua quasi incensi maxima quaeque et pati et inferre haud recusent XII, 60. sqq.

— — Τρωσὶν γὰρ ἐνέπνευσεν μέγ' ἀνάγκη
θάρσος. ὅπερ πρὸς Ἄρηα καὶ οὐτιδανόν περ ἐγείρει.
κάρτιστοι δὲ τότ' ἄνδρες ἐπὶ μόθον, ὁππότε θυμὸν
παρθέμενοι στονόεντος ἀφειδήσωσιν ὀλέθρου·
ὡς νῦν Τρώϊοι υἷες ἀταρβέες ἀμφιμάχονται
ἄστυ πέρι σφέτερον· μέγα δέ σφιν μαίνεται ἦτορ.

Hemistichium, a quo initium fit, leviter mutatum cernitur VIII, 327. XII, 373. XIV, 546. Aliorum non minima similitudine iuncta in mant. observ. in Quint. p. 248. sq. collegi, eaque de caussa recte, ut opinor, IX, 301. — μένος δ'

ἐνέπνευσεν Ἀχαιοῖς reddidi. Quae deinde admonet Calchas, audaciam vel imbecilles ad pugnam excitare, ea Homeri sive Neptunus sive Thoas in Il. 13, 237. iam indicavit. Magis etiam manifestam poetae imitationem prae se ferunt insequentia, nisi quod Homerus rem apertius pronuntiare solet, velut de piratis Od. 3, 74. 9, 255.

ψυχὰς παρθέμενοι, κακοὶ ἀλλοδαποῖσι φέροντες·

add. 2, 237. Nec minus Quintus de vitae discrimine adeundo hic cogitat, etsi alibi solam animi fortitudinem, qua quis instruitur, eo modo describit, vid. IX, 278. sq. 352. In postremis denique et numerorum elegantia et Quinti usus bisyllabum σφισι exposcunt, cf. supra v. 93.

καί νύ κεν αἶψα τέλεσσαν, ὅσα σφίσιν ἤθελε θυμός,

et add. v. 443. 501. Neque id latuit Gerard. lect. Apoll. p. 151.

Minerva, Olympo relicto, tenerae virginis habitu instructa per somnium apparet Epeo XII, 106. sqq.

δὴ τότ' Ἀθηναίη μακάρων γένος ἀμφιλιποῦσα
ἤλυθε παρθενικῇ ἀταλάφρονι πάντ' εἰκυῖα
ἐς νῆας καὶ λαόν· — — —

Minervae non genus immortalium, sed deorum domicilium sive Olympum relinquendum fuisse neminem fugiet, ideoque nomini depravato μακάρων ἕδος in exc. IX. ad Hom. Il. p. VII. substitui. Id verum habet Koechlys in emend. p. 248., sed ulterius etiam progressus verbo inepto sane ac molesto expulso corrigit μακάρων ἕδος αἰπὺ λιποῦσα. Cui quidem vehementer assentior, quod non modo Homerus, quem sui inventi sponsorem in medium producit vir sollers, sed Quintus etiam eam suspicionem vindicare videtur, etenim hic et de Penthesilea habet I, 170. — λίπεν ἄστεος αἰπὰ μέλαθρα, et de ipsa Minerva VII, 557.

κάλλιπεν Οὐλύμπου εὐώδεος αἰπὰ μέλαθρα.

Eidem posthac epitheton ἀταλάφρων, utpote ab animo ductum, incommodum videtur. Iam quum Minerva non bellicosae deae apparatu, sed puellae tenerae habitu induta accedat ad Epeum et in Monac. sit libro: γρ. ἄπα ἀταλάφρονι, ex

hom. hymn. in Ven. 14. et Hesiod. op. et d. 519. *παρθενικῇ ἁπαλόχροϊ* restitui iubet. Afferri insuper poterit Minerva homerica, quae Ulixi se in conspectum dat Od. 13, 222. sq.

ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ, ἐπιβώτορι μήλων,
παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν,

quorum habitum copiosius describit. Sed nihilominus erit, quod pro vulgari dici possit: nam *παρθενικαὶ ἀταλαὶ* et ipsae sunt puellae tenerae, sicut in Od. 11, 39.

παρθενικαί τ' ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι·

add. ei affinia Il. 20, 222. Apoll. Arg. IV, 460. et Quinti ipsius, si vere divinavi in mant. observ. p. 267., XIII, 323.; deinde *ἀταλάφρων* sive *ἀταλὰ φρονέων* non modo infantium est puerorum, ut in Homer. Il. 6, 400. Quint. posthom. XIII, 122., verum etiam adolescentium et puellarum benevolentia atque amore mutuo coniunctorum, vid. Hom. Il. 18, 567. hymn. hom. in Cer. 24.

εἰ μὴ Περσαίου θυγάτηρ ἀταλὰ φρονέουσα
ἄϊεν ἐξ ἄντρου, Ἑκάτη λιπαροκρήδεμνος, —.

Ne Minerva, quae in equum non sit ingressa, mendacii coarguatur XII, 111. sqq.

— — — *ἔφη δέ οἱ ἐγκονέοντι*
αὐτὴ συγκαμέειν, αὐτὴ δ' ἄφαρ ἔνδοθι βῆναι
ἔργον ἐποτρύνουσα. — — —

Pauwius suasit *ἐγγύθι β.*, vel idem vel *ἀγχόθι β.* Koechlys in emendat. p. 249. Illo ipso remedio Hermannus in opusc. vol. V. p. 48. alium nostri poetae versum, quem in dissert. de vi et usu praeposit. *ἀνὰ* et *κατὰ* apud Homer. p. 26. in disceptationem vocaveram, persanatum credit. Est hic de aquila renascens Promethei iecur dilacerante in posthom. V, 343. sq.

— — *ὅτε οἱ μέγας αἰετὸς ἧπαρ*
κεῖρεν ἀεξόμενον κατὰ νηδύος ἔνδοθι βαίνων.

Atque ego quidem, quod *κατὰ νηδύος ἔνδοθι* explicatus nullos aut difficiles habet, praepositione ad verbum relata *νηδύος ἔνδοθι καταβαίνων* socianda putabam. Hermannus totum id commentum foedum et absurdum iudicat, ne vero

aquila magna in Promethei viscera ingredi dicatur, virgula, qua olim distinguebatur aute *κατὰ ν.*, traducta corrigit: *κ. ἀεξ. κατὰ νηδύος, ἐγγύθι β.* Verum enim vero Homerus quidem *ἐγγύθεν ἐλθεῖν* et *ἐγγύθι εἶναι, στῆναι* aliaque id genus frequentat, at Quinto, quod Pauwio et ipsi adversatur, illud solum fuit cognitum; deinde *ἔνδοθεν* sive *ἔνδοθι καταβαίνειν* revera significat descendere in aliquid. Ipse liber, qui in manibus est, certa quaedam exempla, ab isto Epei equo petita, suppeditat, vid. v. 272. 340.

τοὺς δὲ καὶ ἐλδομένους καταβήμεναι ἔνδοθεν ἵππου,

add. consimilia v. 307. 314. Itaque istud emendandi periculum, in quo verba *ἐγγύθι βαίνων* admodum languent, non continuo probaverim. Nec vero aquila immanis, in ipsa Promethei vincti viscera penetrans, nobis est fingenda; satis enim erit, si volucrem rostrum acutum in herois praecordia inserentem animo informaveris, idque ipsum paullo liberius elocutus est Quintus. Quae si tenueris, ne opus quidem erit mutatione, etsi Koechlys in emend. p. 206. *ἔνδοθι θείνων*, quod aquilae morsibus parum idoneum videtur, nuper proposuit. At vero ista ne licebit quidem in alterius loci utilitatem convertere, nec tamen assequor, num quid commodi Minerva *ἀγχόθι βᾶσα* Epeo fabro tulerit. Quapropter mendacium utile ac tempestivum sive deae sive poetae condonabimus, aut aliam quandam medelam quaeramus necesse erit. Potuit autem Quintus dare:

αὐτὴ συγκαμέειν, αὐτὴ δ' ἄφαρ ἐν φρεσὶ θεῖναι
ἔργον ἐποτρύνουσα. — — —

Quanquam ne id quidem satis elegans atque appositum existimaverim, praesertim quum in Aldina sit: *εἰς ἔργον ὀτρύνουσα*, nunc receptum debeatur Rhodomanno.

Sicut in Homeri Iliad. 23, 110. sqq. Graecorum iuvenes ab Agamemnone iussi ad rogum Patroclo exstruendum ex Idae saltibus ligna convehunt, ita ab Atridis lecta militum manus ligna, quibus Epeus equum Minervae sacrum contexat, apportatura in Idae anfractus mittitur apud Quintum XII, 122. sqq.

καὶ τότ' ἄρ' Ἀτρέος υἷες ἐς ἄγκεα τηλεθάοντα
Ἴδης ὑψικόμοιο θοοὺς προέηκαν ἱκέσθαι
ἀνέρας· οἱ δ' ἐλάτῃσιν ἐπιβρίσαντες ἐς ὕλην
τάμνον δένδρεα μακρά· — — —

Ex nota nostri consuetudine iure, ut opinor, Koechlys in emendat. p. 249. ἀν' ὕλην reposcit. Neque enim ἀν' ὕλην priore est adstringendum, sed cum posteriore copulandum: arbores magnas *in silva ceciderunt*. Hoc ratum faciunt et Homero narrata Il. 23, 117. sqq. et Quinti testimonia, velut I, 633. sq.

ὡς δ' ὅτ' ἀν' εὐρέα πόντον ἐπιβρίσαντος ἀήτεω
ναῦται νῆ' ὀλέσαντες ὑπεκπροφύγωσιν ὄλεθρον,

XIII, 73.

οἱ δ' ὡς παρδάλιες λιμῷ περιπαιφάσσοντες
σταθμῷ ἐπιβρίσουσι κατ' οὔρεα μακρὰ καὶ ὕλην.

Hinc similis confusio vocularum ἐπὶ et ἀνὰ tollenda residet III, 326.

εὖτ' ἄνεμοι θοὰ φύλλα κατὰ χθονὸς ἀμφιχέωνται
λάβρον ἐπιβρίσαντες ἐπ' ἄλσεα ὑλήεντα,
ἀρχομένου λυκάβαντος, ὅτε φθινύθουσιν ὀπῶραι.

Ubi pariter venti non in nemora frondosa vehementer ingruunt, sed per ea, impetu magno irruentes, levia folia humi dispergunt, vid. plura p. 140. sq.

Equum ab Epeo, Pallade adiuvante, triduo fabricatum Achaei, magna admiratione defixi, adspiciunt gaudio pleni XII, 147. sqq.

— — τετέλεστο δ' ἐπὶ τρισὶν ἤμασι πάντα
Παλλάδος ἐννεσίῃσι· πολὺς δ' ἐπεγήθεε λαὸς
Ἀργείων· θαύμαζε δ' ὅπως ἐπὶ δούρατι θυμὸς
καὶ τάχος ἐκπεπόνητο ποδῶν, χρεμέθοντι δ' ἐῴκει.

Saepissime quidem ἐφ' ἡμέρῃ, ἐπ' ἤματι, ἐπ' ἤματι τῷδε, etsi vis singulorum varia est, de iis, quae uno die peraguntur, epicorum sermo celebravit, at pluralem ullo loco me invenisse haud memini; imo is rei ac veritati repugnare videtur. Equum enim ligneum non tribus diebus continuis, sed tertio demum die ad finem esse adductum intelligitur. Melius ergo et aptius ἐνὶ τρισὶν ἤμασι i. e. triduo restituerimus.

Eo modo ἐν μακρῷ χρόνῳ, μυρίαις ἐν ἁμέραις, de quo disseruit Valckenar. ad Eurip. Phoen. p. 180., aliaque eius generis Graecorum ore invaluerunt. Praecipue quidem talia ab Herodoto inde a tragicis aliisque Atthidos auctoribus frequentantur, vid. Herodot. II, 22, 4. ἐπὶ χιόνι πεσούσῃ πᾶσα ἀνάγκη ἐστὶ ὗσαι ἐν πέντε ἡμέρῃσιν, add. Schweighaeuser. lexic. herodot. p. 210. sq. et Ellendt. lexic. sophocl. vol. I. p. 595. Apud epicos ea significatio rarius est obvia, nec tamen prorsus inaudita erit habenda, sic schol. Ven. ad Il. 10, 48. in Od. 24, 118., ubi plerique ἄρ' edunt, scriptum fuisse testatur:

μηνὶ δ' ἐν οὔλῳ πάντα περήσαμεν εὐρέα πόντον,

et ad Aristarchi provocat iudicium, qui ἐν ἤματι alibi quoque tenuerit. Sed ut in numero simplici per epicorum monumenta longe lateque diffuso nihil velim novare, ita, si de pluribus agitur, ἐν atque ἐνὶ alteri praeponendam esse consentaneum putaverim. Quae postea de generosa equi indole pedumque pernicitate ipso in ligno quasi insculptis praedicantur, ea, quum omnium oculos animosque advertant, et equus ipse hinnienti sit similis, naturae veritatem plene ac perfecte imitari nemo non videbit. Illa vero equi vivi similitudo nec tanta nec tam admirabilis esse potuit, si singula arte sola et studio elaborata et expressa feruntur, neque verba, qualia apud Tychsenium leguntur, aliud quidquam significare possunt. Scio quidem operibus accurata artis scientia factis id ipsum bene convenire, ut VI, 212.

ἄγχι δέ οἱ πεπόνητο μένος πολυδειράδος Ὕδρης,

ne plura congeram; verum equo ferocienti et pedum celeritate insigni haud dubie ἐκπεπότητο aptius erit ducendum. Quod ut eligamus, et libri priores, in quibus erat ἐκπεπότηται, efficiunt, et Vindobon. pr., qui illud ipsum praebet. Animus igitur in ligno quasi spirabat, pedes evolabant, et equus totus hinnientis speciem prae se ferebat. Sunt enim haec, quibus caussa tantae artis continetur, arctiore vinculo cum superioribus iungenda. Nec Rhodomannum, quae eius erat perspicacitas, alterum maluisse crediderim, etsi in animadversionibus ἐκπεπόνητο fertur, eique respondet interpre-

tatio latina. Solus Dausqueus eorum, quae paullo ante aderant, oblitus *καὶ λάχος ἐκπεπόνητο ποδῶν* infeliciter tentavit. Pauwius optimo ei adversatur iure; unde profecto miror, quod Tychsenius ad peius reique ineptius redierit.

Opere perfecto Epeus se et equum exstructum Minervae commendat tutelae XII, 151. sq.

καὶ τότε δῖος Ἐπειὸς ὑπὲρ μεγακήτεος ἵππου
εὔχεθ', ἐπ' ἀκαμάτῳ Τρυωνίδι χεῖρας ὀρέξας.

Editiones antiquas obsidebat: *ὑπ' ἀκ. Τρ.*, Rhodomanno vero iubente, praepositio aliena cessit. Eodem fere modo Achilles homericus Thetidos matris auxilium implorat in Il. 1, 351.

πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς.

Inconsideratius autem vocula mutata reliquerunt litteram asperam, quae in tenuem abeat necesse est. Caeterum tmesis ea rarius quidem obvenit, nec tamen ea caret Homerus, vid. Il. 5, 225.

— — — — *εἴπερ ἂν αὖτε*
Ζεὺς ἐπὶ Τυδείδῃ Διομήδεϊ κῦδος ὀρέξῃ.

Non ita multo post, diis discordibus in proelium ruentibus, tota tremit terra, mare aestuat, inferi tumultum sentiunt, et Ida magna infremit una cum fluviorum undis, Argivorum navibus et celebri Priami urbe XII, 180. sqq.

— — — — *ἀμφὶ δὲ μακρὴ*
Ἴδη ὑπέστενε πᾶσα καὶ ἠχήεντα ῥέεθρα
ἀενάων ποταμῶν· δολιχαὶ δ' ἅμα τοῖσι χαράδραι,
νῆές τ' Ἀργείων Πριάμοιό τε κύδιμον ἄστυ.

Rem in ipso Troiano agro ad Xanthi fluenta geri vers. 165. demonstare potest, etsi dii v. 185. ex Ida vicina *κολώνας*, quibus adversarios obruant, sibi abrumpunt. Itaque vereor, ne voculae eaedem, quas supra discrevit Rhodomannus, iterum sint permixtae, legique oporteat: *Ἴδη ἐπέστενε π.*, quemadmodum hoc compositum III, 715. VIII, 88., ubi *ὑπέστενε* adeo ferri possit, exhibent. Idam enim non magis quam alia, quae enumerantur, deorum pedibus subiecta fuisse luculenter apparet. Alteri locus relictus est VIII, 244.

— — — *ὑπέστενε δ' αἰόλος αἰθὴρ*
ἐσσυμένων ποτὶ δῆριν· — — —

quod Martis equi currui adiuncti per auras feruntur, ideoque aether horum pedibus calcatus stridet. Caeterum ne leve accentus mendum in nomine *χαράδραι* inesse putes, vid. annot. ad Il. 16, 390.

Iupiter in Olympum reversus crebris fulguribus timorem iniicit diis seditiosis. Themis vero, quae sola a pugnae societate abstinuerat, de illorum salute sollicita celeriter ab Olympo, ut bello finem faciat, in terram descendit XII, 202. sq.

τῶν δὲ περιδδείσασα κλυτὴ Θέμις, εὖτε νόημα,
ἆλτο διὰ νεφέων· τάχα δέ σφεας εἰσαφίκανεν.

Dea quum non per nubes feratur, sed e nubibus in terram uno momento desiliat, haud scio, an sententia sibi poscat *διὲκ νεφέων*. Homerus certe similiter loquitur de Thetide ab Olympo in mare sese praecipitante Il. 1, 532.

— — — — *ἡ μὲν ἔπειτα*
εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου.

Alia quidem ratio est Iliad. 22, 309., ubi aquila alis expansis volat per nubes obscuras. Neque haec apte satis vel cum nostris vel cum Apollonii Argonaut. II, 187. componit Wellauerus ad locum Apollon. all. Nam et illic Harpyiae celeri meatu non per nubes solum feruntur, sed ex nubibus subito allapsae Phinei miseri dapes et diripiunt et illuvie conspurcant. Itaque non respuerim compositum, quod paucorum librorum esse video:

ἀλλὰ διὲκ νεφέων ἄφνω πέλας ἀΐσσουσαι —.

Imo id ipsum, quod Harpyiae recto cursu ex alto in Phinei aedes irruunt, simplici et accommodatius et poetae, qui binas praepositiones aliquoties coniugavit, usitatius erit censendum, sicut alterum iisdem adhibet paullo infra v. 268.

αἱ δ' ἄφαρ, ἠΰτ' ἄελλαι ἀδευκέες ἢ στεροπαὶ ὣς,
ἀπρόφατοι νεφέων ἐξάλμεναι ἐσσεύοντο
κλαγγῇ μαιμώωσαι ἐδητύος· — —

add. ib. 1084. III, 1267. Quint. Sm. IX, 72.

Nestor aetatis gravitate oppressus, sed insito animi fervore elatus, se vel senectute confectum, ut virum iuventutis robore florentem, in equum ingressurum esse profitetur XII,

271. sqq.

νῦν δέ με γῆρας ἔπεισι πυλύστονον· ἀλλ' ἄρα καὶ ὧς,
ὡς νέος ἡβώων, καταβήσομαι ἔνδοθεν ἵππου
θαρσαλέως· θάρσους δὲ θεὸς καὶ κῦδος ὀπάσσει.

Initium horum mutuatus est ab Homero, vid. Il. 1, 29. Tum in postremis, si Pyliorum rex summa quaeque animo confidente erat experturus, a deo audacia incommode expeti videbitur. Hoc Pauwium et Koechlyn in emendat. p. 245. eo adduxit, ut, verbi eiusdem repetitione evitata, κάρτος δὲ θεὸς κ. κ. ὀπ. emendare mallent, praesertim quum Nestor et apud Homerum et apud Quintum iuventutis robur, quo olim praestiterit omnes alios, toties sibi requirat. Verum id et antea iam exoptavit, et seni decrepito, fato obstante, ne deum quidem vires amissas reparare posse liquet. Ad haec adiice, quod in omnibus hisce sermonibus audacia velut summa ac praecipua militis virtus commemoratur; quemadmodum egregium eius effectum copiosius persequitur Ulixes v. 230. sqq.

καὶ γάρ τις κατὰ δῆριν ἀνιηρῇ ὑπ' ἀνάγκῃ
θαρσήσας ἀνὰ θυμὸν ἀμείνονα φῶτα κατέκτα,
χειρότερος γεγαώς· μάλα γὰρ μέγα θυμὸν ἀέξει
θάρσος, ὅπερ τ' ἀλκῆς πολὺ λώϊον ἀνθρώποισιν.

Eadem audacia Troes, abiecta vitae cura, fortissime pugnare dicuntur v. 60. sqq., porro ex ea fructus uberrimos, gloriam et decus, homines percipere non uno loco affirmat Quintus, vid. p. 149., ipse denique Nestor, quod dii laborum terminum et egregiam victoriam iam portendant Achaeis, omnes bono et audaci animo esse iubet v. 261. sqq.

νῦν χρειώ, φίλα τέκνα, βίης καὶ θάρσεος ἐσθλοῦ.
νῦν γὰρ τέρμα πόνοιο θεοὶ καὶ ἀμύμονα νίκην
ἡμῖν ἐλδομένοισι φίλας ἐς χεῖρας ἄγουσιν.
ἀλλ' ἄγε θαρσαλέως πολυχανδέος ἔνδοθεν ἵππου
βαίνετ', ἐπεὶ μερόπεσσι κλέος μέγα θάρσος ὀπάζει.

Itaque crediderim, Nestorem ea ipsa, quae omnium audaciae eventura auguratur, sibimet arrogare, vitiumque non in eo, quod aliis fuit suspectum, sed in nomine proximo quaerendum esse. Omnia igitur bene et apte procedent, si legeris:

θαρσαλέως· θάρσος δὲ κλέος καὶ κῦδος ὀπάσσει.

Ait enim Nestor: *velut iuvenis pubescens equidem ingrediar audacter; audacia autem gloriam et decus offeret.* Sic eadem audaciae praemia, quae alii sint laturi, sibi quoque parata fore animo praesagit senex.

Nestorem aetate imparem a consilio revocat Neoptolemus XII, 275. sqq.

ὦ Νέστωρ, σὺ μὲν ἐσσὶ νόῳ προφερέστερος ἀνδρῶν
πάντων· ἀλλά σε γῆρας ἀμείλιχον ἀμφιμέμαρπεν·
οὐδέ τις ἔμπεδός ἐστι βίη χατέοντι πόνοιο.

Brevem vocalem casui appellandi legitimam et hic et alibi nostro reddendam dixi p. 120., idemque vitium notavit Koechlys in emendat. p. 252. Quod tum vir doctus e libr. Mon. profert in medium προφρονέστερος ἀνδρ., id prorsus improbandum est. Etenim primum Nestoris prudentiam aliorum consilio superiorem esse scimus, vid. Hom. Il. 2, 370. sqq. 9, 94. et Quint. V, 166. sqq., deinde vulgare nostri sermone et norma ab omni dubitatione tectum est atque munitum, cf. I, 562. II, 421. III, 354. V, 309. Ibi autem iisdem fere verbis Ulixes se ingenio Aiaci longe anteponendum fatetur:

ἀλλὰ νόον μὲν ἔγωγε πολὺ προφερέστερός εἰμι
σεῖο μετ' Ἀργείοισι, βίῃ δέ κεν ἀμφήριστος.

Quae si cum Neoptolemi dictis comparaveris, quartum casum, quem e versu praecedente male iteratum puto, tertio commutandum esse admodum probabile videbitur, eique opinioni plus fidei facient Hom. Od. 8, 128. 21, 134. Oppian. Hal. II, 199. Denique Koechlys e libr. Monac. v. 277. οὐδέ τοι ἔμπεδός ἐστι β. χ. π. exarari iubet, cui valde assentior. Huc enim nos iam vocant ii loci, quibus Nestor quum apud Homerum tum apud Quintum vim pristinam sibi fractam deplorat, vid. Il. 7, 157. 11, 670. 23, 629., posthom. II, 323. sq., tum poeta, ex sua sententia quum dicit, persona utitur tertia, velut IV, 122.

ἀλλά οἱ ἐν στέρνοισιν ἔτ' ἔμπεδος ἔπλετο θυμὸς
καὶ νόος· — — — —

Secundam igitur alii similiter de Nestore iudicanti et cum eo colloquenti esse aptissimam et sua sponte apparet et Homerus

docet Il. 4, 314.

ὦ γέρον, εἴθ' ὡς θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν,
ὥς τοι γούναθ' ἕποιτο, βίη δέ τοι ἔμπεδος εἴη.

Animo Neoptolemi prompto paratoque Nestor senex recreatur XII, 283. sq.

οὕνεχ' ὑπέσχετο πρῶτος ἐς εὐρέα δύμεναι ἵππον
αὐτὸς, μὶν δὲ κέλευε γεραίτερον ἔκτοθι μίμνειν.

Virgula in fine prioris collocata et sequentibus una comprehensione devinctis, levi opera *αὐτόν μιν δὲ κέλ. γ. ἔ. μ.* emendari posse statuebam p. 122. sq. Sed Tychsenio, qui primus inseruit *μιν*, fidem derogat Koechlys in emendat. p. 252. et ad priscas revertitur editiones. Quae quum praeberent:

αὐτὸς, ὃν οὔτι κέλευε γεραίτερος ἔκτοθι μίμνειν,

Rhodomannus, ultima ad Neoptolemum pertinere ratus, ea cum praecedentibus sic conflabat:

αὐτὸς, ὃν οὔτι κέλευε γεραίτερος ἔνδοθι βαίνειν.

Koechlys in olim vulgatis inhaerens duplex corrigendi periculum fecit, poetae enim fuisse arbitratur aut *αὐτὸς, ὁ δ' αὖτε κέλ.* aut *αὐτὸν δ' αὖτε κέλευε γεραίτερον ἔ. μίμνειν*, quorum alterum, si sensum spectaveris, cum nostris fere congruit. Si qua vero librorum fide Tychsenii nititur lectio, de quo nunc quidem parum constat, nihil aliud erit quaerendum.

Musis a iuvenili inde aetate fautricibus se omnem canendi facultatem debere grato animo Quintus agnoscit XII, 308. sq.

ὑμεῖς γάρ πᾶσάν μοι ἐνὶ φρεσὶ θῆκατ' ἀοιδὴν,
πρίν μοι ἀμφὶ παρήια κατασκίδνασθαι ἴουλον —.

Dixi de versu altero in mant. observ. in Quint. p. 261., sed falsa quaedam illic allata iam emendare liceat. Etenim perperam scripsi *παρειὰ* fuisse in vulgaribus, quippe quae *παρειᾷ* aperte falsum proferant, *παρήια* inter alia excogitatum a Rhodomanno Tychsenius amplexus est. Neutrum *παρειὰ* Aristarchi iudicio firmatum, vid. annot. ad Hom. Il. 3, 35. et Vind. pr. et Escurial. pr. tutantur, unde id recipiendum esse statui in diar. scholast. Darmstadtin. a. 1832. sect. II. p. 299. Sed non debebam ad illam stirpem referre dativum

παρειάσιν, cuius reliquiae exstabant in Apoll. Argon. IV, 172. et Quint. posth. XIII, 324., etsi alii imprudentius sunt subsecuti.

Classe Argivorum profecta, Troes ex urbe effusi equi molem cum stupore intuentur, Sinonemque infelicem e latebris protractum omni suppliciorum genere eo adigere student, ut, quid Graecis in animo sit, enarret. Ille vero crudelissima quaeque forti tolerat robore XII, 370. sqq.

— — *ὁ δ' ἐνθέμενος φρεσὶ κάρτος*
λώβης οὐκ ἀλέγιζεν ἀεικέος, ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ
ἔτλη, καὶ πληγῇσι καὶ ἐν πυρὶ τειρόμενός περ
ἀργαλέως· Ἥρη γὰρ ἐνέπνευσεν μέγα κάρτος.

Versus tres, quos scribae nomine iterato *κάρτος* in fraudem compulsi reciderant, Tychsenius e libro Monac. inseruit. Primum autem hemistichium integrum paene Penthesileae datum videmus I, 139., nec dissimilia eius repetuntur ib. 424. VIII, 283. XII, 15. 34. 239. Tum temere irruit in alienas possessiones, nisi fallor, *καί* particula, cuius loco, quod alia subsequitur praepositio, *ὑπὸ πληγῇσιν* aptius duxerim: nam Sino sub verberibus et in igni excruciatus dicitur. Illud autem nostro familiare esse cognovimus ad XI, 120. p. 258., eique et oppositorum ratio et exempla alia adesse videntur, cf. VII, 376.

τειρομένων ὑπὸ Τρωσὶ καὶ Εὐρυπύλῳ μεγαθύμῳ.

XI, 500.

οὐδέ σφιν μάλα δηρὸν ὑπ' Ἄρεϊ τειρομένοισιν.

Sustulit eius generis confusionem e libr. VI, 209. *ἐπὶ στιβαρῇσι χέρεσσι τειρομένου* Wernickius, de qua vid. p. 59. At scite ait Phoenix senex VII, 654.

— — — *λυγρῷ δ' ἐπὶ γήραϊ θυμὸν*
τείρομαι· — — — —

quod praeter aetatem ingravescentem se Achillis interfecti dolore excruciari queritur. Homerus quidem *ὑπό τινος τείρεσθαι* aliquoties dixit, ut Od. 10, 78. Il. 8, 363.

τειρόμενον σώεσκον ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων.

Laocoon solus perniciem equo inclusam sentiens a suis, qui Sinonis credunt fallaciis, dissidet et mala eventura prae-

dicit. Minervae autem ira gravius mulcatur et oculorum afficitur tabe XII, 409. sq.

πολλάκι δ᾽ ἔῤῥεον, οἷον ἀπὸ στυφελῆς ὅτε πέτρης
εἴβεεν ἐξ ὀρέων νιφετῷ πεπαλαγμένον ὕδωρ.

Inusitata ac prope intempestiva particularum collocatio, ut singulorum sanitati prospiciamus traiiciendo, exigit: *οἷον ὅτε στυφελῆς ἀπὸ πέτρης*, idque iam perspexit Gerard. in lection. Apoll. p. 213. Si non utrumque, certe alterum confirmabit XI, 368.

— — *τὰ δ᾽ ὥς στυφελῆς ἀπὸ πέτρης*
γαῖαν ἔπι τραφερὴν ἐκυλίνδετο· — —

Sed non minus alterum melius ac probabilius esse communis omnium efficit consensio, ut Homer. Il. 9, 447.

οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,

14, 295. Od. 10, 462. 13, 388. Apoll. Arg. IV, 152. 1062. Dionys. Perieg. 531. Nic. Ther. 422. Quint. III, 538. IV, 307. XII, 267. XIV, 458. Quibus in plena et perfecta comparatione pro more poetarum adiungi solet praesens, unde *εἴβεεν*, cuius ne forma quidem satis graeca videtur, iam Rhodomanni animum pupugit. Atque hic praestantius iudicat *εἴβει*, ei vero Homerus nonnisi agendi potestatem concedit, vid. Od. 4, 153.

— *αὐτὰρ ὃ πικρὸν ὑπ᾽ ὀφρύσι δάκρυον εἶβεν,*

add. Il. 16, 11. 19, 323. 24, 9. Od. 8, 531. 11, 391. 16, 219. 332. 24, 280. et Od. 21, 86. *κατείβετον*. Medium contra significat *fluere* sive *stillare*, maximeque celebratur ab Homero inde *κατείβεσθαι*, sicut Il. 15, 37. Od. 5, 185.

καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, — —

Quint. III, 577.

οὔποτ᾽ ἐτέρσετο δάκρυ, κατείβετο δ᾽ ἄχρις ἐπ᾽ οὖδας
ἐκ βλεφάρων, — — — —

X, 18. XIV, 392. Ex his iam discimus, medium hic revocandum esse; etenim simplex *εἴβεται*, cuius ultimae extritae portentosum illud *εἴβεεν* succrevit, rarum et exquisitum agnoscunt Hesiod. in theog. 910. et Apollon. Argon. II, 664.

— — — *περὶ δ᾽ ἄσπετος ἱδρὼς*
εἴβεται ἐκ λαγόνων τε καὶ αὐχένος· — —

Epeus equi pedibus, ut in urbem intrare posset, rotas subiecisse dicitur XII, 424. sqq.

— — — *ἐπεί ῥά οἱ ἐσθλὸς Ἐπειὸς*
ποσσὶν ὕπο βριαροῖσιν ἐΰτροχα δούρατα θῆκεν,
ὄφρα κεν αἰζηοῖσιν ἐπὶ πτολίεθρον ἕπηται
ἑλκόμενος Τρώων ὑπὸ χείρεσιν. — —

At nescire potuit Troianorum mentem Epeus, unde particulam *κεν*, cui modus quoque parum congruit, absonam putaverim. Quapropter idem, quod libr. II, 174. p. 18. reddidimus, et rei et artificis consilio magis expediet:

ὄφρα καὶ αἰζηοῖσιν ἐπὶ πτολίεθρον ἕπηται.

Troiani frondibus coronati multo cum clamore equum in urbem deducunt XII, 436. sq.

αὐτοὶ δ᾽ ἐστέψαντο κάρη· μέγα δ᾽ ἤπυε λαὸς
ἀλλήλοις ἐπικεκλομένων. — —

Structurae enallage Pauwium, mira commentum, frustra torsit. Quintus enim ob oculos habet Homerum, apud quem Graeci iam ad naves reiecti gressum sistunt et se invicem adhortantur Il. 15, 368.

ἀλλήλοισί τε κεκλόμενοι καὶ πᾶσι θεοῖσιν
χεῖρας ἀνίσχοντες μεγάλ᾽ εὐχετόωντο ἕκαστος.

Neque aliter unquam loquitur noster, vid. IV, 558. VI, 442. IX, 131. 155., litem autem conficiet VI, 338.

— — — *αὐτὴ δ᾽ ἔπλετο λαῶν*
ἀλλήλοις ἐπικεκλομένων ὀλοοῦ πτολέμοιο
ἀντιάαν, — — — —

Minervae iussu ex insula Calydna immanes duo dracones proveniunt XII, 453. sq.

— *νήσοιο κατὰ πτύχας, ἥντε Καλύδνην*
λαοὶ κικλήσκουσιν ἔσω ἁλὸς, ἀντία Τροίης.

Vulgo edebatur: *λαοὶ ἐπικλήσκουσιν*, cui Rhodomannus praepositione detracta iterativum, Tychsenio adstipulante, iussit supponi. Neque id quisquam ineptum iudicabit, si contulerit Hom. Il. 2, 813. 14, 291. Od. 4, 355. 9, 366. Apoll. Arg. I, 591. IV, 1494. 1695. At quum Monac. cum plerisque aliis *λαοὶ ἐπικλύουσιν* praebeat, Koechlys in emendat. p. 253. *λ. ἐπικλείουσιν* ut verisimilius depravatumque propius requirit,

et eius sponsorem excitat Quintum ipsum IV, 11. Neque id ignorant alii, vid. Apollon. Argon. IV, 571. 1599.

εἴτε σύ γε Τρίτων, ἅλιον τέρας, εἴτε σε Φορκὺν
ἢ Νηρῆα θύγατρες ἐπικλείουσ' ἁλοσύδναι —.

Praeterea *κικλήσκουσι*, si unum Homeri exemplum Il. 14, 291. segregaveris, semper obtinet in versus exitu.

Serpentes Laomedontis pueros, aliis Troianis diffugientibus, saevo adoriuntur impetu XII, 461. sqq.

— τοὶ δ' ἄφαρ ἷξαν ὅπῃ θεὸς ὀτρύνεσκε,
θήγοντες βλοσυρῇσι γενειάσι λοιγὸν ὀδόντων
δυστήνοις ἐπὶ παισί· κακὴ δ' ἐπενίσσατο φύζα
Τρῶας, ὅτ' εἰσενόησαν ἀνὰ πτόλιν αἰνὰ πέλωρα.

Aldina cum sequacibus *ἵξαν ὅπ.*, *ἷξαν*, quo nunc utuntur, allevit Rhodomannus Magnopere autem vereor, ne *ἷξον* dare voluerit: etenim hoc cognitum et ab omnibus traditum est, illud barbarum et intolerabile, vid. Hom. Il. 10, 470.

αἶψα δ' ἐπὶ Θρῃκῶν ἀνδρῶν τέλος ἷξον ἰόντες.

Add. 5, 773. 14, 433. 21, 1. 23, 38. Apoll. Arg. IV, 184. 661. 1396. Ne quis vero *ἷζον* potius existimet, quod Homerus et alii pariter admittunt, ut Il. 9, 87.

κὰδ δὲ μέσον τάφρου καὶ τείχεος ἷζον ἰόντες·

Apoll. Arg. I, 653.

Λημνιάδες δὲ γυναῖκες ἀνὰ πτόλιν ἷζον ἰοῦσαι·

ἄφαρ et *ἷζον* sibi invicem contradicere tenendum est. Accedit ad haec, quod poeta noster prioris singulari utitur aliquoties, isque, de quo non minus disceptatum est, haud dubie alteri praeferendus V, 325.

— — — περὶ κραδίῃ δ' ἀλεγεινὸν
ἷξεν ἄχος, καὶ δριμὺ δι' ἐγκεφάλοιο θεμέθλων
ἐσσύμενον μήνιγγας ἄδην ἀμφήλυθεν ἄλγος.

Agitur ibi de infando Aiacis dolore, furoris futuri praenuntio. Id autem, quod Rhodomannus et coniecit et interpretando reddidit, etsi editio Basiliensis casu, ut videtur, assentitur, *ἷζεν ἄχος*, excludendum et ab aditu repellendum esse tum proxima docent, tum plura et ea certa Homeri exempla ostendunt, velut Achillis dicta Il. 23, 46. sq.

— — ἐπεὶ οὔ μ' ἔτι δεύτερον ὧδε
ἵξετ' ἄχος κραδίην, ὄφρα ζωοῖσι μετείω.

Add. Il. 2, 171. 8, 147. 15, 208. 16, 52. Od. 18, 274. Quint. Sm. XII, 405. At abstergendum est casus vitium, quod sicut alias gladius hostilis, ita dolor immensus in Aiacis descendit praecordia, cf. VI, 582.

— — — περὶ κραδίην δέ οἱ ἔγχος
ἷξεν ἀνιηρόν· — — — —

Nec multum ab illo distat XII, 521.

ἀλλ' οὐ δεῖμ' ἀλεγεινὸν ἐπὶ Τρώων φρένας ἷξε, —

add. alia, in quibus verbum sua ac propria dicitur vi, I, 549. VIII, 358. X, 270. Porro nobis moram iniicit aoristus *ἐπενίσσατο*, cuius forma duplici consona instructa notis grammaticorum praeceptis, quae de temporum flexione dare solent, aperte obloquitur. Ac scimus quidem, iam veteres de illius futuro et inde deductis varie et ambigue statuisse, vid. annotat. ad Il. 12, 119. 13, 186., sed plurimi tamen *νίσσετο* eique cognata, poetarum usu adiuvante, vera et sincera habuerunt, cf. schol. ad. Arat. Phaen. 21. et Il. 18, 566. Apollon. Arg. I, 741. 785. II, 824. Quint. XII, 217. Denique cum iis concors est praesens compositorum, sicut *ἐπινίσσεται* Apollon. Arg. IV, 817. Quint. Sm. IX, 416. Nicand. Ther. 470.

οὔρεα μαιμώσσων ἐπινίσσεται ὀκριόεντα,

neque ab his alia recedunt, vid. Steph. thes. ling. gr. vol. IV, p. 6380. a. Itaque *ἐπενίσσετο*, iam a Rhodomanno, cui operarum inertia male tribuit *ἐπινίσσετο*, et Pauwio laudatum, nostris etiam conveniens habuerim. Caeterum Nicandri versui, quem supra adscripsi, e varia lectione *λαιμώσσων* esse redhibendum et poetae indicant Alexipharmaca v. 352., et Eutecnii periphrasis confirmat, de hisce ita disserens: *πιεζούμενος ὑπὸ λιμοῦ ἀνὰ τὰ ὄρη πορεύεται, ζητῶν ἐξ αἰγῶν ἢ προβάτων αὑτῷ πορίσασθαι τροφήν.*

Miseris Laocoontis filiis, a serpentibus haustis devoratisque, Troes inanem aggerunt tumulum, cui pater illacrymat XII, 484. sq.

τεῦξαν ἅμ' ἀγρόμενοι κενεὸν τάφον· καὶ ἐπὶ δάκρυ
χεῦε πατὴρ ἀλαοῖσιν ὑπ' ὄμμασιν· — —

Numerorum vitio sane manifesto olim ita occurri, ut *ἠδ' ἐπὶ δ.* levi mutatione scribendum proponerem, vulgare sive ex interpretatione sive a librariorum socordia profectum esse ratus, vid. mant. observ. in Quint. p. 262. At Koechlys in emend. p. 253., ut ista arctiore cum superioribus coeant vinculo *ᾧ ἔπι δ. χ. π.* suadet. Quod aeque commodnm et aptum videbitur, quanquam certiora desidero exempla; minus enim apparet, quomodo relativum in coniunctionem abire potuerit. Quanquam in summa horum librorum corruptela nihil non fieri aut potuisse aut revera factum esse libenter concedo. Proximo versu priores insedit *ἀλαοῖσιν ἐπ' ὄμμ.*, quod Pauwius demum scienter et apposite mutavit, vid. supra p. 9.

Maioribus etiam lamentationibus tristem puerorum fortunam prosequitur mater, lusciniae, quae pullos teneros saeva draconis vi abreptos anxie deflet, similis XII, 495. sq.

ὡς ἥγε στενάχιζε λυγρὸν τεκέων ἐπ' ὀλέθρῳ
μυρομένη κενεῷ ἐπὶ σήματι· — —

Haec duplici vitio inquinata credit Koechlys in emend. p. 254., nam et adverbium *λυγρὸν* eo, quo legitur, loco vituperat, et in altero versu *ἐπὶ σήματι*, quod in Monac. *περὶ σ.* fertur, reiicit, praesertim quum comparationi, qua poeta matris fletus exornavit, *περὶ* longe aptius sit, cf. v. 489. 494. Cui quidem argumento obiici possit, id, quod in avem circa nidum volitantem optime cadit, a muliere alienum esse; sed revera matris trepidationem non dedeceat *περί*, neque eam sprevit Quintus, ubi Memnonis socios ad regis sepulcrum lugentes induxit II, 644.

— — — *τοὺς δ' Ἠριγένεια βοῶπις*
πόλλ' ὀλοφυρομένους κρατεροῦ περὶ σήματι παιδὸς
οἰωνοὺς ποίησε· — — —

Facile autem ex antecedentibus male invadere potuit *ἐπὶ* repetita. Minus arridet mihi altera illius coniectura: non semel quidem *ὄλεθρος* appellatur *λυγρὸς*, ut VI, 433. X, 215., at similitudo, cuius ad normam sequentia dirigantur necesse est,

adverbio subsidio venit. Respicere enim videtur ea, quae de iterato lusciniae gemitu bis terve commemorantur, ut v. 490. *πολλὰ μάλ' ἀχνυμένην* et v. 494. *ἀμφὶ δόμον κενεὸν μάλα κεκληγυῖα.* Nec raro idem similibus querendi verbis suspensum tenetur; argumento sunt III, 591. IX, 65. XII, 512.

— — — *ἐπεστενάχοντο δὲ λυγρὸν*
ἐννύχιοι ὄρνιθες, ἐρημαῖον βοόωντες.

vid. Arati Diosem. 1003.

Troianis diis sacra facientibus infausta diraque obveniunt omina XII, 503. sqq.

ἱερὰ δ' οὐ καίοντο, πυρὸς δ' ἐσβέννυτ' ἀϋτμή,
ὄμβρου ὅπως καθύπερθε δυσηχέος ἐσσυμένοιο,
καπνὸς δ' αἱματόεις ἀνεκήκιε· μηρὰ δὲ πάντα
πίπτε χαμαὶ τρομέοντα· κατηρείποντο δὲ βωμοί.

Interpres latinus vertit: „*femora trementia ad terram cadebant.*“ At quomodo *μηρὰ τρομέοντα* toti rei descriptioni conducant, haud assequor; nec tamen quod ab omni parte satisfaceret, mihi succurrit. In mentem si revocaveris preces, quibus in foedere pangendo Troes atque Achivi Iovem adorant apud Homerum in Il. 3, 299. sqq.

ὁππότεροι προτεροὶ ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χάμαδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος,
αὐτῶν καὶ τεκέων, ἄλοχοι δ' ἑτέροισι δαμεῖεν. —

non inepte suspicere *μηρὰ δὲ πάντα πίπτε χαμαὶ προρέοντα* leni profecto mutatione refingi posse, i. e. femora ex adipis integumento, quo circumfusa erant, ad terram defluxerunt. Sed primum translatum vocabuli usum ignoro, tum ne propria quidem vi dictum comparet in Quinti posthomericis. Alia vero, quae quis tentare possit, ut *π. χ. λιπόωντα* vel *μυδόωντα*, vid. Quint. X, 274. Apoll. Arg. IV, 1351., et a vulgari longius absunt et sententiae parum utilitatis afferunt. Vitium tamen subesse pro certo atque explorato habuerim.

Cassandra a Troianis suis vaticiniis fidem derogari indignata XII, 546. ait:

ἀλλά μοι οὐ πείθεσθ', οὐδ' εἰ μάλα πόλλ' ἀγορεύσω.

Iam autem copiosius exposuit, ostentis illis infestis admonita, perniciem certam instare patriae. Hinc quid futurum, nun-

quam alias apud Quintum repertum, sibi velit, vix perspicies. Ei enim tum demum locus esse potest, quum vel nihil omnino dictum est, vel quis se pluribus aliquid pertracturum esse negat. Quam ob rem tempus inportunum, quod non minus crebro Homeri carminibus perperam illatum erat, expellamus necesse est. Vati enim eiusque proposito sufficit: *οὐδ' εἰ μάλα πόλλ' ἀγορεύω.*

Cassandrae vera monenti Troianorum aliquis et irridet et minatur XII, 558. sqq.

ἔῤῥε, καὶ Ἀργείοισι κακὴν προτιόσσεο φήμην
ἠδ' αὐτῇ· τάχα π ο ύ σε καὶ ἀργαλεώτερον ἄλγος
μίμνει Λαοκόωντος ἀναιδέος· οὐ γὰρ ἔοικεν
ἀθανάτων φίλα δῶρα δαϊξέμεν ἀφραδέοντα.

Convicia fere similia in Halithersen augurem, Telemacho amicum, Eurymachus spargit in Hom. Od. 2, 178. sqq.

ὦ γέρον, εἰ δ' ἄγε νῦν μαντεύεο σοῖσι τέκεσσιν
οἴκαδ' ἰὼν, μή πού τι κακὸν πάσχωσιν ὀπίσσω.

Sicut autem ille Halithersen suis liberis denuntiare iubet oracula, itidem Troianus Cassandram vaticinantem ad Argivos et semet ipsam ablegat. Sed Priami filia atque Argivi quum locorum intervallo sint secreti, haud dubie melius legamus: *ἢ αὐτῇ* i. e. malum illud augurium Argivis *aut* tibimet ipsi praedicas. Consilii eius caussam reddunt proxima; numeris olim imperfectis *π ο υ*, quod aberat, inserendo providit Rhodomannus. At *γὰρ* e Monac. enotatam ista potiorem indicat Koechlys in emendat. p. 254. *τάχα γάρ σε καὶ ἀργ. ἀ. μ.*, eique adsunt III, 448. X, 229. Munera deorum non stulte abolenda esse posthac admonemur, siquidem Cassandra equum vel ferro vel igni erat eversura, vid. infra v. 567. sqq. Quae si non addita legerentur, verbo generali communique opus esse facile suspicari possis. Veteres enim munera ac facultates hominibus divinitus concessas spernere nefas duxerunt. Quo Paridis, Hectori adversati, dictum spectat Hom. Il. 3, 65.

οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα —.

Quibuscum nostra conspirarent ita scripta:

— — — — οὐ γὰρ ἔοικεν
ἀθανάτων φίλα δῶρ' ἀ θ ε ρ ι ζ έ μ ε ν ἀφραδέοντα.

Verum ea, quae postea rem copiosius explicant, nihil novandum esse nobis persuadent, quanquam interpretatio latina: „*non enim decet cara superorum dona a demente* v i o l a r i," ab eius, qui loquitur, mente aberravit.

Alii Troiani, fide illis dicteriis habita, vatem mendacii insimulant; etenim fati vis et pernicies iamiam instant XII, 564. sq.

οὕνεκά σ φ ι ν μ έ γ α πῆμα καὶ ἀργαλέον μένος Αἴσης
ἄγχι παρειστήκει· — — — —

Haec quoque ex homericis fluxerunt fontibus, vid. Il. 16, 852. 24, 132. Quae et ipsa documento sunt *μ έ γ α πῆμα*, Dausqueo inventum, cuius pravitatem nuper sensit Koechlys in emend. p. 254., esse exterminandum. Priores enim quum dedissent: *οὕνεκά σ φ ι πῆμα κτέ.*, iam Rhodomannus Dausqueo, Pauwio et Tychsenio acutior, *οὕνεκα δή σφισι* voluit scriptum, scitius etiam Koechlys emendat: *οὕνεκ' ἄ ρ α σ φ ί σ ι π. κ. ἀργ. μ. Αἴσης*, quod nostri usui ac sermoni aptissimum esse probant I, 458. II, 525. III, 13. 755. VII, 130. XIV, 522., Dausqueum autem prorsus refutat II, 123.

— ὃ καί σφισι πῆμα καὶ ἄσχετον ὤπασε πότμον.

Cassandra, propositi tenax, ut Troiani insidias funestas aperte conspiciant, equum ligneum aut ferro dissecare aut igni comburere studet XII, 572. sq.

ὄφρα λόγον στονόεντα κ α ὶ ἀμφαδὸν ἀθρήσωσι
Τρῶες· — — — —

Insidiae quod conspectae per se appareant, omnibusque sub oculis positae sint, ad Cassandrae festinationem declarandam Koechlys l. all. p. 255. corrigendum esse putat: *ὄφρα λ. στ. τ ά χ' ἀμφαδὸν ἀθρ.* At insidias revera latentes sibique soli cognitas Troianis *etiam* aperte demonstrare vult Priamo nata. Hinc *κρυφηδὸν* et *ἀμφαδὸν*, quorum utrumque nonnisi adverbii provincia funguntur, a poetis sibi opponuntur, ut ab Homero Od. 19, 299.

ὅππως νοστήσειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
ἤδη δὴν ἀπεὼν, ἢ ἀ μ φ α δ ὸ ν ἠὲ κ ρ υ φ η δ ό ν·

add. 14, 330. iisque finitima 1, 296. 11, 120. 455., obtinet idem apud Quintum XIV, 60. sq. I, 752.

οὐκ ἀγαθὸν βασιλῆας ὑβριζέμεν ἀνδρὶ χέρηϊ
ἀμφαδὸν, οὔτε κρυφηδὸν, ὅπῃ χόλος αἰνὸς ὀπηδεῖ.

Neque unquam vel Quintus vel alius quisquam hanc legem migravit, vid. I, 358. II, 64. III, 69. V, 176. XIV, 49. 53. proxime accedit ad nostra III, 599.

ἀμφαδὸν ἀθρήσαντες ἀνὰ στρατόν· — —

Apte igitur latinus interpres semper usus est adverbio; imo ne *ἀμφαδὰ* quidem sive *ἀναφανδὰ*, quod falso statuerunt recentiores quidam magistri, adiectivi naturam ac potestatem induunt, cf. Lobeckii paralipom. p. 150. sq. Itaque duo epitheta ornandi caussa Quintum sociasse nemo in animum inducet. Verum sana atque integra sunt vulgo lecta, eo, quo dicebam, modo explicanda. Adiectivum enim inde ortum erit *ἀμφάδιος*, cuius testimonium affert Od. 6, 288.

Troibus vino epulisque indulgentibus ultimam appropinquare noctem poeta refert XII, 575.

— — *μάλα γάρ σφιν ἐπήϊεν ὑστατίη νύξ.*

Aldinae et prioribus erat: *μ. γάρ ῥα ἐπ.*, Pauwius hiatum ferendum putat, Rhodomannus praeivit Tychsenio, Koechlys denique ex Homeri Il. 5, 567. non ita male, ut opinor, *σφας* advocat, etsi nullum aliud eius vestigium cernitur in Quinti posthomericis. At profecto verbum, ubi significat *invadere* vel *occupare aliquem*, casum quartum plerumque sibi expetit, ut IV, 320.

νῦν δέ με γῆρας ἔπεισι καὶ ἄλγεα· — —

add. IV, 63. V, 214. 543. XI, 163. 182. 306., nec tamen tertius prorsus inauditus est, vid. VII, 280. II, 263.

οὐ γὰρ δὴ μερόπεσσι κακώτερον ἄλγος ἔπεισιν,

isque de impetu hostili, quo alii aliis inferunt bellum aut caedem, praecipue in usu fuisse videtur, ut VIII, 175. 365.

ὣς Δαναοὶ δηΐοισιν ἐπήϊον, — —.

Cassandra ab equo per Troas reiecta, sicut panthera pastorum et canum confluxu a stabulis depulsa, abit XII, 580. sqq. Comparationis egregie et copiose exornatae versum primum, qui vulgo sonat:

ἣ δ', ἅτε πόρδαλις ἔσσυτ' ἐν οὔρεσι καγχαλόωσα,

depravatum esse pridem animadverti, eique et *πάρδαλις* et *ἐν οὔρεσιν ἀσχαλόωσα* restitui in observat. part. II. p. 17. sq. Gavisus sum Koechlyn horum inscium vel immemorem in idem, quod mihi in mentem venit, incidisse emend. l. all., *πάρδαλις* vero, cui alterum e prava nonnullorum grammaticorum sedulitate subiectum est, Quintus repetundarum iure sibi postulat, cf. annot. ad Hom. Il. 13, 103. Praeterea vir strenuus et eruditus, ut in multiplici librorum varietate totum locum perpurgaret, postrema inde a v. 583. sic constituenda existimat:

— — — *ἣ δ' ἄγριον ἦτορ ἔχουσα*
ἐντροπαλιζομένη ἀναχάζεται ἐσσυμένη περ·
ὣς ἥγ' εὐρέος ἵππου ἀπέσσυτο, τειρομένη κῆρ
Τρώων ἀμφὶ φόνῳ· μάλα γὰρ μέγα δέχνυτο πῆμα.

In ultimo igitur versu mutavit duo: primum *μέγα*, quo carent libri et scripti et impressi, a Rhodomanno transtulit, Tychsenio relicto, qui, nescio unde, *σφίσι* verbo contrarium induxit; deinde *ἀμφὶ φόνου* erat commune, dativum offert solus Monacens. Horum alterum admodum probabile, alterum verissimum iudico, quod ostendit et Quint. XIII, 358.

— — *ὁ δ' αἵματος ἐκχυμένοιο*
γήθεεν ἀμφὶ φόνῳ· — —

et Homer. Il. 16, 647.

πολλὰ μάλ' ἀμφὶ φόνῳ Πατρόκλου μερμηρίζων.

At de priorum emendatione minus consentio; ea quidem Aldina et priscae sic tradunt:

ἐντροπαλιζομένη ἀναχάζεται, ἀχνυμένη κῆρ,
ὣς ἥγ' εὐρέος ἵππου ἀπέσσυτο, ἐσσυμένη περ.

Pauwius utriusque clausulam erat permutaturus, idem fecit Koechlys, nisi quod in altero versu cum Monac. et Tychsenio *τειρομένη κῆρ* scripsit, ille vero cum plerisque *ἀχνυμένη κῆρ* retinendum censuit. Iam Koechlys similitudinem ex Homeri Il. 11, 548. sqq. cll. 17, 657. sqq. haustam ratus eo ex fonte *ἐσσυμένη περ* repetit, idemque pluribus aliis Homeri pariter ac Quinti exemplis confirmari dicit. De hoc

nemo contendet; sed primum *ἀχνύμενός περ* illius est in Iliade sola 1, 241. 588. 8, 125. 317. 13, 419. 15, 133. 17, 459. 22, 424., *ἀχνυμένη περ* Quinti VII, 327., quanquam *ἀχνυμένη κῆρ* sive *ἀχνυμένη κέαρ ἔνδον* aliquanto crebrius legitur, vid. V, 531. XIII, 271. XIV, 260. 289. Deinde panthera, quae invita recedit a stabulis, vix commode appellari poterit *ἐσσυμένη περ*, sive de eius ardore et cupiditate cogitaveris, sive illud ad reditum, quod omnium minime quadrat, retuleris; bestiam enim pedetentim et gradatim abire iam indicat *ἐντροπαλιζομένη*, vid. Hom. Il. 6, 496. 11, 547. 17, 109. Quint. VII, 95. Id autem feris, rusticorum vigilantia ab ovium stabulis fugatis, apud Homerum pariter accidit, neque comparationum exitus, in quo rei cardo vertitur, negligendus est; ita Homerus in Il. 11, 555. sqq. addit hocce:

ἠῶθεν δ' ἀπόνοσφιν ἔβη τετιηότι θυμῷ,
ὣς Αἴας τότ' ἀπὸ Τρώων τετιημένος ἦτορ
ἤιε, πόλλ' ἀέκων· περὶ γὰρ δίε νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Nec desunt similes clausulae aut Il. 17, 664. sqq. aut ib. 108. sqq., ubi Menelaus Troianorum impetu et vi coactus refert gressus, leoni similis:

αὐτὰρ ὅγ' ἐξοπίσω ἀνεχάζετο, λεῖπε δὲ νεκρὸν
ἐντροπαλιζόμενος· ὥςτε λὶς ἠϋγένειος,
ον ῥα κύνες τε καὶ ἄνδρες ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται
ἔγχεσι καὶ φωνῇ· τοῦ δ' ἐν φρεσὶν ἄλκιμον ἦτορ
παχνοῦται· ἀέκων δέ τ' ἔβη ἀπὸ μεσσαύλοιο·
ὡς ἀπὸ Πατρόκλοιο κίε ξανθὸς Μενέλαος.

Ex his igitur simile quiddam hic dicendum fuisse iam patere crediderim. Etenim quum et panthera et Cassandra re infecta abire cogantur, utriusque animum subire moerorem consentaneum est. Qui ut adsit, aut cum Tychsenio legamus oportet:

ἐντροπαλιζομένη ἀναχάζεται, ἀχνυμένη περ·
ὣς ἥγ' εὐρέος ἵππου ἀπέσσυτο τειρομένη κῆρ —

aut quod et Homeri exemplar suadeat, et Quintus non prorsus improbet, vid. observ. part. V. p. 77. sqq.

ἐντροπαλιζομένη ἀναχάζεται, ἀχνυμένη κῆρ·
ὣς ἥγ' εὐρέος ἵππου ἀπέσσυτο, τειρομένη κῆρ —

quanquam ista nominis affluentia, praesertim quum *ἦτορ* iam praecedat, parum arridet. Sed *ἐσσυμένη περ*, quod in omnibus praeter Monacensem secundo adhaerescit versui, vel e proximo *ἀπέσσυτο* invenit originem, vel eius, cui sententia bis repetita displicebat, correctionem nobis exhibet.

Inter pocula largius hausta Troianorum aliquis vanos Graecorum labores expeditionemque frustra susceptam satis superbe illudit XIII, 15. sqq.

ἦ ῥ' ἅλιον Δαναοὶ πουλὺν στρατὸν ἐνθάδ' ἄγειραν,
σχέτλιοι, οὐδ' ἐτέλεσσαν ὅσα φρεσὶ μηχανόωντο,
ἀλλ' αὔτως ἀπόρουσαν ἀπ' ἄστεος ἡμετέροιο,
νηπιάχοις παίδεσσιν ἐοικότες ἠδὲ γυναιξίν.

Poetae, optimi indolis humanae interpretes, puerorum mulierumque pavore ignaviam atque animi mollitiem solent indicare. Itaque et Nestor homericus suos commilitones parvulorum more loquentes increpat in Il. 2, 237. sq., et Achilles semet ipsum ac Memnonem de parentum rebus pueriliter confabulantes apud Quintum posth. II, 449. Graecos, feminis atque puerulis similes, de reditu in patriam querelas fundere Ulixes aegre fert in Il. 2, 289. sq.

ὥστε γὰρ ἢ παῖδες νεαροὶ χῆραί τε γυναῖκες,
ἀλλήλοισιν ὀδύρονται οἶκόνδε νέεσθαι.

Neque aliter iudicat Paris, Polydamantis consilium refutaturus, in Quinti libr. II, 78.

φύζα δὲ νηπιάχοισι μάλ' εὔαδεν ἠδὲ γυναιξίν.

Sed nullum horum nostra praestabit tuta. Nam profecto verendum est, ne scribarum libido particulas sexcenties confusas iterum miscuerit, quod alia sibi postulat comparandi lex. E qua Graeci non similes dicendi erant parvulis pueris *et* mulieribus, verum pueris *aut* mulieribus non ita dissimiles. Nihil igitur dubii relinquitur, quin sit emendandum: *παίδεσσιν ἐοικότες ἠὲ γυναιξίν.* Eo iam spectat interpres latinus, dum reddit ista: „*pusillis pueris aut feminis persimiles.*" Tum poetae ab Homero inde sic loquuntur, vid. Il. 2, 800.

λίην γὰρ φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισιν,

add. 5, 782. 7, 256. sq. Quint. Sm. I, 345. V, 298. VII, 504. VIII, 69. X, 248. sq.

— — — *νεκροὶ δ' ἐκέκειντο νέκυσσι*
πανσυδίῃ, ψεκάδεσσιν ἐοικότες ἠὲ χαλάζῃ
ἢ χιόνος νιφάδεσσιν, — — —.

Proximo deinde versu:

ὣς ἄρ' ἔφη Τρώων τις ἐεργόμενος φρένα οἴνῳ,

Koechlys vere, ut puto, *φρένας οἴνῳ*, cui Homeri quaedam testimonia succurrunt, recipi iussit in emend. p. 257.

Ulixes principibus, ex equo exituris, latera eius caute et tacite aperit XIII, 39. sqq.

— — — *αὐτὸς δ' ἄρα χερσὶ θοῇσιν*
ἵππου δουρατέοιο μάλ' ἀτρέμας ἔνθα καὶ ἔνθα
πλευρὰ διεξώϊξεν ἐϋμμελίῃ ὑπ' Ἐπειῷ.

Postrema vertit interpres: „*sub Epei auspiciis.*" At *ὑπό τινι βῆναι, εἶναι* aliaque eius generis epicis significant arbitrio et imperio alicuius subesse. Ita Pandarus equorum regimen se accepturum negat, quod aurigae noto, si quid adversi acciderit, illi melius essent obsecuturi Il. 5, 231. sq.

μᾶλλον ὑφ' ἡνιόχῳ εἰωθότι καμπύλον ἅρμα
οἴσετον, — — — —.

Quintus saepius dixit de militibus imperio ducis subiectis, ut I, 281. II, 242. III, 232. VI, 625. X, 122. XI, 61.

οἳ Σύμηθεν ἵκανον ὑπὸ Νιρῆϊ ἄνακτι —.

Iam vero Ulixem Eurypyli ministrum sive commilitonem nemo habebit; melius igitur praepositione mutata legemus: *ἐϋμ. σὺν Ἐπειῷ*, idque vidit olim Glasewaldus in coniect. p. 17.

Troiani subito Graecorum incursu oppressi passim trucidantur varioque mortis genere occumbunt XIII, 94. sq.

πολλῶν δ' ἐν κονίῃσι μαχήσασθαι μεμαώτων
χεῖρες ἀπηράχθησαν ὁμῶς κεφαλῇσι καὶ αὐτῇς·

Vocalis longa primo aoristo inserta offendit. Videtur enim poeta ad Homeri normam, de qua in annot. ad Il. 1, 298. breviter dixi, sua composuisse. Futurum certe *η* assumpsit I, 219. II, 135. IX, 98.

— — — *οὐ γὰρ Ἀχιλλεὺς*
ζωὸς ἔθ' ὑμῖν ἄντα μαχήσεται, — —

aoristus *ε̄* tenet ac, metro invitante, consonam ingeminat. Illius documentum exstat VIII, 141.

ἀλλά μοι ὅσσοι ἔναντα λιλαιόμενοι μαχέσασθαι —

huius in structura nostris consona V, 283.

ἐν πρώτοις ἀνόρουσα μαχέσσασθαι μενεαίνων.

Quare id hic quoque eligamus oportebit. Praesentis infinitivus *μάχεσθαι* et *μαχέεσθαι* sonat, quorum ille velut dominatur apud Quintum, hic bis deprehenditnr VI, 340. II, 154., ubi Tychsenii operae secus, atque Rhodomannus volebat, e trisyllabo *μάχεεσθαι* propagarunt.

Anxiam mulierum Troianarum trepidationem vere et egregie depinxit Quintus XIII, 103. sqq. E quibus pauca, ut opinor, vitiosius tradita hic attingam inde a. v. 110.

— *τῆς δ' οὔτι μίτρης ἔτι μέμβλετο λυγρῆς,*
ἀλλ' οὕτως ἀλάληντο περὶ μελέεσσι χιτῶνας
μοῦνον ἐφεσσάμεναι· ταὶ δ' οὐ φθάσαν οὔτε καλύπτρην
οὔτε βαθὺν μελέεσσιν ἔχειν πέπλον, ἀλλ' ἐπιόντας
δυσμενέας τρομέουσαι ἀμηχανίῃ πεπέδηντο
παλλόμεναι κραδίην· μοῦνον δ' ἄρα χερσὶ θοῇσιν
αἰδῶ ἀπεκρύψαντο δυσάμμοροι· — —

Atque horum principio Koechlys, quod nulla caussa sit, cur *μίτρη tristis* appelletur, dativum *λυγρῇς* cum feminis sociandum et acute restituit et commode defendit in emend. p. 257. Deinde aliis quidem tunicas induere satis fuit, aliae, ne velamento quidem corpori iniecto, nudae stratis exsiluerunt: ita enim *καλύπτρην* et *πέπλον* accipi debere iure admonuit Pauwius. At *οὔτε καλύπτρην οὔτε πέπλον μελέεσσιν ἔχειν* non potest non displicere. Nam verbum illud et antecedentibus parum respondet, nec vestibus, quibus quis metu perterritus vel alia quacunque inpulsus caussa caret, satis erit aptum; imo in eas, quas quis gerit vel iam induit, cadit. Itaque Apollo inducitur III, 33.

ἰοδόκην ὤμοισιν ἔχων καὶ ἀναλθέας ἰούς·

et Epeus pugil in certamine adstat IV, 338. sq. — — *περὶ χερσὶν ἔχων βοὸς ἶφι δαμέντας ῥινοὺς ἀζαλέας.* Sed

miserae Troum feminae corporis tegumenta non modo gestare, sed ne arripere quidem potuerunt. Quae quum ita sint, ut, quo opus sit, plane et dilucide significetur, emendandum esse arbitror: *οὔτε καλύπτρην οὔτε βαθὺν μελέεσσιν ἑλεῖν πέπλον*. Ne potestas quidem iis fuit arripiendi vestem vel peplum, quo corpus tegerent. Illa vero dicendi forma de armis sive vestibus, quibus principes induti instructive procedunt, iam Homero frequens est, vid. Il. 10, 335. 14, 19. 18, 416. 15, 474.

αὐτὰρ χερσὶν ἑλὼν δολιχὸν δόρυ καὶ σάκος ὤμῳ.

Ac de Thetide ad Iovem evocata Il. 24, 93.

ὣς ἄρα φωνήσασα κάλυμμ' ἕλε δῖα θεάων
κυάνεον, τοῦ δ' οὔτι μελάντερον ἔπλετο ἔσθος.

add. Od. 8, 84. Neque admodum insolens est usus ille Quinto, etsi de veste manibus apprehensa nullum aliud succurrit exemplum, vide tamen IV, 146. XII, 569. XIII, 65. sq.

Subito et nocturno Graecorum impetu passim caeduntur Troiani, quorum stragem cum ovium grege, pastore absente, a thoibus vel lupis oppresso et ad internecionem fere trucidato Quintus comparat. Imaginem eam mancam et imperfectam ad nos pervenisse viri docti consentiunt, eaque de caussa versui 137. lacunae signum apponunt, sed in postremis etiam, si quid video, residet mendum. Luporum enim rabiem poeta hisce describit v. 139. sq.

αἷμα μέλαν πίνουσιν, ἅπαν δ' ὀλέκουσι μένοντες
πῶϋ, κακὴν δ' ἄρα δαῖτα λυγρῷ τεύχουσι νομῆϊ.

Vertunt autem horum media: „*totumque perseverantes exitio dant gregem.*" At insatiabilis luporum et saevitia et cupiditas, quibus temporis momento totum gregem solent dilacerare, sibi aliud exposcat additamentum. Quod, nisi fallor, Homerus suppeditat, dum verbum *ἔδειν* non semel dat bestiis praedam avide devorantibus, veluti leoni medio ex grege bovem auferenti in Il. 15, 636.

— — — *ὁ δέ τ' ἐν μέσσῃσιν ὀρούσας*
βοῦν ἔδει, αἳ δέ τε πᾶσαι ὑπέτρεσαν — —

porro Cyclopi immani crudelitate ventrem implenti in Od. 9, 297.

αὐτὰρ ἐπεὶ Κύκλωψ μεγάλην ἐμπλήσατο νηδὺν
ἀνδρομέα κρέ' ἔδων, καὶ ἐπ' ἄκρητον γάλα πίνων —.

Maxime autem avium rapacium canumque indicat edacitatem, qua mortuorum corporibus vescuntur. Inde communes principum homericorum minae, quibus hostium superbiam coerceant, velut in Il. 16, 836.

— — *σὲ δέ τ' ἐνθάδε γῦπες ἔδονται.*

Vid. annot. ad l. all. Minima igitur litterarum mutatione ad illorum normam reddiderim Quinto:

— — *ἅπαν δ' ὀλέκουσιν ἔδοντες*
πῶϋ, — — — —.

In tanto pugnae et armorum tumultu nullus Troianorum vulneris expers erat, sed omnium omnino corpora madebant cruore XIII, 143. sq.

οὐδ' ἄρ' ἔην Τρώων τις ἀνούτατος, ἀλλ' ἄρα πάντων
γναμπτὰ μέλη πεπάλακτο μελαινόμεν' αἵματι πολλῷ.

Consecutivae iteratae altero loco aut exigua aut nulla plane esse potest vis; crediderim proinde et rei et epicorum usui longe accommodatiorem esse frequentativam *ἅμα*. Non quidem ignoro, particulam illam adversativae aliquoties subiungi numerali insuper accedente, velut in versibus paribus fere et aequalibus II, 530.

— — — — *οὐδέ τις ἦεν*
θεινομένων ἑκάτερθεν ἀνούτατος, ἀλλ' ἄρα πάντων
ἐκ μελέων εἰς οὖδας ἀπέῤῥεεν αἷμα καὶ ἱδρώς.

et XII, 544. At alterum, quod melius duxerim, toties reperitur, vid. III, 168. V, 269. VII, 520., ut, vel negatione praecedente, vel si omnes unum idemque fecisse dicuntur, paene necessarium videatur, cf. mant. observ. in Quint. Sm. p. 262. sq. Aliter res se habet XII, 211.

— *ἀλλ' ἄρα πάντες ὁμῶς ἐφύπερθε καλύψει*
γαίῃ ἀπειρεσίῃ· — — — —

Nam *πάντες ὁμῶς* aut *πάντες, ὅσοι* non minus invaluerunt apud nostrum, sicut I, 704. III, 322. 601. V, 394. IX, 466. XI, 256. XIV, 253. cll. II, 561. III, 649. VII, 239. VIII, 106. XIV, 106. Ea vero ipsa argumento sunt, *ἅμα πάντας* praestare. Ne quis autem simili labe affectum putet

VIII, 20.

— ἀλλ' ἄγε πάντες ἐς ἄρεα καρτύνεσθε,

id exemplorum multitudine vindicari erit admonendum, cf. II, 38. 59. V, 152. VIII, 260. Sed alibi illa verborum iunctura tantopere delectatur Quintus, vid. I, 175. 743. II, 130. IV, 30. VI, 320. VII, 110. XIV, 468., ut contrarium hic illic depravatum habere possis, praesertim si consecutiva vel praecedit vel rei minus expedit. Quo ex genere sunt II, 474.

ὁππότε δὴ κελάδοντες ἐνιπλήθονται ἔναυλοι
ὕδατος ἐσσυμένοιο, βρέμει δ' ἄρα πᾶσα χαράδρη
ἄσπετον, οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπιτρομέουσι νομῆες
χειμάῤῥους ὁμίχλην τε. — — —

add. XIII, 56.

— οἱ δ' ἄρα πάντες ὀρινόμενοι περὶ θυμῷ
ὄζου ὑπεκπροχέονται, ὅτε κτύπον εἰσαΐουσιν.

Nec Troes inulti cadunt, telis enim ex aedibus arreptis hostes dant neci XIII, 162. sqq.

— — Τρῶες γὰρ ὅσοι φθάσαν ἐκ μεγάροιιν
ἢ ξίφος ἢ δόρυ μακρὸν ἑῇς ἀνὰ χερσὶν ἀεῖραι,
δυσμενέας δάμναντο καὶ ὧς βεβαρηότες οἴνῳ.

Dualem insolentem Koechlys in emendat. p. 257. in pluralem: *ἐν μεγάροισιν*, abire iussit, Hermanno genitivus singularis *ἐκ μεγάροιο* magis arridet. Illum vero et Homero et Quinto crebrius usurpatum praetulerim, vid. II, 73. 150. 164. III, 405. VI, 82. VII, 286. 315. 339. alibi. Ultima Homero refert accepta, cf. Od. 3, 139. 19, 122.

Diomedes interficit Coroebum, Mygdonis filium, qui hesterno demum die Troiam venerat, se Graecos e Troade expulsurum esse pollicitus ac matrimonium praemii loco pactus. Eadem fere Homerus de Othryoneo, Cabeso Ilium delato, in Il. 13, 363. sqq. memoriae prodidit; is enim, re praeclare et feliciter gesta, Cassandram, Priami filiam, uxorem expetiit, verum ab Idomeneo occisum et victoriae et coniugii spes fefellit. Ad quae quum noster poeta haud dubie respexerit, mirum sane est, quod quae Coroebo fuerit desponsata, ne verbo quidem indicaverit. Sed nolim eam in rem altius inquirere. Coroebum autem postridie, quam advenerat, occu-

buisse testantur XIII, 173. sqq.

νήπιος· οὐδ' ἀπόνητο γάμων, ὧν οὕνεχ' ἵκανεν
χθιζὸς ὑπὸ Πριάμοιο πόλιν, καὶ ὑπέσχετ' Ἀχαιοὺς
Ἰλίου ἂψ ὦσαι· τῷ δ' οὐ θεὸς ἐξετέλεσσεν
ἐλπωρήν· Κῆρες γάρ οἱ προέηκαν ὄλεθρον.

Quanta vero utriusque poetae sit similitudo, cognoscimus ex Iliad. 13, 366.

— — — ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον,
ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας Ἀχαιῶν.

Versum autem Quinti spondeorum mole tardius incedentem Gerardus in lection. Apollon. p. 138. leviter corruptum existimavit. Atque hic quidem a composito petit auxilium, legendum esse ratus: *Κῆρες γάρ ἐπιπροέηκαν ὄλεθρον.* Quod etsi fieri potuit, nullam tamen finxeris caussam probabilem, cur poeta eo uti maluerit. Imo quod Coroebum statim post adventum morte insperata oppressum sistat, aliud quidpiam, quo fati celeritas apertius declaretur, requisiverim. Ei ergo proposito adverbium *ἄφαρ* magis satisfacere putaverim:

— — Κῆρες γὰρ ἄφαρ προέηκαν ὄλεθρον,

i. e. Parcae *continuo* immiserunt perniciem. Illud certe in eadem obtinet versus regione XI, 476.

θηρὶ βίην ἀτάλαντον, ἄφαρ προέηκεν ὀϊστόν.

Eurydamas, Antenoris gener, animi moderatione et prudentia omnibus aliis Troibus superior una cum Coroebo caeditur a Tydide XIII, 178. sqq.

σὺν δέ οἱ Εὐρυδάμαντα κατέκτανεν ἀντιόωντα,
γαμβρὸν ἐϋμμελίην Ἀντήνορος, ὅς ῥα μάλιστα
θυμὸν ἐνὶ Τρώεσσι σαοφροσύνησ' ἐκέκαστο.

Extremis vel apostrophi signum auferendum est, vel, quod verisimilius puto, augmento depulso legamus oportet: *σαοφροσύνῃσι κέκαστο.* Cui praesidio venit VII, 47.

εὖ δὲ σαοφροσύνῃσι κεκασμένον· — —

et ib. 566.

— — — ὁ δ' ἀμφοτέροισι κέκαστο

Augmentum contra praefixum habemus III, 426.

ἀλλὰ σαοφροσύνῃ καὶ κάρτεϊ πάντ' ἐκέκαστο

add. ib. 732. VI, 319.

Ea, quibus Ilioneus senex, vitam sibi deprecaturus, Diomedem compellat XIII, 191. sqq., nec plena nec sincera nobis esse servata in part. III. p. 49. ostendi, alia nec multum diversa nuper protulit Koechlys in emendat. p. 285. sq. Medelam autem variam, quam quis adhibere possit, aspernatus, in eo tandem acquiescit, ut per librariorum socordiam unum versum excidisse statuat cum Hermanno. Quo posito duumviri illi singula sic constituunt:

αἴδεσαι ἀμφὶ γέροντα . . . .
. . . . τεὰς χέρας ἀργαλέον τε
λῆγε χόλον· — — — —

Hoc modo eum certe percipimus fructum, ut priora verba, in quibus omnes testes consentiunt, nisi quod Aldina *αἴδεσε* male exhibet, a vitio immunia et sana evadant, neque in iis, etsi plures unum alterumve horum in suspicionem adduxerunt, falsi quiddam aut depravati sit quaerendum. Nihil autem, quod a Quinti usu et sermone alienum sit habendum, adesse probabiliter iudicabimus, vid. quae in excurs. XVII. ad Hom. Iliad. p. 65. collegi. Quae quum ita sint, de certa emendandi via paene desperaverim, reversus ad id, quod supra dicebam: auxilium horum a libris melioribus ac plenioribus esse exspectandum. Attamen nihil impedit, quominus periculum faciamus, quod, si spem atque opinionem fefellerit, lusisse putemur. Iam Aldina et priscae quartum tenent casum: *ἀργαλέον τε λῆγε χόλον*, eumque non prorsus repudiandum censet Dausqueus, memor Homeri Iliad. 21, 305.

οὐδὲ Σκάμανδρος ἔληγε τὸ ὃν μένος,

ad quae accedunt 13, 424. lecta et haud pauca exempla, quibus activum *παύειν* normam sequitur eandem, ut Il. 1, 282. 9, 459. 15, 72. 16, 62. 19, 67. Od. 4, 583. 5, 451. Hoc igitur si Quinto licuerit, nullo aut verbo aut versu interposito singula comprehendas ita:

αἴδεσαι ἀμφὶ γέροντος· ἑὰς χέρας ἀργαλέον τε
λῆγε χόλον· — — — —

i. e. *reverere senem; manus tuas et gravem cohibe iram.* Nam pronomen *ἑός* a persona secunda minime abhorret, vid. partic. VI, p. 118. sqq.

Diomedes flebili senis lamentatione immotus, postquam paucis respondit, gladio traiicit guttura XIII, 203. sqq.

— — *λαιμοῖο διήλασε λοίγιον ἄορ*
δεινὸς ἀνήρ· ἴθυνε δ' ὅπῃ θνητοῖς ἐπὶ π ό τ μ ο ς
ψυχῆς ε ἶ σ ι τάχιστα, καὶ αἵματος αἰνὰ κέλευθα.

Transtulit haec Rhodomannus: ,,*et eo direxit, ubi mortalibus f a t u m a d a n i m u m c e l e r r i m e t r a n s i t, et funestae sanguinis viae existunt.*“ At ipse ad verum accedere interpretationem dubius haeret, eaque de caussa annotat: ,,pro *εἶσι* restituendum videtur *ἐστὶ*, quod sequens etiam copulativa requirit. Nisi hic ellipsin verbi substantivi esse malis, ut versio nostra habet.“ Attamen ista quadrare vix crediderim, quod *πότμος ἐπὶ ψυχῆς εἶσι* sive *π. ἔπεισι ψυχῆς* et durum erit et insolens. Si quis autem iungere maluerit: *θνητοῖς ἔπεισι πότμος ψυχῆς*, id iterum falsum est, quod *πότμος* iam per se mortem significat, *ψυχῆς πότμος* sive animae mors a nemine dicitur. Diversa sunt ea, quae de Hectore, vulnere letali ab Achille percusso, tradit Homerus, etsi nostris originem dedisse videntur, in Il. 22, 324. sqq.

φαίνετο δ', ᾗ κληῗδες ἀπ' ὤμων αὐχέν' ἔχουσιν,
λαυκανίην, ἵνα τε ψ υ χ ῆ ς ὤ κ ι σ τ ο ς ὄ λ ε θ ρ ο ς·
τῇ ῥ' ἐπὶ οἷ μεμαῶτ' ἔλασ' ἔγχεϊ δῖος Ἀχιλλεύς.

Quae alio insuper loco Quintus imitatus est II, 258. sq.

— — — *διήλασε δ' ὄβριμον ἔγχος*
ἐς κραδίην, θνητοῖσιν ὅπῃ π έ λ ε ι ὠ κ ὺ ς ὄ λ ε θ ρ ο ς.

Vulnera enim vel gutturi vel cordi infixa mortifera sunt, vid. IX, 192. sqq. Illo quidem modo et Hector et Ilioneus pereunt, neque alio caedis genere Eurypylum obtruncat Neoptolemus VIII, 200. sqq. Cor autem Menoetae, Hippomedonte nati, sagitta transfigit Teucer XI, 105. sqq.

— *οὕνεκα Κῆρες ὁμῶς φορέοντο βελέμνῳ*
καίριον ἐς κραδίην, ὅθι περ νόος ἔζεται ἀνδρῶν
καὶ μένος, ὀ τ ρ α λ έ α ι δὲ π ο τ ὶ μ ό ρ ο ν ε ἰ σ ὶ κ έ-
λ ε υ θ ο ι.

Iam ex horum similitudine non inepte colligas, id quod maiore ex parte vidit Pauwius, locum poetae sic fere constituendum esse:

— ἴθυνε δ', ὅπῃ θνητοῖς ἐπὶ πότμον
ψυχῆς εἰσὶ τάχιστα καὶ αἵματος αἰνὰ κέλευθα.

i. e. *eo direxit, ubi mortalibus ad mortem celerrimae sunt animae et sanguinis viae funestae.* *Αἰνὰ* enim dicuntur, quod vulnere facto una cum sanguine anima efflatur, sicut accidit Eurypylo et Hectori, eademque de caussa in libro XI, v. 453. Alcimedon *λυγρὰ κέλευθα*, quippe quae ei mortem essent allatura, adscendisse perhibetur. At animae et sanguinis viam recte appellavit poeta arteriam, Homeri iam exemplar secutus, vid. Od. 10, 86.

ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.

Quibus cognata reperimus apud alios, ut in Arati phaen. 149.

ἔνθα μὲν ἠελίοιο θερείταταί εἰσι κέλευθοι·

add. Apollon. Arg. I, 500. Quint. Sm. II, 596.

αἰὲν ἑλισσομένου Ὑπερίονος αἰπὰ κέλευθα,

nec minus crebro idem ad siderum cursus transtulit Manetho, cuius testimonia verborum index a Riglero confectus suppeditat p. 195. Ab hoc solis siderumque meatu et ad alia et ad corporis humani fabricam traducitur nomen, sicut Quintus ipse paullo ante stomachum describit XIII, 170. sq. hisce:

ἐγχείῃ κοίλοιο διὰ στομάχοιο πέρησεν,
ἧχι θοαὶ πόσιός τε καὶ εἴδατός εἰσι κέλευθοι·

et VIII, 308.

— — στομάχου δ' ἀπέκερσε κελεύθους.

Ea igitur et XI, 107., cuius supra mentionem feci, ad nostra explicanda praecipuam habent vim. Dicit enim poeta, animi sive spiritus et sanguinis vias tristes, per quas homines et spiritum ducunt et sanguis manare putatur, mortalibus, si rumpuntur, celerrime afferre mortem. Difficultas autem quaedam in eo est, quod *τάχιστα* adverbium inter *ψυχῆς* et *αἵματος*, quae necessario sunt coniungenda, est interpositum. At Graecos non ita raro cum verbis substantivis sociare adverbia, ubi alii populi adiectivis utantur, copiosius docuit Lobeckius in paralip. p. 150. sqq.

Andromacha, Hectoris coniux, filio orbata et cum aliis Troum mulieribus abducta mori cupit XIII, 267. sqq.

ἡ δ' ἄρα παιδὸς ἑοῖο καὶ ἀνέρος ἠδὲ τοκῆος
μνησαμένη φίλου αἰνὸν ἐΰσφυρος Ἠετιώνη
ὥρμηνεν θανέεσθαι, ἐπεὶ βασιλεῦσιν ἄμεινον
τεθνάμεν ἐν πολέμῳ ἢ χείροσιν ἀμφιπολεύειν.

Aldina et veteres legebant v. 268. *μνησ. φίλον αἰνὸν ἐΰσφ. Ἠετ.*, quod quum sensu careat, Rhodomannus voluit: *μνησ. φίλον ἦτορ ἐΰσφ. Ἠ.* idque vertendo expressit: ,,*interim filii sui et mariti parentisque simul caro animo recordata pulcra Eetione mori properat.*" At tota verborum collocatio hoc habet vitii, quod nullo alio muniri potest exemplo. Nam res quidem, cuius aliquis meminit, vario modo potest adiungi, at animus vel recto apponitur casu, vid. I, 710. XIV, 274. vel dicitur *μνήσασθαί τινος κατὰ θυμὸν, κατὰ φρένας*, cf. X, 365. 455. XIV, 205., vel denique tertius assumitur casus, ut XIV, 210. sq.

— — — — εἴγε τι θυμῷ
μνήσανθ', ὅσσ' ἐμόγησα περὶ Πριάμοιο πόληα —.

Neque alii, quantum scio, has leges migrarunt. Recte igitur Dausqueus, Brodaeus et Pauwius ad alia confugerunt, sed eorum ineptias, quae multum longoque absunt a vero, enumerare nihil attinet. Egregie autem Tychsenius, etsi emendationis fons latet, *φίλου* ad nominis praecedentis casum retulit, vid. I, 328. III, 404. At remanet *αἰνὸν*, quod quo pertineat vix dispicias: nam a prioribus plane alienum est, nec quisquam sibi mortem expetere *αἰνὸν* i. e. *valde* dicetur. Quare mendum in eo inesse liquet, et perperam ex superioribus, vid. vers. 266., repetitum videbitur. Ac nescio an Quinti fuerit *αἰὲν*, quod Andromacha, et suorum et instantis servitutis memor, nil nisi mortem sibi exoptat. Cuius desiderii caussa exponitur sequentibus, dum ipsa Andromacha varia mortis genera, quibus perire cupit, recenset. Simili modo poeta loquitur de Paride II, 96. sqq. et de Machaone VII, 23. sq.

— — — νόος δέ οἱ ὁρμαίνεσκε
χερσὶν ὕπο σφετέρῃσιν ἀνηλεγέως ἀπολέσθαι,

Quae suis verbis pronuntiavit poeta, ea non ita multo post Andromacham facit repetentem XIII, 281. sqq.

τῷ νύ μ' ἀκηχεμένην πολυτειρέος ἐκ βιότοιο
νοσφίσατ' ἐσσυμένως, μὴ δ' εἰς ἑὰ δώματ' ἄγεσθε
μίγδα δορυκτήτοισιν, — — —

Communi omnium editionum, ne novissima quidem excepta, lapsu negandi particula in duas separatur voculas. Apparet enim ex opposito, legendum esse

— — — μηδ' εἰς ἑὰ δώματ' ἄγ.

Qui error saepenumero invasit Quinti libros.

Aeneas et patrem, humeris impositum, et filiolum, manu abductum, e Troiae incendio bellique tumultu studet servare. Ac de puero quidem exponunt XIII, 320. sqq.

τὸν δ' ἁπαλῆς μάλα χειρὸς ἐπιψαύοντα πόδεσσι
γαίης, οὐλομένου δὲ φοβούμενον ἔργα μόθοιο,
ἐξῆγεν πολέμοιο δυσηχέος· — — —

Labeculas quasdam hisce adspersas bene removit Rhodomanni sagacitas, cui quum ἁπαλῆς, tum οὐλομένου δὲ — μόθοιο debemus. Illius enim loco ἀπ' ἄλλης, huius autem, singulis male discretis, οὐλομέν', οὐδὲ olim ferebatur. Pugnam vero οὐλομένην vere et commode appellari ostendunt III, 215. 277. VIII, 359. XI, 290. Mendum tertium dialecti praeceptis et Quinti sermone impulsus in part. I. p. 6. sustuli: nam φοβεύμενον requiri patet. Alia plura desiderat Pauwius, qui principio ἁπ. κατὰ χειρὸς suadet, et verba proxima Anchisen spectare opinatur, eaque de caussa incidit virgula post ἐμπεφυώς. At neutrum horum plausu dignum est.

Ne Aeneae ex urbe profugo obsistant Graeci, Calchas monet, et inter alia generosam illius commemorat indolem, qua motus, omnibus aliis relictis, patrem grandaevum et filium tenerum e flammis et caede sit erepturus XIII, 344. sqq.

καὶ δ' ἄλλως τοῦδ' ἀνδρὸς ἑὰς ἀπεχώμεθα χεῖρας,
οὕνεκά οἱ, χρυσοῖο καὶ ἄλλων ἐν κτεάτεσσιν
ὅσσα σάοι φεύγοντα καὶ ἀλλοδαπὴν ἐπὶ γαῖαν,
τῶν πάντων προβέβουλεν ἑὸν πατέρ' ἠδὲ καὶ υἷα·

In loco mutilo eaque de caussa vitioso nos versari omnes propemodum animadverterunt. Itaque ab emendando, quod nemini feliciter successit, abstinere satius est, aliorum vero observationibus duo adiiciam. Primum verba, quemadmodum

ea Tychsenius edidit, ad Pauwii magis quam Rhodomanni mentem exacta esse inde cognoscitur, quod Rhodomannus quidem οὕνεκά τοι vel δὴ proposuit, deinde ἄλλοις ἐν κτ. cum Aldina servandum duxit, in tertio autem versu ἄνδρα σάοι in id iussit abire, quod Pauwio pariter ac Tychsenio gratum acceptumque fuit. Ex his autem ille demum, ut superiori nomini congrueret, ἄλλων scripsit, ac proxima a prioribus divulsa, colo interposito, cum posterioribus copulanda putavit. Hanc constructionem asperam et difficilem Tychsenius, in aliis omnibus Pauwio obsecutus, repudiavit. Quare Koechlys in emend. p. 258. minus accurate ad Rhodomannum refert, quae Pauwii sunt. Ipse vero hanc profligavit castigationem:

οὕνεκα καὶ χρυσοῖο καὶ ἄλλ' ὅσ' ἐνὶ κτεάτεσσιν,
ἄνδρα σάοι φεύγοντα καὶ ἀλλοδαπὴν ἐπὶ γαῖαν
τῶν πάντων προβέβουλεν κτέ. — —

Quo quidem modo, nisi quod ἄνδρα tenet, Rhodomanni premit vestigia, structurae autem duritiem mitigari censet eo, quod membro insequenti praefixa sint verba τῶν πάντων. At orationem hiantem et male coagmentatam nemo probabit, qui meminerit, Quintum singula potius dilatare et uberius explicare quam coarctare et peranguste refercire. Hinc ad integritatem uno saltem versu nos carere cum aliis multis statuerim. Defectum autem illum quum plerique, quod lacunae notam illic appingerent, post vers. 345. quaerendum existimarent, librarios, quae res multos ac graves peperit errores, vocibus iteratis ἄλλως, ἄλλων, ἀλλοδαπὴν in fraudem esse illectos minus perspexerunt. Itaque ut vera lacunae sedes magis pateat, nam id unum aliqua probabilitate assequi possimus, haec ita constituerim:

οὕνεκα δὴ χρυσοῖο καὶ ἄλλων . . . . . .
. . . . (ἐν) κτεάτεσσιν
ἄνδρα σάοι φεύγοντα καὶ ἀλλοδαπὴν ἐπὶ γαῖαν,
τῶν πάντων προβέβουλεν ἑὸν πατέρ' ἠδὲ καὶ υἷα·

In iis autem, quae nota scribarum inertia perierunt, plura, quibus patriae exsul vitam inter alienigenas sustentare possit, haud dubie fuerunt enumerata.

Menelaus Deiphobo caeso Helenae matrimonium nihil utilitatis attulisse iactat XIII, 368. sq.

— — — σὲ δ' οὐκ ἄρ ἔμελλεν ὀνήσειν
ἡμετέρη παράκοιτις, — — — —

apostrophus, et in numerorum gratiam et ex aperta Homeri imitatione revocandus, male negligitur in versu priore. Profecit enim noster e Pandari dolore, qui arcum et sagittas nihil commodi peperisse stomachabundus conqueritur in Il. 5, 205.

ὣς λίπον, αὐτὰρ πεζὸς ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα,
τόξοισιν πίσυνος· τὰ δέ μ' οὐκ ἄρ' ἔμελλον ὀνήσειν.

Illa vero labecula editori futuro ex posthomericis saepissime erit eximenda.

Troianorum alios in bello pro patria cecidisse, alios urbe capta inter epulas et in lectis hostili periisse manu Menelaus XIII, 383. sq. affirmat:

τοὔνεκ' ἄρ' οἱ μὲν ὄλοντο πρὸ τείχεος, οἱ δ' ἀνὰ ἄστυ
τερπόμενοι παρὰ δαιτὶ, παρ' ἠϋκόμοις ἀλόχοισιν.

Quod eam Troum partem, quae in urbe occubuit, Tzetza in posthomer. v. 726. distinguit hisce:

κτεινομένων κατὰ νύκτα περὶ κρητῆρσι καὶ εὐνῇ,

ne alterum Quinto desit, Koechlys in emend. p. 258. — παρὰ δαιτὶ καὶ ἠϋκόμοις ἀλ. reposcit. Sed illa Tzetzae imitatio, quippe qui viris caesis mulieres et infantes addat, primum minus certa ac manifesta videtur, tum illud ipsum, quod emendando voluit inferre vir doctus, ne abesse quidem a poetae verbis crediderim. Pertinet enim τερπόμενοι ad utrumque; ait igitur Quintus: *alii in urbe ceciderunt delectati epulis, (delectati) mulierum consuetudine.* Quae etsi latinus interpres perperam aut intellexit aut reddidit, graecis tamen contineri aliorum docet similitudo, velut Achilles homericus de Agamemnone loquitur in Il. 9, 336. sq.

— — — — τῇ παριαύων
τερπέσθω. — — — —

Neque ignorat ista Quintus, dum Oenonam Paridi supplici inter alia haec respondentem inducit X, 310. sq.

εἵνεκα Τυνδαρίδος πολυκήδεος, ᾗ παριαύων
τέρπεο καγχαλόων, — — —

ubi epitheton Tyndaridae additum falso scribitur proparoxytonum, vid. VIII, 31. XIV, 108. Accedit, quod ab Homero inde eius rei propria est παρὰ, cf. Il. 2, 355. 9, 664. 666. Od. 5, 119. 8, 337. 342. Quint. Sm. I, 670. XIII, 363. XIV, 173. Nec rarius παρὰ δαιτὶ, παρὰ κρητῆρι aliaque eius generis usu veniunt, vid. mant. observat. in Quint. Sm. p. 263. sq. Unde Tzetzae idem fuisse restituendum recte coniicias, idque Bekkerum, qui praeterea scripsit εὐναῖς e Vatic., fecisse video.

Agamemno Menelaum fratrem, ne tot labores frustra toleraverint, ab uxoris caede revocat XIII, 409. sqq.

ἴσχεο νῦν, Μενέλαε, χολούμενος· οὐ γὰρ ἔοικε
κουριδίην παράκοιτιν ἀναιρέμεν, ἧς πέρι πολλὰ
ἄλγε' ἀνέτλημεν Πριάμῳ κακὰ μητιόωντες·

Nescio, quo casu evenerit, ut verbum et forma et significatione alienum omnium aciem eluderet. Agamemno enim Helenam non clam aut improviso tolli, sed gladio interfici vetat. Sunt igitur ἀναιρέω et ἐναίρω, ut apparet, confusa. Illud vero, quod rarum est et exquisitum, recte dixit Troum aliquis, dum optat, ut, Achille interempto, alios quoque Graecorum fortissimos e medio tollat Apollo IV, 40.

τοὺς εἴθ' ἀργυρότοξος ἀναιρήσειεν Ἀπόλλων,

neque aliud eius potestatis exemplum, quantum investigare potui, in Quinti posthomericis exstat. Hoc tritum et commune de hostibus in pugna occisis persaepe reperitur, vid. I, 395. VII, 527. IX, 212. XIII, 60. 207. et medii aoristum ἐνήρατο I, 247. II, 370. III, 228. VI, 510. XI, 79. XIII, 275. Infinitivus autem, qui hic requiritur, ipsius est Homeri, apud quem Diomedes, amicitia patrum renovata, Glauco in Il. 6, 229. suadet haecce:

πολλοὶ δ' αὖ σοὶ Ἀχαιοὶ ἐναιρέμεν, ὅν κε δύνηαι.

Varium Troianorum interitum copiosius persequitur Quintus, aliosque alio mortis genere occubuisse narrat. E quibus unus, dum per aedes fuga quaerit salutem, trabe semiusta obrutus et ita sepultus quasi dicitur XIII, 451. sq.

ἄλλῳ δ' αὖ φεύγοντι διὰ μεγάροιο μεσόδμη
ἔμπεσε καιομένη, ἐπὶ δ' ἤριπεν αἰπὺν ὄλεθρον.

Trabem irruentem perniciem attulisse certum est, minus autem apparet, quomodo *ἤριπεν* intransitivum quartum adsciscere possit casum. Cui incommodo ut mederetur, Rhodomannus *ἐπὶ δ' εἴρυσεν* emendaturus erat. At verbum, reapse minus consentaneum, nec Pauwio nec Koechlyi satisfecit. Ille vero multa conatus nihil plane, quod expediret, potuit reperire, hic vel primum nominis reposcit casum *ἐπὶ δ' ἤρ. αἰπὺς ὄλεθρος*, vel, cui plus fidei habet, *ἐπὶ δ' ἔῤῥιφεν αἰπὺν ὄλ.* corrigit, idque exponit: „*incidit columna et mortem iniecit.*" Mihi, ut, quid sentiam, aperte dicam, neutrum arridet: accusativum salvum et integrum esse priora demonstrare videntur, aoristum autem *ἔῤῥιφε*, Quinto prorsus ignotum, ne alii quidem epici crebro admiserunt. Nihilominus mendum verbo inhaerere liquet. Troianum vero illum columna illapsa et oppressum et sepultum sisti admodum verisimile erit, si memineris v. 440.

ἔνθα σφιν καὶ μοῖρα κακὴ καὶ τύμβος ἐτύχθη.

Hinc in vulgari aliud, quo eiusmodi quiddam significetur, crediderim absconditum, *ἤριπεν* autem e vers. 449. temere invectum. Quod an repererim, discernere non ausim, legendum tamen esse existimaverim:

— — *ἐπὶ δ' ἔκρυφεν αἰπὺν ὄλεθρον.*

i. e. *perniciem praecipitem obruit* sive *sepelivit.* Cuius compositi testimonium profert VII, 235.

χρειὼ δ', ἥντιν' ἵκανον, ἐπέκρυφεν μέχρις ἐς ἠῶ,

et simplex conspicitur I, 363. XII, 443. Praeterea *κατέκρυφε*, quod solis et siderum noctis tenebris mersorum proprium est, saepius etiam legitur, ut II, 478. 626. VII, 1.

Aethra, Thesei mater, ex Ilii flammis ac ruinis profuga, dei cuiusdam favore in Demophoontem et Acamantem, nepotes, incidit XIII, 496. sqq.

καὶ τότε Δημοφόωντι μενεπτολέμῳ δ' Ἀκάμαντι
Θησῆος μεγάλοιο δι' ἄστεος ἤντετο μήτηρ,
καίπερ ἐελδομένη· μακάρων δέ τις ἡγεμόνευεν,
ὅς μιν ἄγεν κείνοισι καταντίον· — —

A sententia, quam expetimus, *καίπερ* abhorrere acute animadvertit Koechlys. Ubi enim nepotum desiderio Aethra flagrabat, eosque dei alicuius beneficio inveniebat, particulis istis nullum relictum esse locum nemo negabit. Iis enim praemissis, Aethram nepotes frustra quaesivisse dicendum fuisse ostendere possunt VII, 453. X, 142. XI, 497. Sed *ἀλωομένη*, quod Koechlyi in mentem venit, non admiserim propterea, quod de Aethrae errore postea demum fit mentio. Medicinam igitur promptam ac paratam nullam video, nisi quis *καὶ*, cui *περ* importunius etiam accessit, e superioribus male ingeminatum statuerit: nam profecto neutrum apte commodeque positum videtur. Itaque paene coniecerim, poetam, ut exoptatam Aethrae fortunam gravius pronuntiaret, e clausula praecedentis pro more suo repetiisse verbum:

— — — *δι' ἄστεος ἤντετο μήτηρ,*
ἤντετ' ἐελδομένη κτέ. — — —

Vide epanaphoram perquam similem I, 34.

Sub finem eximiae comparationis, qua Thesei matris ac nepotum gaudium lacrymis mixtum confertur cum laetitia patris, praeter spem atque opinionem ex aliena terra ad suos natos reversi, dum ille ipse et filii dulces quasi effundunt fletus, inde a versu 540. leguntur haec:

μύρεται ἐν μεγάροισιν ἐπωμαδὸν, ἀμφὶ δὲ δῶμα
ἡδύ τι μυρομένων γοερὴ περιπίπτατ' ἰωή·
ὣς τῶν μυρομένων λαρὸς γόος ἀμφιδεδήει.

Iam vox ter repetita, etsi tum huius usus late patet apud Quintum, tum alia eius generis apud alios deprehenduntur, offensae aliquid habet, indefinitum autem *τι* merito adducit in suspicionem Koechlys emend. p. 260., corrigendum esse ratus *ἡδὺ κινυρομένων*, idque hominum fletibus ac lamentationibus bene quadrare probare studet. Adiici insuper poterit, utrumque in comparationibus sibi obstare, velut in Diademiae luctu cum hirundinis dolore collato VII, 335. sq.

αἰνὰ κινυρομένη τεκέων ὕπερ· ὣς ἄρα κεῖνον
μύρετο Δηϊδάμεια· — — —

add. XII, 486. 489. Apoll. Arg. IV, 1060. 1065. In fine

eiusdem *περιπέπτατ' ἀνίη* scribendum esse et Koechlys vidit et ipse iam dixi.

Ilium vastatum et alii lugent dii, et Electra, una ex Pleiadibus, eo dolore commota tenebris et nebulis faciem obtegit, unde nonnisi sex Pleiadum stellae ab hominibus in coelo conspiciuntur XIII, 555. sqq.

ἀλλ' αἱ μὲν μογεροῖσιν ἐπ' ὄψεϊ ἀνθρώποισιν
ἰλαδὸν ἀντέλλουσιν ἐς οὐρανόν· ἣ δ' ἄρα μούνη
κεύθεται αἰὲν ἄϊστος, ἐπεί ῥά οἱ υἱέος ἐσθλοῦ
Δαρδάνου ἱερὸν ἄστυ κατήριπεν· — —

Ad hiatum tollendum Hermannus in Orphic. p. 748. *ἐπόψιαι*, quod sententiae etiam melius convenit, proposuit. Equidem putabam olim *ἐπόψιοι* sufficere, uti eiusdem stirpis compositum adhibuit Apollon. Argon. II, 543.

— — *πᾶσαι δὲ κατόψιοί εἰσι κέλευθοι.*

Verum illud iam reiicio, quod stellis et Pleiadibus maxime genus femineum solet concedi, ita certe de iisdem Aratus in phaen. 258.

ἓξ οἶαί περ ἐοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν.

et ib. 81.

ἀλλ' ἔμπης καὶ κεῖναι ἐπόψιαι· — —

Hecubae ab Ulixe abstractae lacrymae ex oculis, fontis instar, manarunt XIV, 23. sq.

— — *τῆς δ' ἄθροα δάκρυ' ἀπ' ὄσσων,*
πίδακος ὥς, ἐχέοντο· — — —

In his ac similibus male evanuit apud Tychsenium accentus, e prioribus reducendus, *πίδακος ὥς, ἐχ.*, ad rem cf. III, 577. sqq. et Hom. Il. 9, 14. sqq.

Nec minor fuit caeterarum captivarum lamentatio et eiulatus XIV, 31. sq.

αἱ δ' ἀδινὸν γοόωσαι ἀνίαχον ἄλλοθεν ἄλλαι
νηπιάχοις ἅμα παισὶ κινυρομένοις μάλα λυγρῶς.

Ald. et priscae offerebant *κινύμεναι*, e quo Rhodomannus probabili coniectura fecit *κινυρόμεναι*, Pauwio, plus elegantiae in dativo *κινυρομένοις* inesse censenti, obsequitur Tychsenius. Ad prius redeundum esse existimat Koechlys in emend. p. 260., neque iniuria, solas enim mulierum querimonias

commemorari abunde docent proxima. Si quis autem puerorum fletus accessit, is satis declaratur adverbio *ἅμα*.

Quanto gaudio nautae longinquis periculis marisque tempestatibus superatis, ubi patriam revisunt, implentur, tanta fuit Graecorum laetitia bello ad finem perducto XIV, 63. sqq.

ὡς δ' ὅτ' ἀλωομένοισι δι' ἀκαμάτοιο θαλάσσης
πατρὶς ἐὴ μετὰ δηρὸν ἐπευχομένοισι φανείη,
οἱ δὲ καὶ ἐκ πόντοιο καὶ ἐκ θανάτοιο φυγόντες
πάτρῃ χεῖρ' ὀρέγουσι γεγηθότες ἄσπετα θυμῷ·
ὣς Δαναοὶ περὶ πάντες ἐγήθεον· — —

Patriam nautis *exoptantibus* apparere latinus refert interpres. Cui recte adversatur Koechlys in emend. l. all., quod *ἐπεύχεσθαι* vel *preces ad aliquem fundere*, vid. VI, 558. XIV, 308., vel saepius etiam *de aliqua re gloriari*, ut II, 4. 422. III, 245. IV, 19., significet. Neque alia est Homeri consuetudo, etsi simplex *εὔχεσθαι* optandi notionem interdum complectitur. Itaque vir doctus *μετὰ δηρὸν ἀποιχομένοισι* Quintum scripsisse putat; eo enim nautas a patria diu abfuisse commode indicari, velut Homeri sit in Odyss. 4, 109. *δηρὸν ἀποίχεται* et 21, 70. *ἀνδρὸς ἀποιχομένοιο πολὺν χρόνον*. Eiusdem generis plura invenire licet, ut notum illud *πατρὸς δὴν οἰχομένοιο*, vid. Od. 1, 261. 2, 215. 264. 15, 270. eique cognata 14, 376. 18, 313. 20, 216. 290. 24, 125. At dubito, num haec apte satis traduci possint ad nostra, quia absonum est *μετὰ δηρὸν ἀποιχ.*, ac priora potius ad verbum *φανείη* pertinent, cf. exempla ad libr. X, 28. p. 230. adscripta. Quae quum ita sint, aut commune et pervagatum tueamur, aut aliud rei magis consentaneum excogitemus necesse est. Iam ut aliis, quae contentione deditaque opera fiunt, ita navibus, sive venti afflatu sive remorum pulsu incitatis, praecipue tribui solet *ἐπείγειν* et *ἐπείγεσθαι*, ut in Od. 156, 29.

ἣ δὲ Φερὰς ἐπέβαλλεν ἐπειγομένη Διὸς οὔρῳ.

Apoll. Arg. IV, 105. sq.

— *πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ἐπειγομένων ἐλάτῃσιν*
ἦεν ἀριστήων· — — — —

add. Hom. Il. 15, 382. Od. 12, 167. 23, 235. Apoll. Arg.

I, 953. IV, 226. 1225. Quint. Sm. I, 320. sqq. VIII, 414. Tum de nautis opere suo occupatis in universum dicitur, vid. posthom. VII, 371. et XIV, 361.

— — — ἀλλ' οὔ σφισι Κάλχας
ἔσπετ' ἐπειγομένοισιν ἔσω ἁλός· —

Hoc ergo nostris accommodatissimum esse patebit, unde, si recte auguror, pristinam poetae integritatem facillime reddemus scribendo:

πατρὶς ἐὴ μετὰ δηρὸν ἐπειγομένοισι φανείη.

Hilarem Graecorum cantum ad coelum penetrasse, sicut gruum clangorem, ubi serena veris tempestas advenit, deosque, Achivis propitios, ex illorum gaudio percepisse voluptatem Quintus refert XIV, 89. sqq. Quae quum lacunosa censuisset Bonitius, eam opinionem falsam vanamque esse demonstrare studui in observ. partic. III, p. 34. At ista coniectura gravem et acutum patronum nuper invenit, Koechlyn dico, in emend. p. 287., cuius et iudicio et doctrinae multum tribuere soleo. Quare res denuo examinanda et ab omni parte expendenda videtur. Obiicit igitur meis primum, quod in more sit Quinti, ut post comparationem institutam membro per particulam ὡς adiecto *repetere* soleat *id*, *ad quod* similitudo dirigatur, idque nube exemplorum e libro primo petitorum confirmat. Tum addit nostro loco solum Graecorum ovantium cantum, non deorum *auscultantium* voluptatem cum gruum clangore, die sereno nubibus fugatis excitato, comparari posse; denique particulam ὡς, ut nunc legatur, necessario cum verbo τέρπονται, nullo modo cum participio γηθομένων, esse iungendam. Iam ut a principio, quod posuit, initium faciam, ea, quae de Quinti more usitato ac recepto disserit, aut parum aut nihil valent. Etenim nec Quintus neque alii in comparationibus unam eandemque viam ac rationem semper tenuerunt. Quare concedo quidem id, quod Koechlys fixum perpetuumque iudicat, saepissime evenire, angustis autem hisce finibus poetarum licentiam includendam esse nego. Illam vero libertatem, si qua est, ea ipsa particula, de qua hic agimus, crebro sibi expetit. Videlicet εὖτε verbis quibusdam postposita non ita raro ea respicit sola, re autem

dilatata et explicata in similitudinis fine ὡς assumitur, non ad priora illa revocanda, sed posterioribus quibusdam adstringenda. Exemplum attuli e libr. XI, 396. sqq.; illic Aeneae lapis viros clypeis instructos obruisse dicitur, sicut in montibus revulsi iugi vis capellas sub rupe pascentes (obruat), quod quidem non adest, sed ex antecedentibus repetendum erit. Subiicitur autem trepidare omnes, quae circum pascantur, et ita obstupuisse Danaos: ὣς Δαναοὶ θάμβησαν. Iam apparebit stuporem, quo Danai defixi perhibentur, non conflandum esse cum particula εὖτε, a qua oratio progressa erat, sed cum proximo verbo ὑποτρομέουσι. Ad hoc alterum accedat libr. III, 141. sqq., ubi de Achille vulnerato haec leguntur:

οὐδ' ἄρα οἱ Τρώων τις ἐτόλμα ἐγγὺς ἱκέσθαι
βλημένου, ἀλλ' ἀπάνευθεν ἀφέστασαν, εὖτε λέοντος
ἀγρόται ἐν ξυλόχοισι τεθηπότες, ὅν τε βάλησι
θηρητήρ· ὁ δ' ἄρ' οὔτι πεπαρμένος ἦτορ ἄκοντι
λήθεται ἠνορέης, ἀλλὰ στρέφετ' ἄγριον ὄμμα
σμερδαλέον βλοσυρῇσιν ὑπαὶ γενύεσσι βεβρυχώς·
ὣς ἄρα Πηλείδαο χόλος καὶ λοίγιον ἕλκος
θυμὸν ἄδην ὀρόθυνε· — — —

Videmus iterum εὖτε sibi repetere e prioribus ἀφέστ. Troes ad Achillem vulneratum propius adire non sunt ausi, sed procul steterunt, velut venatores obstupefacti in silvis procul (stant) a leone iaculo laeso. Ille autem, etsi vulneratus est venabulo, non tamen obliviscitur virtutis, sed oculum volvit torvum, terribili edito rugitu, sic ira et vulnus letiferum Pelidae accenderunt animum. Ergo ὡς ἄρα nemo a particula εὖτε suspensas iudicabit, imo ad ea, quae media sunt et interiecta, referantur necesse est, cf. simillima III, 221. 226. sq. VI, 341. 346. sqq. ib. 532. 535. sqq. Hoc igitur modo Argivorum cantum, sicut gruum clangorem, in coelum penetrasse putabam, dum ἶκεν verbum animo repetebam. Quae deinceps leguntur: audiri gruum clangorem, ubi tempus serenum venit post hiemem procellosam, ea arctissime iungebam cum insequentibus duobus:

ὣς τῶν πὰρ νήεσσι μέγ' ἔνδοθι γηθομένων κῆρ
ἀθάνατοι τέρποντο κατ' οὐρανόν, — —

ratus voluptatem ex Achivorum et cantu et gaudio a diis perceptam cum coeli serenitate ac totius naturae hilaritate, quae superioribus indicantur, haud absurde conferri. Id ipsum vero quum paullo obscurius significetur, non gravabor, si quis ea, quae de lacuna et cantu post v. 92. repetendo Bonitius et Koechlys disputarunt, magis verisimilia duxerit, praesertim si comparaverit II, 125. IV, 130. sq. ib. 141. sq. Nec tamen *κλαγγὴ* ei proposito apta haberi potest, quod cantus modos, nec vero inconditas ac rudes militum vociferationes requirimus.

Sinonem, qui tantam contumeliam forti subierit animo, omnes Achivi et admirantur et praemiis laudibusque cumulant XIV, 107. sq.

θαύμαζον δὲ Σίνωνα περικλυτὸν, οὕνεχ' ὑπέστη
λώβην δυσμενέων πολυκηδέα· — —

Rhodomannus transtulit: „*qui sustinuisset tristissimam hostium mutilationem.*" Sed verbum tum Quinto tum aliis epicis nil nisi polliceri aut cum dativo iunctum alicui cedere sive subiectum esse significare videtur. Illud quidem plerumque valet, ut I, 91.

— — — — *πολλὰ δ' ὑπέστη*
δωσέμεν, ἦν Τρώεσσι δαϊζομένοις ἐπαμύνῃ·

add. III, 501. Hom. Il. 2, 286. 4, 267. 5, 715. alibi, alterum cadit in Il. 9, 160. Ut igitur graeca, a qua longius absunt, interpretationi conveniant, alio erit opus. Sagaciter id reperit Glasewaldus in coniect. p. 17., dum requirit: *οὕνεχ' ὑπέτλη λώβην κτέ.* Neque exemplis idoneis, quae desiderabat, Quintus caret, vid. III, 571. XII, 388. et Nereidis iudicium de Prometheo factum V, 342.

ὢ πόποι, ὡς ὅγε λυγρὸς ἐπάξια πήμαθ' ὑπέτλη —.

Argivi belli diuturni et molestiarum obliti cantu et cithara delectantur, dum unus ex iis totam rerum gestarum seriem a primo navium conventu usque ad Ilii excidium ad chordarum sonos, ut videtur, iis recitat XIV, 125. sqq.

ὃς δή τοι πρῶτον μὲν ἐελδομένοισιν ἄειδεν,
λαοὶ ὅπως συνάγερθεν ἐς Αὐλίδος ἱερὸν οὖδας, —.

Tollenda est ex hisce nota particularum confusio, alias saepe, in posthomericis Quinti praeter hunc versum nusquam oblata, recte enim fertur III, 256.

σοὶ δ' ἤτοι νόος ἐστὶ ποτὶ ζόφον, — —.

Quo nostris salus ac medela paratur.

Helena se eo purgat Menelao, quod et per vim a Paride et Troianis sit abducta, et mortem, nisi prohibita fuisset, sua sponte oppetere voluerit XIV, 159. sqq.

καί με πάρος μεμαυῖαν ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι
ἢ βρόχῳ ἀργαλέῳ ἢ καὶ ξίφεϊ στονόεντι
εἶργον ἐνὶ μεγάροισι παρηγορέοντες ἔπεσσι, —.

Aldina metro pessumdato *καί με μεμαυῖαν*, Tychsenius, nescio unde, *πάρος* interposuit, alia plura dedit Rhodomannus, Koechlys denique in emend. p. 261. *καί με μέγ' ἐμμεμαυῖαν* Quinti fuisse suspicatur. Equidem adverbium sexcenties connexum cum hoc participio excidisse statuerim, eoque revocato versum expleverim:

καί μ' ἄμοτον μεμαυῖαν ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι —.

Polyxenae in Achillis tumulo immolandae lacrymae cum olearum liquore comparantur XIV, 262. sqq.

— — — *ἄδην δέ οἱ ἔκχυσο δάκρυ.*
ὡς δ' ὁπότε βριαρῷ ὑπὸ χείματι καρπὸς ἐλαίης,
οὔπω χειμερίῃσι μελαινόμενος ψεκάδεσσι
χεύῃ πολλὸν ἄλειφα, περιτρύζωσι δὲ μακρὰ
ἄρμεν' ὑπὸ σπάρτοισι βιαζομένων αἰζηῶν· —

Pro vero ac germano *ἔκχυτο* mera operarum incuria novissimam altera invasit persona, vid. VIII, 201. — *τοῦ δ' ἔκχυτο φοίνιον αἷμα.* In similitudine autem adiuncta, quod olearum fructus auctumni tempore collecti et frigore nondum laesi prelo subiiciuntur, solum hiemis epitheton vitiosum habebam emendaturus *κρυερῷ ὑπὸ χείματι.* Huic enim prodesse videbam IX, 72.

— — — *κρυερῇ ὑπὸ χείματος ὥρῃ.*

idemque fortasse melius quadrabit XIII, 311.

— — — *στυγερῇ δ' ὑπὸ χείματος ὥρῃ* —

add. II, 218. XIV, 35. Verum enim vero aliter iudicat Koechlys l. all. p. 261. Etenim quum de olivis humana opera expressis sermo sit, mendum non in attributo, sed ipso nomine absconditum existimat. Quod autem lapidum mole, cui *βριαρὸς* egregie convenit, veteres utuntur, duobus Nonni locis fretus, vid. Dionys. V, 258. sqq. XXIX, 187. sqq., docte reponit *βριαρῷ ὑπὸ χέρματι*. Sed vellem eius formae exemplum dedisset, nam mihi quidem adhuc innotuit nullum. Si quis autem cognatum *χερμάδι* praetulerit, vid. Lycophr. Al. 20. 333. 616., genus repugnabit. Praeterea e Wernickii sententia ad Tryphiod. p. 285. sq. *περιτρίζωσι* adoptandum esse Koechlys non minus admonuit.

Hecuba lacrymarum imbre filiae caedem deplorat XIV, 302.

ὣς φαμένης ἄλληκτα κατὰ βλεφάρων χεύοντο
δάκρυα, — — — —

Clausulam spondaicam Lehrsius in quaestion. epic. p. 312. dualis ope expulsam voluit *κατὰ βλεφάροιιν ἔχυντο*, minore molimine Koechlys in emend. p. 261. reposcit *ἐχέοντο* ad normam X, 432.

ὣς φαμένης ἐλεεινὰ κατὰ βλεφάρων ἐχέοντο
δάκρυα. — — — —

Neque id ignorat Homerus, vid. Il. 16, 267. 19, 356.

Neoptolemus sacris ad Achillis tumulum peractis a patre precatur, ut irae finem faciat et reditum faustum concedat XIV, 310. sq.

ἤδη γάρ τοι πάντα τελέσσαμεν, ὅσσα μενοινᾷς
σῇσιν ἐπὶ πραπίδεσσι· σὺ δ' ἵλαος ἄμμι γένοιο —

Usus flagitabit *σῇσιν ἐνὶ πραπίδ.* Quocum consentiunt homerica *φρεσὶν, ἐνὶ* aut *μετὰ φρεσὶ μενοινᾶν*, crebrius oblata, vid. Il. 14, 221. 264. Od. 2, 34. 6, 180. 17, 355. 21, 157., a quibus nihilo discrepare solet noster; argumento sunt V, 171. X, 408. XIV, 142.

Navibus in mare deductis varius Troianarum miserarum habitus describitur XIV, 386. sq.

καί ῥ' αἱ μὲν περὶ γούνατ' ἔχον χέρας, αἱ δὲ τὰ τέκνα
ἄμπεχον ἀγκοίνῃσι· — — —

Articulum importunum abigendum putabam scribendo *αἱ δέ τε*

τέκνα in observ. part. III. p. 49. At quum Aldina et priores *δὲ μέτωπα* teneant, cuius loco Tychsenio probatum Rhodomannus demum intulit, nonnulla excidisse Pauwius censuit. Defectum illum scienter et commode resarcire studuit Koechlys in emend. p. 288., dum nomine utroque servato singula ita constituit:

καί ῥ' αἳ μὲν περὶ γούνατ' ἔχον χέρας, αἳ δὲ μέτωπα
χερσὶν ἐνηρείσαντο δυςάμμοροι, αἳ δ' ἑὰ τέκνα
ἄμπεχον ἀγκοίνῃσι· — — — —

Naturae ad veritatem infantes calamitatis praesentis ignaros sistit poeta XIV, 387. sqq.

— — — *τὰ δ' οὔπω δούλιον ἦμαρ*
ἔσθενον, οὔτε πάτρης ἐπὶ πήμασιν, ἀλλ' ἐπὶ μαζῷ
θυμὸν ἔχον, κηδέων γὰρ ἀπόπροθε νήπιον ἦτορ·

Sententia et alias saepe redit, et insigni copia atque ornatu a Sophocle expressa est in Trachin. 142. sqq. At forma lexicographis nostris temere, ut puto, servata abstinendum erat. Hoc dudum praecepi in libell. de adverbiorum, quae in *θεν* desinunt, usu homerico p. 16., neque est, quod illic disputata retractem. Nam quum *ἀπόπροθεν* et *ἀπόπροθι* in promptu sint, nullum plane tertiae esse potest desiderium. Nec quisquam genitivum, utrique sane consentaneum, obiiciet; exempla eius ubique exstant, velut in nostri posthomeric. I, 390. XIV, 381. XII, 204.

οἴη γὰρ στονόεντος ἀπόπροθι μίμνε μόθοιο·

in Apollon. Arg. III, 313. 372.

οὐκ ἄφαρ ὀφθαλμῶν μοι ἀπόπροθι, λωβητῆρες,
νεῖσθ' αὐτοῖσι δόλοισι — — —.

Itaque prioribus illis sufficiet *κηδέων γὰρ ἀπόπροθι ν. ἦτορ*, imo Quinti sermoni et usui egregie conveniet.

Cassandra, cuius sapientiam Troianae matres sero admirantur, lugubres hasce querelas irrisit, etsi patriae malis animo movebatur XIV, 398.

καίπερ ἀκηχεμένη στυγερῆς ἐπὶ πήμασι πάτρης.

Patriae *tristis* exitium commemorat interpretatio latina, *στυγερὸς* vero id, quo quis horrore quasi et frigore perfunditur, plerumque indicat. Inepte igitur Troiae adhaeret epitheton,

longe aptius elegantiusque malis illis, quibus opulenta Priami urbs fere obruebatur, adiungendum. Quare vix dubito, quin sit restituendum *κ. ἀκ. στυγεροῖς ἐπὶ πήμασι πάτρης*, quemadmodum dixit XIII, 286.

— — *στυγεροῖσιν ἐπ' ἄλγεσιν οἰωθεῖσαν.*

Similiter similibus vel rebus vel animi affectibus appositum invenitur saepenumero. Quo ex genere sunt X, 393. *στυγερὴ κακότης*, IX, 96. Apoll. Arg. III, 742. *στυγερὸν δέος*. XIII, 190. Apoll. Rh. IV, 1022. *στυγερὸν δεῖμα* et *τάρβος*, praecipue vero moeroris sive *ἀνίης* proprium est, vid. Apoll. Arg. III, 264. Quint. X, 421. XIV, 164. Proinde nostro cor horribili moerore iactatum aliquoties celebratur, vid. III, 763.

τοὔνεκα καὶ στυγερῇ βεβολημένοι ἦτορ ἀνίῃ
μίμνον πὰρ νήεσσι, — — —

add. XI, 325. X, 276., in quo, etsi de Paridis vulnere agitur, verbum tamen leviter depravatum esse, si quidem fertur

τείρετο δὲ στυγερῇ βεβλημένος ἦτορ ἀνίῃ·

alia possunt ostendere.

Troum interfectorum corpora Antenore duce sepeliunt cives superstites bello XIV, 402.

— — *αὐτοὶ δὲ πυρὴν πολέεσσι τίθεντο.*

Pauci profecto, quibus fortuna benignior pepercerat, rogum struxerunt *multis*, proinde cum Bonitio in observ. part. III. p. 49. *παῦροι δὲ πυρὴν πολέεσσι τίθ.* adoptabam, Koechlys in emend. p. 262. pronomen, quod toti sententiae parum respondet, cum rogo sociaturus *αὐτὴν δὲ πυρὴν π. τ.* corrigit i. e. *unum* rogum *multis* congesserunt. A poeta ita scribi potuisse non negaverim, sed maior certe vis ac gravitas illi erit, quo, quanta Troum fuerit strages, liquido appareat. Caeterum in libr. VII, 16.

ἀλλὰ γὰρ ἀμφοτέροις αὐτὸν περὶ σῆμ' ἐβάλοντο —

emendandum esse et ipse animadverti, vid. observat. partic. VI. p. 144.

Ut ab Aiace, Oilei filio, severas sumat poenas, Iovis fulmen ac tonitru sibi expetit Minerva, cui benigne respondet Iupiter XIV, 443.

ὣς φαμένην ἀγανοῖς προσέειπεν Ζεὺς ἐπέεσσιν·

Haec cum in ordinem redigenda putavit Tychsenius, Aldina et priores, versu in duas partes aequales descripto, proferunt:

ὣς φαμένην προσέειπεν Ζεὺς ἀγανοῖς ἐπέεσσιν.

Quorum quum neutrum gratos ac numerosos praebeat modulos, aliaque corruptelae accedant indicia, Gerardus in lection. Apollon. p. 157. cum libris pluribus legendum esse dicit:

ὣς φαμένην προσέειπεν ἀγανοῖς Ζεὺς ἐπ.

At mihi quidem nullus omnino liber, qui sic iuberet, innotuit, unde illam librorum auctoritatem valde suspectam habeo, praesertim quum Iupiter pro more suo filiae precibus comiter annuat. Quapropter hic quoque Rhodomanni iudicium, toties spretum fastidiosius, laude ac plausu erit dignum, ille enim *ἄναξ* vel *πατὴρ* erat repositurus. Alterum horum omnium aptissimum duxerim, primum quod singulari semper amore Iupiter complectitur Minervam, deinde, ut haec patrem, ita ille natam compellat, denique ei ipsi librarius, qui doctior sibi videbatur, *Ζεὺς* ut glossam facile potuit adiicere. Versum ideo legendum crediderim:

ὣς φαμένην προσέειπε πατὴρ ἀγανοῖς ἐπέεσσιν.

Ea vero numerorum ratio illis, quae nostra aliqua attingunt similitudine, semper fere inest, vid. V, 165. 427. 559. VI, 84. VII, 219. 700. VIII, 146. XII, 66. 73. XIV, 165.

Iris Minervae iussu ad Aeoli pervenit sedem, ubi ventorum sunt antra, de quibus poeta copiosius refert XIV, 474. sqq.

ἵκετο δ' Αἰολίην, ἀνέμων ὅθι λάβρον ἀέντων
ἄντρα πέλει στυγερῇσιν ἀρηράμεν' ἀμφὶ πέτρῃσι,
κοῖλα καὶ ἠχήεντα· — — —

Antra cur *horrida* vocentur, nulla fingi potest caussa. Repetam igitur nomen antris plerumque datum iisque paene legitimum, vid. III, 236.

εὖτε περιγνάμπτωσι μάλα στυφελὰς περὶ πέτρας,

VI, 478.

λαΐνεοι κρητῆρες ἐπὶ στυφελῇσι πέτρῃσιν,

et nostris proxima XIV, 624.

αἰνῶς γὰρ πέτρῃσι περὶ στυφελῇσι δάμησαν —

add. I, 295. XI, 368. XII, 409. Nec multum ab illis differt Apollonius Arg. II, 1248. — περὶ στυφελοῖσι πάγοισιν, etsi hic alterum rupibus erraticis, quae eo ipso nautis terrorem iniiciebant, bene et commode attribuit II, 412.

— — — ὅτῳ στυγερὰς διὰ πέτρας
πειθόμενοι Πόντονδε περήσομεν· — —

Magni proinde Rhodomanni diligentia est facienda, qua Quinti usu perspecto in idem, quod mihi in mentem venit, incidit.

Aeolus deae dictis morem gerit, ventosque e monte, in quo habitabant, evocat XIV, 481. sqq.

χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτῃσιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ,
ἔνθ' ἄνεμοι κελαδεινὰ δυσηχέες ηὐλίζοντο
ἐν κενεῷ κευθμῶνι· — —

Latebra 'vacua iam Pauwio taedium movit, nec Koechlys se intelligere fatetur, quibus rebus specus illud vacuum cogitetur. Qua de caussa aut spatiosum sive vastum antrum, quale Virgilii est in Aeneid. I, 52. sqq., explicat, aut ἐν κοινῷ κευθμῶνι, quod communi latibulo venti erant inclusi, corrigendum putat. Verum tamen crediderim speluncam, quod venti, quorum vim quidem et efficaciam sentimus, formam autem ac faciem non videmus, incolunt, recte appellari *vacuam* i. e. nulla re nisi aere plenam. Unde κενεὸν ipsum vacuum aeris spatium significat, ut IV, 359.

πολλάκις ἐς κενεὸν κρατερὰς χέρας ἰθύνεσθαι
θῆκε· — — — —

add. IX, 259. Ventos certe nulla forma instructos a poeta cogitari posteriora demonstrant. Κοινὸν autem κευθμῶνα epicorum sermoni etiam contradicere vidimus in obs. partic. VI. p. 170.

In naufragio, quod Graecorum classis ad Euboeae rupes fecit, naves navibus implicitae et contritae dicuntur XIV, 516. sqq.

— — — κανάχιζε δὲ δούρατα νηῶν
ἀγνυμένων· αἱ γάρ ῥα συνωχαδὸν ἀλλήλοισιν
αἰὲν ἐπεῤῥήγνυντο· πόνος δ' ἄπρηκτος ὀρώρει.

Non tam nautas quam rates ratibus collisas esse patet. Quod ut perspicue intelligatur, συνωχαδὸν ἀλλήλῃσιν corrigamus

oportet. Hemistichium extremum iam adfuit XI, 501., et similiter scripsit Apollon. Arg. I, 246. — πόνος δ' ἄπρηκτος ἰοῦσιν. Prior vero pars de canibus et equis per ardentis Ilii vicos libero cursu vagantibus legitur XIII, 460.

ἵπποι δ' αὖτε κύνες τε δι' ἄστεος ἐπτοίηντο
φεύγοντες στυγεροῖο πυρὸς μένος· ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
στεῖβον ἀποκταμένους, ζωοῖσι δὲ πῆμα φέροντες
αἰὲν ἐπεῤῥήγνυντο· — — —

Ubi quum olim simplex ἐῤῥήγνυντο esset, Rhodomannus vel ἐπεῤῥήγνυντο vel ἐπωρύοντο (ululabant) adscripsit. Posterius horum, quod canibus quidem, nec vero aut equis aut toti sententiae congruit, male probabat Pauwius, Tychsenius prius recepit. Quid vero eo significetur, parum assequor: nam ζωοῖσιν ἐπεῤῥήγνυντο eo minus videtur admittendum, quod illud e superioribus pendet. Quare, nisi altius latet vulnus, cum Vindob. primo elegerim αἰὲν ἀνεῤῥήγνυντο, quod de alto equorum incessu, quo quasi exsiliebant vivisque inferebant perniciem, haud incommode dictum videbitur.

Mare commotum summa imis miscet XIV, 527. sqq.

— — — — ἔβρασε δ' ἅλμη
βυσσόθεν, ὥστε θάλασσαν ἰδ' οὐρανὸν ἠδὲ καὶ αἶαν
φαίνεσθ' ἀλλήλοισιν ὁμῶς συναρηρότα πάντα.

Pauwii inventum ἔβρασε δ' ἅλμη, quod ab etymo βράζω repetit, non debebat amplecti Tychsenius; id enim, quantum scio, epicis insolitum est. Contra quod libri praebent ἔβραχε δ' ἅλμη βυσσόθεν, nostro aliisque gratum et acceptum est, vid. infra v. 649. 573.

θεινόμενοι ῥηγμῖνες ἐπέβραχον οἴδματι λάβρῳ.

Quae coronidis loco subtexuntur, ea totidem verbis adsunt XIII, 136. Praeivit iterum Apollonius in Argonauticis, dum Orpheum de chao, rudi illa et indigesta mole, canentem inducit I, 497.

ἤειδεν δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα
τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ —.

Aiax mari immersus periculo ab omni parte ingruenti fortiter resistit XIV, 550. sqq.

ἀκαμάτῳ Τιτῆνι βίην ὑπέροπλον ἐοικώς·
σχίζετο δ' ἁλμυρὸν οἶδμα ποτὶ κρατερῇσι χέρεσσιν
ἀνδρὸς ὑπερθύμοιο· — — —

Koechlys natanti, qui undis circumdatus undique alluitur, multo aptius censet περὶ κρατερῇσι χέρ. in emend. p. 264., et ποτὶ raro admodum cum dativo iungi confitendum erit. Fortasse tamen ea ipsa vocula Aiacis duritiem et invictum manuum robur gravius indicaturus erat poeta, quemadmodum naves ad scopulos a fluctibus fractas commemorat Homerus Od. 3, 298. sq.

— ἀτὰρ νῆάς γε ποτὶ σπιλάδεσσιν ἔαξαν
κύματ'· — — — —

Fulgura mari crebro immissa aqua extincta stridorem edidisse dicuntur XIV, 557. sq.

— — πολλοὶ δέ μεν ἔνθα καὶ ἔνθα
σβεννύμενοι σμαράγιζον ἔσω πόντοιο κεραυνοί·

Pronomen μιν in particulam μεν, aperte falsam, mutavit Tychsenius, Pauwius π. δὲ μίγ' ἔ. κ. ἔνθα suasit. Equidem ad Homeri aliorumque exemplar γε μὲν germanum putabam, vid. part. III. p. 40. Contra Koechlys in em. l. all. π. δὲ μέγ' ἔ. κ. ἔ., quod e verbo σμαράγιζον sit aptum, coniecit. Non prorsus improbo, etsi nimia fere adverbiorum multitudine obruimur.

Tandem Neptunus saxum, quod Aiax manu erat apprehensurus, discussit XIV, 574. sq.

— — ἀπέσχισε δ' εἰς ἅλα πέτρον
εὐρέα, τῇπερ ἐκεῖνος ἑαῖς ἐπεμαίετο χερσί·

Rhodomanni ex sententia πέτρον, expulso vulgari πέτρην, adoptavit Tychsenius; nollem factum, huic enim et Quinti sermo prodest, vid. II, 401. IV, 8. 260. V, 243. alibi, neque obstabunt II, 251. XI, 461. Porro genus femineum sequentia tutantur et Homeri imitatio, de qua postea videbimus, magis etiam confirmat. Id iam recte perspexit Pauwius; at idem imprudentius iudicat de altera Rhodomanni emendatione, qua ἐπεμαίετο praetulit olim usitato ἐπεμαίνετο, Aiacem enim oestro quasi et furore percitum induci opinatur Batavus arbiter. Nullum vero furoris indicium apparet, imo Aiax cir-

cumspecte et provide agit, nec minus erravit eo, quod ἐπιμαίεσθαι, si quidem appetere significet, quartum exposcere casum dicit. Requiritur potius genitivus, cuius testimonium praebet V, 223.

— — μεγάλων ἐπιμαίεαι ἔργων.

Quibus Ulixis audaciam Aiax Telamonius contundit, quemadmodum Diomedes homericus Dolonis confidentiam miratur Il. 10, 401.

ἦ ῥά νύ τοι μεγάλων δώρων ἐπεμαίετο θυμός,

add. Arat. phaen. 127. Theocr. Id. XXIII, 57. Eum igitur restituamus oportet. Deinde ἑῆς — χερσὶ nostri esse XIII, 163. approbat. Quare poetae verba posthac sic legenda erunt

— — ἀπέσχισε δ' εἰς ἅλα πέτρην
εὐρέα, τῆς περ ἐκεῖνος ἑῆς ἐπεμαίετο χερσί.

Debet autem horum plurima Homero, vid. Od. 4, 507.

ἤλασε Γυραίην πέτρην, ἀπὸ δ' ἔσχισεν αὐτήν·

Spuma albescens Aiacis circa fluctus agitati caput et mentum irrorat XIV, 578. sq.

μορμύρον δέ οἱ αἰὲν ὀρινομένῳ περὶ κῦμα
ἀφρὸς ἄδην λεύκαινε κάρη λάσιόν τε γένειον.

Pauwius et priores omnes μόρμυρον, in quo si quid pravi est, certe μορμῦρον fuit emendandum. Nec tamen placet participium illud, quod melius iungi poterit spumae et ipsi murmuranti, sicut alibi fervescere dicitur, vid. VI, 104. IX, 441., etsi alibi murmurant fluvii spuma, ut in Hom. Il. 18, 403.

— — — περὶ δὲ ῥόος Ὠκεανοῖο
ἀφρῷ μορμύρων ῥέεν ἄσπετος· — —

add. 21, 325. Apoll. Arg. I, 542. sq.

Aether fluminis instar aquas effundit perpetuas XIV, 600. sq.

— — ποταμῷ γὰρ ἀλίγκιος ἔῤῥεεν αἰθὴρ
συννεχές· — — —

Ita Tychsenius Pauwio praecipiente scripsit, sed ad antiquorum exemplarium fidem, quibus una suffecit liquida, redeundum esse Homeri aliorumque usus docet, cf. Il. 12, 26. ibique a me annotata.

De Nauplii insidiis, quibus Graecos laborantes fefellit,

docte et copiose disseruit Bentleius ad Phalarid. epistol. p. 65. sqq., non oblitus Quinti XIV, 621. sqq.

— — — ὁ δ' αὐαλέην χερὶ πεύκην
αἰθομένην ἀνάειρε· δόλῳ δ' ἀπάτησεν Ἀχαιοὺς
ἐλπομένους εὔορμον ἕδος λιμένων ἀφικέσθαι·

Loco Aldin. lectionis ἀνομένην χ. π. Rhodomannus intulit αὐαλέην, Bentleius maluit αἰνομανεῖ χερὶ, quod ab epica simplicitate alienum duxerim. Versu proximo olim ferebatur: δόλῳ δ' ἀπείλησεν Ἀχαιοῖς, ἀπάτησεν Ἀχαιοὺς Rhodomanni est, Henr. Sypkensius apud Bentleium l. all. e vers. 612. ἀπόλεσσεν adoptandum putavit. Equidem e prisci vestigiis eruerim

— — δόλῳ δ' ἄρ' ἔθελγεν Ἀχαιούς —.

Quod quidem et improbam Nauplii fraudem, qua Achivorum infelicium animos vana illexit spe, clarius patefacit, et poetae ipsius testimonio, cf. XIII, 405., magis etiam munitur. Dux autem Quinti iterum fuit Homerus, cuius Apollo simili artificio Achillis spem eludit Il. 21, 604.

— — δόλῳ δ' ἄρ' ἔθελγεν Ἀπόλλων.

I. INDEX VERBORUM ET RERUM.

Α. A.

Z.

H.

Θ.

I. I.

K. C. Q.

Λ. L.

M.

N. N.

Ξ.

O.

Π. P.

P. R.

Σ. S.

T.

Υ.

Φ.

Χ.

Ω.

II. INDEX SCRIPTORUM.

Lipsiae, typis Breitkopfio-Haertelianis.

CORRIGENDA.

Pag. 4. v. 2. XI, 482. leg. XII.
— 8. v. 4. *ὅ γ.* l. *καὶ ὅ γ.*
— 9. v. 28. *ψέκαδας* l. *ψεκάδας.*
— 12. v. 22. *οὐδὲ τί* l. *οὐδέ τι.*
— 17. v. 11. V, 22. l. V, 212.
— 31. v. 10. 13, 169. l. 769.
— 32. v. 9. *φρέσιν* l. *φρεσὶν.*
— 34. v. 9. *ἀπειρησίη* l. *ἀπειρεσ.*
— 36. v. 1. *suspicere* leg. *suscipere.*
— 40. v. 30. *κράτος* l. *κάρτος.*
— 42. v. 30. *γὰρ τοι* l. *γάρ τοι.*
— 44. v. 36. *ῥα νιν* l. *ῥά νιν.*
— 47. v. 27. *fundum* l. *fundam.*
— 53. v. 17. 135. l. 185.
— 53. v. 18. *tum de moerore* l. *tum de fortitudine tum de m.*
— 63. v. 3. *emergitur* l. *emergit.*
— 63. v. 33. *λαβρὸν* l. *λάβρον.*
— 64. v. 7. *perspererat* l. *perspexerat.*
— 67. v. 6. *ἐπὶ* l. *ἔπι.*
— 83. v. 5. *ἄμπεθος* l. *ἔμπεδος.*
— 86. v. 7. *τὸ μὲν π.* l. *τὰ μέν π.*
— 87. v. 18. *ἔγχεί* l. *ἔγχεϊ.*
— 93. v. 5. *Acamus* l. *Acamas.*
— 95. v. 18. 350. l. 360.
— 103. v. 2. *proprius* l. *propius.*
— 106. v. 11. 242. l. 342.
— 107. v. 12. *patrocinare* l. *patrocinari.*
— 109. v. 32. *αὐτοῦ* l. *αὐτόν.*
— 110. v. 29. 216. l. 226.
— 114. v. 1. *πονεύμενος* l. *πονεύμενον.*
— 114. v. 23. *πάτηρ* l. *πάτερ.*

pag. 117. v. 10. *ἄττοντα* l. *ἄττοντα.*
— 124. v. 23. *Πεισανδρόν* l. *Πεισάνδρόν.*
— 126. v. 2. 114. l. 110.
— 132. v. 4. a fin. *οἴμοι* l. *οἶμαι.*
— 135. v. extr. *θοαῖσιν* l. *θοοῖσιν.*
— 150. v. 8. *iam breviss.* l. *quam breviss.*
— 179. v. 11. *Στενέλην* l. *Σθενέλην.*
— 181. v. 3. 432, 6. l. 432. b.
— 191. v. 16. 15, 528. l. 15, 538.
— 193. v. 30. *νὺξ* l. *νὺξ.*
— 200. v. 5. VII, 324. l. VIII, 324.
— 211. v. 19. *Puartum* l. *Quartum.*
— 215. v. 30. *nihilei usmodi* l. *nihil eiusmodi.*
— 218. v. 35. *ὦ κύον ἐξήλυξας* l. *ὦ κύον· ἐξήλ.*
— 220. v. 16. *penetrarei* l. *penetraret.*
— 227. v. 20. *editit* l. *edidit.*
— 235. v. 20. *λάβρα* l. *λάβρον.*
— 241. v. 1. *ἄκρια* l. *ἄκριας.*
— 243. v. 22. *καταβρέξασαι* l. *καταβρόξασαι.*
— 261. v. 25. *corrupteta* l. *corruptela.*
— 266. v. 22. *epitheten* l. *epitheton.*
— 272. v. 16. *resoluto* l. *resoluta.*
— 284. v. 8. *Τρυωνίδι* l. *Τριτωνίδι.*
— 300. v. 24. *ον* l. *ὃν.*
— 302. v. 4. *ἐκέκειντο* l. *ἐπέκειντο.*

